GABRIELIS

FALLOPPII

MVTINENSIS,

Physici Præclarissimi ac Chirurgi celeberrimi

OPERVM,

QVÆ IN GYMNASIO PATAVINO, DVM REM MEDICAM ET CHIRVRGICAM MIRABILI cum laude & splendore profiteretur, publice docuit;

TOMVS SECVNDVS.

OPERA ET STVDIO

IOHAN. PETRI MAPHÆI D. Chirurgiæ Taruisini,

Ad autoris eiusdem gloriam, voluminis integritatem, Studiosorum vsum atq; vniuersi terrarum orbis Medicorum vtilitatem quam maximam nunc primum in lucem editus, cum suis marginalibus copiosissime ampliatus, ac gemino INDICE, *quorum prior, qui præfationem immediate subsequitur, omnes ordine tractatus & singula eorum capita, alter vero in fine operis res quasuis notatu dignas summa diligentia collectas continet.*



FRANCOFVRTI

Apud hæredes Andreæ Wecheli,

Claud. Marnium & Ioan. Aubrium.

M. DC.

Cum gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis ad sexennium.

SVMMA PRIVILEGII.



CANDIDO LECTORI TYPOGRAPHI S.



PERVM Gabrielis Falloppii tomum hunc secundũ impressuri equidem, Candide lector, serio nobiscum meditati consilio sumus, qua re tibi potissimum gratificaremur, iunctim ne tomum vtrumq; edendo & hunc cum primo in vnum nouumq; titulum congerendo, an vero seorsim & discrete suum vtriq; priuatum titulũ cum indice peculiari adsignando. Diu itaque nunc hac nunc illac istius deliberationis lance nutante, tandem eo sententiæ defleximus, vt seorsim diuisimq; impressum curaremus vtrumq;, & sic, vt alias, ita nunc quoq; pro more nostro, & in literas literatosq; amore plus emptorum commodis votisq;, quam nostro priuato emolumento velificaremur. Cum enim primus huius autoris operum tomus iam dudum à nobis editus esset, cuius exemplaria in manibus, & bibliothecis quam plurimorum versari sciremus: hisce, ne prioris impensæ iacturam facere cogerentur, isthoc consilio omnino parcendũ nobiscum reputaremus. Quæ res vtiq; nec istis aut incommodabit quicquam aut displicebit, quorum plutei prioris tomi exemplum vel adhuc desiderant. Nostrum ergo hoc studium, candide lector, vt comprimis etiam autoris laborem, eo, quo fas est, animo accipe, & similia in aliis tibi profuturis de nobis pollicere.

Cæterum de auctore (breuiter dicamus) horũ operum, viro extra omnem aleam illustri, laude dignissimo, quid hic finiamus nisi publicis Musarum & phœbi lachrymis præmaturam eius mortem iure merito deflendam esse? Vitæ periodum nimis quam breuem habuit, & ætatulam suam vix ad annum 39. prouexit. At interim (proh indolem) quam magnis & meritis & monumentis orbem terrarum isthoc curriculo impleuit? Ex pulpito docens auditorum innumerum numerum cũ stupore & admiratione quotidie detinuit, quotidie ægrorum visitationibus desudans, illorum magnam copiam quodam quasi miraculo orco eripuit. Publicis theatris mira solertia, applausu solenni Anatomicam tum manu exercendo, tum voce iuxta illustrando, nunquam pedem absuit. Et non mireris, Lector, vnde nam subcisiuas saltem aliquas horulas ad peraranda simul tot monumenta suffurari ipse potuerit? Qui si saltem exiguis aliquot mensibus viuus adhuc perstitisset, præter cætera aurea opera, de colore vniuersi corporis malo, de omni eius infectione seu suffusione, vt lentigine, vitiligine, liuoribus, nigredine adeoq; omnibus cutaneis maculis & fœdamentis promissum accuratum tractatum nulla mora nostris votis communicasset. Sed quod res est, ingratitudini nostræ fata virum hunc inuiderunt. Vixit annos 39. Patauii obiit, Anno 1562. 7. Id. Octobr. cuius monumentum ibidem in templo D. Antonii maioris prope ostium vsitatius visere est.

Tantum de nostro consilio & operis auctore. Quæ, lector, proba, & vale.

INDEX ET ELENCHVS LIBRORVM AC CAPITVM QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO GABRIELIS FALLOPPII CONTINENTVR.

TRACTATVS I.

DE MEDICAMENTIS SIMPLICIBVS.

Finis tractatus primi.

TRACTATVS II.

De materia Medicinali in Librum Primum Dioscoridis. fol. 25

Finis tractatus Secundi.

TRACTATVS III.

De Luxationibus.

Finis tractatus tertii.

TRACTATVS IV.
De fracturis.

Finis tractatus quarti.

TRACTATVS V.
De partibus similaribus.

Finis tractatus quinti.

TRACTATVS VI.
De vulneribus in genere seu vniuersali.

Finis tractatus sexti.

TRACTATVS VII.

De vulneribus particularibus, a capite ad infra versus.

De vul-

Finis tractatus septimi.

TRACTATVS VIII.

De vlceribus particularibus.

Finis tractatus octaui.

TRACTATVS IX.

De Scirrho & reliquis tumoribus omnibus tum vniuersalibus tum particularibus, qui libro in tomum relato desunt.

Finis tractatus noni.

TRACTATVS X.
De decoratione.

Finis tractatus vltimi.

GABRIE.



GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS, MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI: DE MEDICAMENTIS simplicibus II. TOMI Tractatus I.

CAP. I. *De huius facultatis subiecto.*

QVANTA sit vtilitas, quantaque nobilitas & præstantia huius facultatis simplicium, iam patet ex superiori nostro sermone. Nunc autem cum ob vtilitatem, nobilitatem ac eius præstantiam vt Medicinam optime acquiramus, eam adipisci non solum conueniens, sed etiam necessarium fore coniiciam: vt id fieri possit, necesse est medicam artem ipsam prius diuidere, cum ipsa simplicium facultas ad Medicinam attineat, & inter medicas partes connumerari debeat. In qua re, sicut in aliis pertractandis vos obsecro, ac maxime rogatos velim: vt totis viribus sitis attenti, neque autori aut interpreti, & cuiquam ita addicti, vt has meas explicationes non approbetis; nam omnia, quæ sum dicturus, non nisi ratione probare intendam: neque expecteris me reprobaturum clarissimorum virorum sententias, qui tanquam duces in hac facultate existunt, cum mihi id ingratitudini ac atrogantiæ esset asscribendum: His enim gratias potius referre debemus, cum facultatis huius vel inuentores vel autores fuerint. Diuidenda igitur est ars medica, vt videamus, sub quanam parte contineatur hæc facultas indagandorum simplicium, verum primo quomodo de his simplicibus agendum sit, dicamus. *Ordinis ratio.*

Simplicia sunt subiectum in hac facultate. Quia autem à definitione omnis facultas exordiri debet, prius definitionem ponere debemus. Sed ante omnia quoad nomen, vt euitetur confusio, quid itaque sit quoad nomen dicamus. Simplex igitur quoad nomen illud est, quod purum, syncerum ac impermixtum est. Tale autem, quod purum syncerumque est, duplex esse potest; aut enim potest esse incorporeũ aut corporeum. Verum altius nomen petere oportet, quoniam perfecta cognitio haberi non potest nisi à longinquis principiis exordiamur: duplex itaque est simplex, si incorporeum, aut scilicet quod potest per se à corpore separatum existere, aut non: quod potest à corpore separari, simplex est aut vere, aut non vere: quod vere simplex est, est purus actus, vt Deus Opt. Max. Quod vero incorporeum est, per se existere potest, at non tamen simplex est vere ac absolute, vt sunt reliquæ intelligentiæ, de his Auerrh. Meth. tract. 2. quæ sicut à Deo recedunt, aliæ magis, aliæ minus sunt simplices. Quod autem hæ non sint vere simplices, patet, quoniam suam essentiam à Deo participant; nam intellectus noster possibilis, qui est veluti quoddam potentia, totum compositum esse dicetur, quoniam cum potentia existit, & minus particeps est diuinę essentiæ quam alia. Sunt autem alia simplicia in corpore, quæ non possunt separata à corpore per se existere, & duplicia sunt: alia enim sunt corporum principia, licet ipsa non sint corpora; alia quæ non sunt corporum principia. Quæ autem sunt principia, adhuc sunt duplicia, alterum veluti fundamentum & quod nulli inhæret, perfectionem autem sumit à materia, quæ est quoddam simplex incorporeum, quæ non potest per se existere, cum sit fundamentum aliorum à forma; alterum vero est, quod alio innititur reddens ipsi esse, & hæc est forma. *Subiectum huius facultatis.* *Simplex quoad nomen quid sit.* *Diuisio simplicium.* *Corporum principia.* *Simplicia incorporea.*

Simplicia vero, quæ non sunt principia corporum, sunt omnia accidentia in genere: si vero plura accidentia simul complectamur, erit veluti compositum, talia sunt simplicia

Simplicia corporea.

Corpus homogeneum quale.

Distinctio propria.

Subiectum huius facultatis.

Corpora simplicia quomodo à Philosopho considerentur.

incorporea. Corporea vero duplicia sunt, nam aut tale à natura est, quia scilicet non est ex pluribus corporibus à natura constitutum, aut est simplex, quia ab arte non habet compositionem. Quod autem tale est à natura, illud triplex est secundum Auerrhoem in libro destructionum disputatione tertia: aut enim ex materia & forma compositum est, & tale est elementum; aut constat ex materia tantum in actu, non autem ex forma: vt sunt corpora cœlestia: & sunt hæc duo corpora simplicium: Tertium est, quod eandem definitionem in toto, & hoc est homogeneum corpus, quod simplex videtur in sua natura. Hæc autem est bona distinctio quo ad speculationem. Sed nos alio modo distinguere solemus: vel scilicet quod corpus simplex, vel reuera tale est, vel non: si reuera tale est, aut ex materia & forma componitur, qualia sunt Elementa, vel est compositum cum materia in actu. Si vero sit secundum apparentiam tale, sunt corpora homogenea, & sub istis continentur lapides, metalla & huiusmodi quæ eandem rationem seruant, & denominationem in toto sicuti in parte. Si vero dicatur simplex, quia non sit tale ab arte, & tale corpus dicitur illud esse, quod est huic nostræ tractationi subiectum, quod adeo commune est, vt sub se contineat omnia corpora naturalia, de quibus tractatur in hac nostra facultate, siue sint simplicia, siue mixta ex elementis, siue animata, siue inanimata, siue animata omnia sensitiua, siue non. Et de his corporibus multi sunt, qui pertractant, & variis modis considerari possunt: Ideo videndum est, quomodo sint consideranda in hac nostra facultate, vt distincte procedamus. Hæc autem simplicia corpora à Philosopho naturali considerantur, quoniam considerat corpus ipsum naturale, mobile, generationi & corruptioni subiectum: Sed Philosophus de his non tractat ad vsum aliquem humanæ vitæ, sed contemplationis gratia tantum. Agricolæ etiam, & qui hortorum notitiam habent, licet non vniuersaliter considerent, tamen multa, quæ sunt sub hoc subiecto, considerant, & circa sationem, culturam ac seminum collecturam versantur, pro vt hęc sint animalibus necessaria atque hominibus. Incantatores etiam his incumbunt, vt scilicet nocumenta hominibus afferant. Herbarii vero, qui nunc vulgo herbolarii dicuntur, plantarum cognitionem habent, quoniam figuram & nominum cognitionem considerant, & à montibus ipsas plantas colligunt ad loca habitata transferentes, vt vendantur & plantentur ad vsum hominum, non tamen norunt ex his, nisi nomen & loca vbi nascuntur.

Seplasiarii vero & hi cognitionem habent, non tantum vt nomina sciant & figuras, sed vt possint ipsa conseruare, vt deseruiant præceptis Medicorum, & isti dicuntur maiorem simplicium cognitionem habere, quam herbolarii.

Mulierculæ etiam sunt quædã & vetulæ, quæ quidem in Empyricis aliquam cognitionem habent, non tamen considerant naturam aut temperamentum ipsorum, sed sola experientia ductæ ipsis vtuntur.

Medici etiam dogmatici ac rationales singulorum simplicium cognitionem habere profitentur, non, vt nomina tantum figurasque, sed vt naturam, facultates ac vires ipsorum cognoscant, vt varia possint ad sanitatem tuendam, & morbos expellendos remedia parare. Talis est cognitio, quæ à Medico debet haberi, & quæ etiam in hac nostra tractatione memoriæ mandari oportet. Et omnia corpora naturalia considerantur à Medico: aliqua enim composita habemus à plantis, alia ab elementis, alia ab animalibus & similibus. Videndum est modo ac declarandum, quid sit medicamentum ipsum, & quomodo à Galeno definitum sit, & his declaratis ad diuisionem Medicinæ deueniemus, & videbimus, sub quanam parte contineatur hæc tractatio.

De definitione dictæ facultatis. CAP. II.

DVm conaremur subiectũ huius facultatis inuenire, id nobis euenisse conspicio, quod fabris lignariis solet aliquando, qui dum aliquod perficere tentant, mundum primũ ipsum reddunt, excrementa ac partes crassiores reiicientes, ac deinde à partibus crassioribus expurgant: tertio vero à quibusdam corporibus minutis denudant, quarto in toto ita ipsum expoliant, vt perfectum reddant; ita nos fecimus in superiori capite, diuidentes, donec inuenimus subiectum huius facultatis naturalis, quod erat corpus ab arte denudatum, & ita discurrentes diximus, hoc à pluribus artificibus considerari. Medicus autẽ secundũ vnamquãq; speciẽ corpus hoc naturale cõsiderat, nõ vt agricolæ, vt ea colligat, quę ad vsũ animaliũ spectãt, vt ipsis vescãtur, nõ alia de causa, quę parãtur ab aliis: sed vt omnib.

his rectè cognitis, quoad nomen, formam & figuram eius naturam contempletur, vt regulas tradat, quibus curare morbos possimus: & hic est finis considerationis in hac facultate. Perfecta itaque definitio huius nostræ facultatis hæc erit. Naturale corpus simplex illud erit, quod nulla est arte passum seu compositum, vt ex eo rationalia remedia sumantur ad sanitatem tuendam ac recuperandam. In hac definitione supremum corpus est ipsum genus, per quod distinguitur ab omnibus aliis, quæ simplicia sunt incorporea, de quibus hic non loquemur. Subdimus (Naturale) quia hoc debet distingui à corpore mathematico & à corpore metaphorico, si datur, & etiam à cœlesti corpore, quod ex materia in actu compositum est, licet simplex sit, illud tamen non consideratur à medica facultate: per naturale enim intelligo corpus ex materia & forma generationi ac corruptioni suppositum. (Nulla arte compositum) vt traderetur ratio, quare simplex sit ac impermixtum, quoniam de simplicibus agimus in hoc loco, ex quibus deinde composita parantur. (Vt ex eo remedia sumantur ad sanitatem tuendam & conseruandam.) Hæc est ratio formalis, quia multi considerant hoc corpus naturale nulla arte compositum, vt naturales ac mathematicas, non tamen vt ex eo eligant auxilia recipienda, quod ad Medicum tantum pertinet: Considerat enim hæc vt sunt corpora. Verum quia etiam Empyrici talia simplicia hoc eodem modo considerant, quoniam etiam his vtuntur, vt distinguerentur hæc inter se inuicem, addidimus (rationabilia remedia) & ita habetis definitionem hanc perfectam essentiæ subiecti, & fateor meipsam vnquam ab alio non audiuisse neque didicisse, sed meo tantum labore eam aduenisse. Hoc est igitur subiectum facultatis huius.

Corporis simplicis definitio propinqua.

Definitionis declaratio.

Sed dubitabit aliquis, quia multa videntur esse in rerum natura genita, quæ non considerantur à Medico hoc modo, quoniam circa centrum terræ ac in profundo maris, quæ nos contingere non possumus, multaque in suprema regione aeris consistunt, ad quæ peruenire minus datum est alicui, quomodo ergo dicitur, omnia corpora naturalia nulla arte composita esse subiecta Medici, si hæc ad nos peruenire non possunt? Ad hanc difficultatem dupliciter respondere possumus, & vtraque responsio optima erit. Prima quod diximus, nullum esse corpus naturale, non quidem secundum indiuiduum, quoniam hoc est impossibile, sed secundum genus considerata, hoc enim potest sufficere. Aliter respondendum est, quia etsi non possim ego propter maximum interuallum ex his medicamenta sumere & parare, tamen talia sunt hæc corpora, vt ex his possent parari remedia, si in promptu essent ac præ manibus haberentur: quare nihil obstat, quod huiusmodi res non faciant ad vsum medicum. Et hæ sunt solutiones ad hanc difficultatem. Tale ergo erit subiectum, quod in hac parte Medicinæ considerabitur, videndum enim est Medicum, qui mederi vult, non cognoscere subiecta hæc, quæ sunt necessaria, & tunc oportet ad hoc vt adsit primo herbarius optimus (de quo antiqui tractant) qui aptus sit ac his ita doctus, vt Medicum ipsum docere possit, & est veluti pater Medicorum dicendus, quare ipsos consulere sæpe debemus. Videamus modo diuisionem artis Medicæ, vt hanc facultatem sub parte, qua collocari debet, reponere sciamus.

Dubitatio circa definitionem.

De diuisione Medicinæ. Cap. III.

CVm iam definitum sit subiectum huius facultatis, videamus ad quam Medicinæ partem pertineat, quare Medicinam diuidamus.

Diuiditur autem ars Medica à quibusdam in quinque, ab aliis vero in tres partes tantum. Qui in quinque partes diuidunt, primam partem dicunt esse φυσιολογικὴν, quæ circa naturam ac constitutionem humani corporis versatur; de hac autem parte in lib. de temperamentis & humoribus Galenus tractat, ac Hippocrates in libr. de nat. hum. Secunda pars Medicinæ est αἰτιολογικὴ, in qua symptomata ac causæ explicantur, de qua in libr. de symptomatum causis pertractat idem Galenus. Tertia est σημειωτικὴ; in qua signa dispositionum corporis habentur. Et hæc fuit ab Hippocrate in libr. de præsagiis pertractata, & Galenus in lib. de crisibus eam tradit. Quarta pars est ὑγιεινὴ, hoc est sanatiua siue conseruatiua, in qua docetur modus tuendæ sanitatis ac valetudinis. Quinta est θεραπευτικὴ, quæ tripliciter diuiditur; nam victus rationem docet, & diæta dicitur, versatur circa victum, ac res non naturales docet; vel est χειρουργικὴ, vel φαρμακευτικὴ. Medicamenta autem sunt duplicia, vel scilicet simplicia aut composita. Et hęc est prima artis medicæ diuisio. Sine simplicium autem medicamentorum cognitione ad composita deuenire non possumus.

Diuisio Medicinæ secundum aliquos in 5. partes.

Medicina diuisio secundum alios in 3. partes. Alii vero diuidunt Medicinam in tres partes, dicunt enim Medicum nil aliud agere, nisi, cum cognouerit corpus, quam prædicere ex signis, ac affectiones partis corporis cognoscere, & eas denique curare: ideo in prognosticā sanatiuam siue præseruatiuam, ac curatiuam diuidunt, & hanc postea curatiuam subdiuidunt in illas tres partes, in quas θεραπευτικὴν diuidebamus superius, nempe in diætam, chirurgiam & pharmaciam. *Medicina diuisio in duas partes.* Alii vero diuidunt Medicinam dupliciter, vt facit Auicenna, videlicet in theoriam & practicam. Theoricam dicunt illam esse, quæ versatur circa cognitionem tantum naturæ: practicam vero, quæ circa modum curandi siue operandi versatur, quæ itidem consistit circa illa tria, nempe diætam, pharmaciam ac chirurgiam: pharmaciam postea in simplicia ac composita subdiuidunt, quarum omnium hæc vltima, quæ in theoricam & practicam diuisa est, mihi magis placet, & ratio est, quoniam genus per duas oppositas differentias diuidi debet, quales sunt theorica & practica. *Diuisio magis approbata.* Quare dixerim ego, satius esse ipsam diuidere Medicinam in duas tantum partes & non plures.

Dubitatio circa hanc approbatam diuisionem. Sed dicet quis statim, erras maxime, quoniam debemus improbare hanc diuisionem: Si enim ita diuidatur, tota erit practica hæc ars, quoniam finis eius est morbos depellere, ac sanitatem conseruare, quod nisi operatione fieri potest, quare tota factiua ac practica erit, ergo non potest dici speculatiua ac theorica. Ad hoc autem ego respondeo, quod nulli dubium est, quod considerata vniuersaliter, vt scilicet vna facultas est, quæ à fine denominari debeat, tota factiua est, quoniam sic versatur circa opus. Sed si hanc facultatem in partes seiunctam consideremus, necessum est, vt altera eius pars theorica dicatur, altera vero practica, ibi enim incipit Medicus, vbi Philosophus desinit: quare suprema pars Medicinæ connectitur philosophiæ naturali, quæ tota theorica & speculatiua existit.

Alia dubitatio. Sed quis alius dicet, denuo verum esse, quod hæc pars speculans & theorica posset dici, nisi vlterius progrederetur Medicina, vt ipsa à fine denominatur, quia circa opus versatur, ergo tota practica. Sed respondeo iterum, quod hoc esset iterum confundere partes has iam distinctas: quoniam si partes distinctas consideremus, non est dubiū, quod ista pars theorica dicetur, alia vero practica. Confirmatur enim hoc etiam, quoniam si quæramus ab his, qui in quinq; partes eam diuidunt, quænam sit pars φυσιολογικὴ, dicent esse illam, quæ de natura corporis tractat: si ergo hæc considerans naturam est speculatiua, idē debet diuidi in duas tantum partes, in theoricam scilicet & practicam.

Sed his omissis, quamcunq; diuisionem accipiamus, semper videmus partem illam, quæ de simplicibus agit, sub therapeutica poni: Medicamenta enim vel simplicia sunt, vel composita: ideo sub ea tractatio hæc habetur, quæ pars maximi est momenti, quoniam hæc supponit omnes alias partes medicinæ, ac eam etiam continet partē, quæ de compositis medicamentis tractat, sub therapeutica ergo continetur ad pharmaceuticam scil. Et hinc est, quod cum medicamenta sint instrumenta artis medicæ, hinc est, dico, quod pars *Inscriptio tractationis.* ista inscribitur de materia medica, siue de re medica. Est autem medicamentū huiusmodi ex Gal. lib. 1. de simplic. med. facult. cap. 10. id, quod naturam nostram permutare potest, & ita nutrimentum: at nutrimentum dicitur rei nutribilis nutrimentum: medicamentum *Nutrimentū cuius rei sit nutrimētum.* vero rei medicabilis medicamentum. Nutrimentum autem in substantiam vertitur mutata ipsius substantia ac in similem reddita, at medicamentum non mutatur ab humano corpore, sed ipsum potius mutat ac corrumpit aliquando; hoc autem duplex est, vel sim- *Medicamētū simplex.* plex, vel compositum: simplex est, quod à natura tale est; compositū vero est illud, quod permixtum est cum alio.

In quo tractantur ac resoluuntur quædam dubitationes circa superius dicta.

CAP. IV.

Dubitatio, an dentur simplicia naturalia. Natura duplex accipitur. Dicebamus medicamentum non mutari ab humano corpore, sed potius ipsum corrumpere, quandoq; etiam duplex esse, simplex scilicet & compositum; & quod simplex illud est, quod à natura tale existit; & compositum illud, quod est cum alio permixtū. Sed hic quispiam dubitare posset, quoniam in libro de simplicium medicamentorum facultatibus capitulo decimo tertio Gal. dicit, quod quæ secundum naturam sunt, licet simplicia medicamēta videantur, cōposita sunt, quomodo itaq; dicit, quod simplex medicamentū est sua natura sincerū? Ad hoc respondens dico, q; Natura in duplici significatione accipitur: primo enim modo natura significat substantiam ac essentiā, quomodo accipit

Galenus in libro 3. de temperam. cap. 4. Et etiam in libro 1. de simpl. medicam. facul. capite 4. dum de aqua loquitur: alio modo accipitur natura non pro substantia corporis naturalis, sed pro facultate; & hoc modo libro 3. de simpl. medicament. facultat. capite 13. accipit, quoniam subdit dicens; *facultate tantum & viribus multiplicia sunt*, quamuis simplicia esse videantur: & hoc clatius dicit in sequenti capite loquens de brassica ac de lente, quæ multiplices facultates habent, licet simplicia sint quo ad naturam & substantiam. Quare secundo modo intelligentes dicemus, illud esse natura simplex, quod non multiplices habeat facultates ac vires.

Secunda obiectio. Obiiciunt aliqui, vt in definitione dixerim, subiectum huius facultatis naturale esse corpus nulla arte passum, cum pompholyx, oleum, ærugo & alia infinita atte parantur, quoniam arte fiunt, & tamen etiam inter simplicia à Galeno connumerantur. Ego autem respondeo, quod aduertant hi, quod ego dixi, non ab arte passum, sed ab arte nulla compositum esse, aliud est hoc: oleum enim non est compositum arte nec vinum & alia huiusmodi, vt mel quod extractum est ex fauis & arte factum, & ita passum ab arte, non autem ab arte compositum, & ita difficultas cessat aliqua ex parte.

Tertia obiectio. Verum dicunt, sunt etiam alia vt cerussa & alia, quæ composita sunt, non autem simplicia, vt ego dixi. At ego vellem hos & alterum relegere ac considerare modum, formam ac rationem, quas non solum in arte medica tradunt, sed etiam in substantia: quoniam quæcunq; talia sunt, vel talia dicuntur, dupliciter ita dicuntur, vel absolute vel secundum quid: hoc modo Galenus hoc pacto loquens de simplicibus, diatrion pipereon inter simplicia connumerat, vt cum ex tribus generibus piperis constat: nam non simpliciter ac absolute compositum siue simplex vocat hoc, quoniam diatrion pipereon vocatur simplex à Galeno, non quia simplex sit absolute, sed quia simplex est in respectu alterius magis compositi, ac in quo plura ingrediuntur, quoniam in arte medica habemus etiam oxymel simplex, & oxymel compositum, quamuis ambo composita sint: ac simplex illud dicitur, quoniam in eo pauciora ingrediuntur; Et compositum illud, quoniam plura accipit ingredientia; vnum itaque dicitur simplex in respectu alterius, quod ex pluribus confectum est, non autem, quod absolute & vere sit simplex. Præterea Galenus nonne musculum ac venam etiam partem corporis simplicem vocat, cum tamen vena & arteria ex pluribus composita sint, Et musculus etiam ex pluribus constet? tamen appellantur simplicia, sed non simpliciter, absolute ac proprie, sed respectu capitis, crurum & aliarum partium magis compositarum: Et hoc idem dicendum est de arteria, de membranis, de ossibus ac similibus. Quare Galenus in respectu ad alia magis composita illa simplicia nuncupat, quamuis aliquid ab arte composita etiam sint aliquo modo ac passa, ideo in nostra definitione diximus, quod subiectum facultatis huius est corpus naturale nulla arte compositum, non autem nulla arte factum aut passum, & ita primum dubium solutum est.

Simplex dupliciter accipitur.

Resolutio primi dubii.

Responsio ad secundã. Aliud vero dubium: quod coniiciunt dicentes, per remotum genus nos definiuisse hanc facultatem: hoc modo resoluo, dicens, hoc proximum esse genus his, quæ circa hanc facultatem versantur. Si enim hoc subiectum est adeo amplum, vt nihil inueniri possit, quod non sit subiectum huic arti, quoniam vnum dico, quid proximius reperiri potest quam corpus naturale, de quo diximus? si itaq; minus commune genus accepissemus, etiam potius species, non autem genus proximum.

Tertia obiectio. Tertia difficultas obiiciebatur ab his, quod in definitione diximus, corpus naturale esse subiectum nulla arte compositum, vt ex illo rationabilia remedia sumi possent, ac dixi, additam esse hanc particulam, vt mulierculas ac empyricos excluderemus, qui sola obseruantia remediis vtuntur: Quare vt excluderentur hi, qui non dogmatice procedunt, addidi illud RATIONABILIA: tamen hi dicunt, quod claudam reddiderim Medicinam, eo quia soli rationi innixam esse putarim, ac si experimentum exclusissem, cum tamen quæcunque ars non solum rationi, sed experimento etiam nitatur ex Galeno. At hi considerent verba in definitione mea posita, quoniam dixi, *vt ex eo sumantur remedia rationabilia*, non secludimus autem experimentum, quoniam nullibi ex his verbis hoc apparet; imo exprimitur manifeste, cum subdimus *ad sanitatem tuendam ac morbum expellendum*; Et si ita dicimus, nonne in hoc remedia explicantur cum operatione applicanda? quomodo ergo clauda erit hęc Medicina ex me?

Postremo torquet alios definitionis particula illa, *nulla arte compositum*. Nam si prius dixi *naturale*, & addidi postea *nulla arte compositum*, dicunt hi, me superfluum fuisse,

quasi dicere volens, quod etiam natura arte niti possit ac vtatur. Sed non est ita, nam dixi ego, quod artes non tantũ materia subiecta distinguantur, sed per rationem etiam formalem: nam habemus nos subiectum huius nostrę facultatis esse corpus naturale, quomodo autem possit apparere, quod sit subiectum proprium huius facultatis, non apparet certe, quoniam videtur esse etiam naturalis Philosophi subiectum, quoniam etiam Philosophus naturalis corpus naturale considerat. Quare vt distinguatur hoc subiectum à subiecto philosophiæ naturalis, non poterat id fieri, nisi adderemus, considerandum esse eo, quia ab arte nullam compositionem habeat: nisi enim hoc adderemus, idem esset subiectum, quod est Philosopho naturali: Fuit ideo necessum addere hanc particulam. Nolint itaq; hi dicere, me superfluum fuisse vel aliquo modo errasse, sed veram ac legitimam esse definitionem à me positam, & facultatem hanc sub parte therapeutica contineri.

De Inscriptionibus circa hanc facultatem variis, & qua sit tenenda.

Cap. V.

Inscriptio operis.

Medicamentum quid sit quo ad nomen.

Quid medicamentum quo ad rem. Quid nutrimentum.

Alteratio tripliciter accipitur.

VAriæ sunt autorum descriptiones circa hanc facultatem, quæ tamen communes non sunt vniuersali subiecto: alii enim tantum de arboribus, alii vero solum de herbis eam inscripserunt, & propterea sunt diminutæ, & nostra verior ac perfectior inscriptio erit de simplicibus medicamentis, sciendumq; post cognitionem iam traditam de corpore simplici, quid sit medicamentũ quo ad nomen, quæ cognitio, quid nominis iam præcedere debet cognitionem, quid rei. Per medicamentum enim illud omne intelligendum est, ex quo sumi potest remedium ad sanitatem tuendam ac morbos pellendos. Sed communius accipiendo hoc medicamentum, videtur etiã intelligi non salubria tantum medicamenta, sed ea etiam, quæ prorsus inimica sunt naturæ, quę venena sc. dicuntur ac deleteria medicamenta: proprius vero accipiendo, ad medicamentũ tantum salubre hoc nomen referri debet: quare duplicẽ significationem habet nomen hoc, vt Rhodianus dicit. Quod quãdo volumus malum medicamentum significare, non debemus simpliciter appellare ipsum hoc nomine medicamenti, sed medicamento addere *malum*: vox enim hęc *medicamentum* in bonam partem accipitur, atq; deduci debet ab auxilio præstando. Quantum vero ad rem pertinet, dictum fuit, quod medicamentum à Gal. lib. 1. de simp. med. fac. c. 1. illud est, quod naturam nostram alterare potest, ac nutrimentum illud esse, quod substantiam augere valet: & medicamentum esse, quia alterat substantiam. nutrimentum vero, quia alteratur à substantia, vt in ipsammet conuertatur. At si ita simpliciter intelligatur definitio, multas difficultates affert. quoniam aer, cibus, potus, & omnes res non naturales possunt corpus alterare, attamen non sunt medicamẽta. Motus enim & quies, cibus & potus, inanitio & repletio, somnus & vigilia, animi accidentia, & Venus non sunt medicamẽta: quoniam cum therapeutica pars Medicinæ in tres partes diuidatur, in diætam s. quæ victu, in pharmaceuticam, quæ medicamentis vtitur, cibus & potus contradistinguuntur, quare cibus & potus cum contradistinguantur, non sunt medicamenta, & ideo sub parte pharmaciæ non continentur, & tamen alterare possunt corpus. Præterea lintea calida vel frigida applicita corpori ac membris apposita ipsum alterare possunt, & tamẽ non sunt medicamenta. Quæ etiam pungunt, quæ lacerant, quæ incidunt & alia huiusmodi, alterãt corpus nostrum, & tamen non sunt inter medicamenta reponenda. Corpora cœlestia etiam alterant corpora, & tamen non sunt medicamenta. Ad hoc autem multipliciter multi respondent, distinguentes de alteratione dicendo, quod alteratio tripliciter accipiatur, vel sc. per se, vel per accidens, vel per aliud, sumentes ex 5. phys. circa princip. dicimus enim quandoq; musicam moueri, ambulare ac calefieri, non quia musica moueatur, ambulet ac calefiat, sed quia accidit ipsi currenti vel incalescenti esse musicum: aut per aliud dicimus, vt si quis sanetur circa digitum, dicitur sanus, cum tamen pars tantum fuerit ad sanitatem reducta. Mouentur autem per se, vt quando dicimus infirmum sanari ac Medicum sanare, quoniam per se sanatur infirmus, & Medicus etiam per se medetur ac primo: est etiam Galeni sententia, quod mutationes quædam specificæ reperiuntur ac sunt, quæ deducunt ad aliam speciem: & non specificæ, quæ non deducunt. His autem positis dicunt sustineri posse sententiam Galeni, quoniam quando dicimus, illa relata superius non esse medicamenta, hæc medicamenta esse per accidens. Cum autem dicit illud medicamentum esse, quod alterat, loquitur de alteratione per se, non autem per aliud. Vt autem hoc declaretur, notandum est, quod corpora illa sunt, quæ mouentur, & mouent, ac nulli dubium est, quod somnus & vigilia non possunt per se moueri nec mouere, ideo nisi per acci-

accidens. Propterea clarum est, quod in numero eorum sunt, quæ moueri secundum accidens dicuntur, quare non sunt contraria sententiæ Galeni.

At quis dicet clarum est, quod hæc non alterant per se corpora nostra, quia non sunt corpora. Sed quis dicet de cibo & potu, ac aëre & cœlestibus corporibus, quæ sunt corpora? hoc verum est: sed quatenus alterare possunt corpus, medicamenta dicuntur; quatenus vero mutantur in substantiam, tunc alimenta, non autem medicamenta nominantur: quare etiam hæc sub ratione medicamenti continentur.

Aer vero vtroque modo dicitur à Galen. *in lib. de simpl. med. fac. cap. 1. 2. & 3. & lib. 2. de simpl. med. fac. cap. 2.* vbi dicit alia actu talia esse, vt ignis, qui actu calidus est: quia statim actionem suam proferunt. Alia potestate talia sunt, vt nasturtium, quod corpus calefacit, non tamen statim sed futuro tempore. Stante ergo hac distinctione, aer & alia dicta possunt esse medicamenta. Et *lib. 3. de temperam. cap. 4.* distinguit circa ea, quæ potestate talia sunt, in nutrimenta, medicamenta, & tegumenta, quare contradistinguit elementa ipsis, cum dicat ibi elementa esse sub his, quæ actu talia sunt. *Sex res non naturales quomodo possint esse medicamenta.*

De corporibus autem cœlestibus, cum dicunt, alterant inferiora, dico quod non statim alterant, sed mediante alio corpore, vt lumine & motu: quare cum per se non possunt alterare corpora nostra, ideò medicamenta dici non debent.

His ita stantibus, distinguenda sunt primum medicamenta per genera, secundo per species & differentias. Medicamentorum ergo quatuor sunt genera subalterna: quædam enim sunt, quæ nihil passa à corporibus & applicata ipsis alterant, vt sunt, quæ non à tota substantia, sed quantitate venena dicuntur, vt cicuta, papauer, mandragora & hyosciami semen, quæ cum contraria sint corpori, necant ipsum, sed in certa tantum quantitate, atque ita non à tota substantia sunt deleteria, sed secundum quantitatem. *Medicamentorum genera quot sint.* *Venena à quantitate.*

Aliqua sunt à tota substantia venenosa, & talia sunt, quæ non inferunt nocumentum, nisi prius alterentur à corpore, vt dicere possumus de auripigmento, de chrysocolla & colocynthide: quæ nisi prius alterentur à corpore & corrumpantur, agere non possunt in corpore nostro, quamuis etiã in minima quantitate exhibita corrumpant corpora. Quædam alia sunt, quæ corpus alterant, sed non mala ac lædenti alteratione, quoniam scilicet nõ destruunt, vt chamæmelon, absynthiũ & huiusmodi alia. Alia vero sunt, quę partim medicamenta sunt, partim nutrimenta, vt lactuca, quæ alterare potest, quatenus medicamentum, potest etiam nutrire corpus: quare quædam à quantitate, quædam à tota substantia, quædam alterantia tantum sunt, quædam vero quæ simul alterant ac mutant & nutriunt. *Venena tota substantia.* *Alterantia sine læsione.*

De intentione ac ordine tractationis. CAP. VI.

Conqueruntur nonnulli, imo & admirantur, quod scilicet in his vniuersalibus diutius immoratus sim, cogor ergo duo verba dicere; quod simplicium medicamentorum cognitio duplex esse potest; vna imperfecta ac superficialis, quæ ex nominum cognitione ac figuræ extrinsecæ explicatione constat, & hæc parui est momenti: nomina enim, vt scitis, confusionem potius quam cognitionem parere possunt. Figura etiam atq; colores, qui secundum varietatem temporum mutantur. Altera est cognitio essentialis, quæ (non contemnendo nominis ac figurarum explicationem) magis tamen interius penetrat, vires ac naturam rei considerans: & hæc duplex est: altera, quę in cognitionem causarum, virium ac naturarum pertinet: altera est vltra hæc quę modum, mensurã & tempus cõsiderat. Cum ergo nos medici sumus, & in ordine ad medicam artem hic sequi velimus, nõ ita sicco pede est transeundum, sed ita nos progredi oportet, vt naturas ac vires & actiones rei cognoscere possimus. *Cognitio essentialis duplex.*

Cum ergo nostra intentio sit naturas & essentias simplicium speculari, & antequam speculemur, quia occultæ sunt, inquirere, ideo modum inuenire debemus, quo possimus actionum cognitionem habere earum, quæ cõmunes sunt ac frequentiores, ac etiam earũ, quæ raro cum accidant, mirabiles videntur, quæ occultæ causæ dicantur, de quibus etiam nos acturi sumus. *Intentio tractationis huius.*

Verum quia hanc cognitionem adipisci conamur ad vsum artis medicæ, ideo oportet etiam modum inuenire, quo, qua ratione applicentur medico vsui, cognoscamus: ac præterea, quia modo simplicia, modo composita apponuntur, ideo rationem etiam qua componuntur trademus. Et quoniam in his sæpe adsunt reliquæ malæ qualitates, vt venefica dici debeant, ideo de his etiam inueniendis tractabimus, ac de pondere & mensura eorum aliqua proponemus, quibus omnibus habitis vniuscuiusq; simplicis naturam cognoscere poterimus: quare vos etiam æquo animo feratis, vt quæ necessaria sint, prius declaremus, quam ad particularem tractationem vniuscuiusq; simplicis deueniamus. *Ordo tenendus.*

Simplicium differentiae à quibus sumantur.

Diximus ergo in praecedenti capite, quod quatuor essent prima genera simplicium medicamentorum, & quod ad alias differentias accedendum est; ideo sciendum quod simplicium medicamentorum differentiae tripliciter variari possunt: aut enim ab essentia rei, aut à viribus, aut ab actionibus. ab essentia rei iterum sumuntur dupliciter, vel scilicet à materia proxima, vel à forma substantiali: à materia autem proxima dico, non autem à materia prima, quae potius est origo conuenientiae in vnaquaque re. Ideo à materia proxima, non à remota sumi debent differentiae. A materia ergo proxima sumendae sunt differentiae medicamentorum, ac ab essentia & forma; aliae vero à facultatibus & viribus, aliae ab actionibus. Quae à materia proxima sumuntur, duplices sunt: aliae enim sunt veluti potentiae, aliae veluti actu materiam informantes, vt raritas, densitas, leuitas, grauitas, durities, mollities, plenitudo, vacuitas, viscíditas, friabilitas, crassitudo & tenuitas; hae enim materiam informant.

Informantia materiam quae et quot.

Differentiae veluti potentiam simplicibus quae & quot.

Quae vero sunt veluti potentiae, sunt vt congelabile & non congelabile, liquabile & non liquabile, madefactibile & non, ruptile & non, frangibile & non, cedens tactui & non, formabile & non, dilatabile & non, teribile & non, elixibile & non, vaporabile & non, cremabile & non, suffibile & non, per singula autem istorum discurramus, nulla enim istorum actualem formam significant actum in materia informantem, sed aptitudinem ac potentiam potius. Quaedam enim cremabilia magis sunt, quaedam minus; quae varietas prouenit ex varia mixtione humidi cum sicco, & frigidi cum calido.

Supponenda circa formarum multiplicitatem.

Harum vero omnium differentiarum primo naturas explicandas esse dicimus, deinde harum causas inuestigabimus: primo quidem hoc vno supposito, quod scilicet variarum formarum multiplicitas ab actione calidi & frigidi circa humidum & siccum ortum habeat.

Pororum varietas.

Secundum supponendum est, quod nullum horum continuum est propter varietatem, quae est inter humidum & siccum, calidum & frigidum, quoniam non possunt ita vniri, vt continuae sint, sed plenae sunt porositatibus, & hi pori multiplices sunt, alii enim angusti sunt, alii lati, alii duri, alii molles, alii in superficie, alii per profundum penetrantes, alii recti, ordinarii regularesq́, alii curui, irregulares & inordinati, alii vero vacui, alii repleti, alii materia tenui, alii crassa. His ita habitis incipiamus deuenire ad declarationem istarum differentiarum. Quaedam itaque spectat ad differentiam illam primam, quae ad materiam proximam pertinet, quae est congelabilitas vel concrescibilitas, per quod intelligimus, quando res aliqua mollis ac liquida ad tantam duritiem potest peruenire, vt quasi lapidea fiat, vt de aqua patet, quae ita quandoque concrescit, vt lapidea res videatur, hoc est esse concrescibile, congelabile & indurabile oppositum reperitur in re, quae ex mollitie non potest ad hanc duritiem peruenire: causae autem huius triplices esse possunt: quaedā enim sunt, quę à calore ex siccitate valida congelantur, per consumptionemque siccantur, vt est sal & nitrum, quae ex materia aquea generantur, cum tanta fuit actio caloris, & tanta siccitate fuit extenuata materia illa, vt ad illam duritiem deuenerit. Sūt ergo ista indurata à calore exiccāte, quę frigida & humida erant. Aliqua vero sunt à frigore concreta: à frigiditate enim exprimitur aerea portio, quae congelari non potest, ideo quod relinquitur, indurabile fit, vt patet in aqua, ex qua spirituosum exprimitur à frigore, & ita condensabilis remanet.

Causa congelationis & indurationis.
Sal & nitrum quomodo indurantur.

Alia vero ab vtraq; causa indurantur, vt quę nō solum à vehementi calore exiccante, sed etiam à frigiditate exprimente concrescunt, tales sunt lateres, qui prius in fornace à calore exiccantur, deinde frigore etiam indurescunt: quae à caliditate & siccitate indurantur, vt sal, à frigiditate & humiditate liquantur. Quae à frigiditate tantum exprimente indurescunt, à calore liquescunt. Quae vero ab vtraque causa indurata sunt, duplicia sunt. nam vel vehementissimus fuit calor, qui consumpsit omnem humiditatem, vel non ita validus fuit: si valde exiccans fuit, ista nunquam liquari possunt, vt sunt lateres optime siccati. Si vero exiccata fuerit materia, non tamen consumpta fuit omnis humiditas, potest à calore liquefieri: & hoc de pice patet & in melle, quae passa cum sint aliquid à calore, quoniam si mel igni apponatur, pars humiditatis consumitur, & si diutius detineatur, concrescit, vt quomodo fiunt suppositoria, & deuenit ad tantam duritiem, vt lapideum videatur: sed tamen à calore liquescit iterum, quoniam non fuit consumpta omnis humiditas ipsius.

De quibusdam aliis differentiis simplicium, quæ ad ipsorum cognitionem essentialem multum faciunt. CAP. VII.

MEdicamentorum differentias cum explicarem in præcedenti capite, quæ cum triplices essent, aliæ ab essentia, aliæ à viribus, aliæ ab actionibus, illas, quæ ab essentia sunt, incœpimus pertractantes, quæ à materia proxima sunt, ac primum de potentiis locuti fuimus, quæ recensentur in lib. prædicamentorum ab Aristotele. Sunt ergo in hac materia aptitudines quædam, per quas corpus aptum est pati vel non pati, & primum erat, quod sua natura est gelabile, cuius triplices differentias diximus; quoniam vel à frigido humidum aereum exprimente fit, quod patet in vasis tempore hyemis, in quibus humor aliquis congelatur, quoniam facta congelatione in ore vasis ita vt non possit ingredi aer, nam cum hęc frigiditas comprimat exprimendo humidam ac aeream substantiam, necesse est, vt corpus illud colligatur in se ac fiat minus, & ita, ne detur spacium inter vas & corpus illud, necessum est vt vitrum vel vas rumpatur, vt possit aer ingredi. *1. Cur facta congelatione in ore vasis vas rumpatur.*

De aliis postea, quæ à calore & ab vtroque indurantur, dictum est supra: reliquum erat, vt declararemus ea, quæ non possunt indurari, vt oleũ, butyrũ ac maior pars pinguedinum, ac aer ipse & corpora alia aerea, quæ quamuis formam aliquam congelationis accipiant, tamen nunquam ita indurantur, vt dura vere dici possint, causa est, quoniam multam habent aeream substantiam, quæ hoc congelari non permittit, quoniam ipsa congelationem non patitur.

Ecquid secunda differentia, quæ est veluti primæ opposita, liquabilis scilicet & non liquabilis; ideo sicuti duplex causa indurationis principalis erat, ita duplex etiam erit liquabilitatis. Liquabilia ergo erunt hæc, quæ quamuis durationem aliquam acceperint, tamen liquari possunt, vt nitrum, sal, cera & glacies & huiusmodi, quæ à frigore concreta sunt, calore liquantur, quoniã licet concreta sint per expressionem frigiditatis, tamen remanet humiditas tanta, ac aliquid etiam aereæ substantiæ, quæ superueniente calore liquantur: in sale autem & nitro patet, quæ ab humiditate eliquantur, & hinc est, quod quædam alia, quæ à vehementi calore exiccata sunt ac ex superueniente frigore expressa, est humiditas quæcunque. Ideo non possunt liquefieri, quoniam propter meatuum angustiam ac inordinationem non potest humiditas ingredi ad ea liquanda, vt lateres sunt. *2. Differẽtia. Causa duplex liquabilitatis.*

Tertia differentia est eorum, quæ madefactibilia dicuntur & non. Id esse dicitur madefactibile, quod potest humiditatem extrinsecus accipere vsque ad profundum suæ substantiæ, vt lana ac spongia, quoniam habent poros latos ac multos, & penetratio vsque ad profundum. Licet enim hæc videantur sicca, tamen quia poros habent latos, multos & profundos, sunt madefactibilia & apta recipere humiditatem. Quæ vero multitudine, profunditate ac latitudine meatuum carent, madefactibilia non sunt, vt lapides & id genus alia. *3. Madefactibilia.*

Quarta differenti[a] est ruptile & non ruptile. Ruptile est, quod in duas tantũ partes diuidi potest. Causa huius ruptibilitatis est amplitudo pororum ac ordinatus ductus ipsorum cum exiccatione aliqua in re rumpente, vt patet in virga lignea exiccata: quæ in duas partes diuiditur propter meatuum exiccationem vel ordinationem: Hinc est, quod ligna viridia non ita facile rumpuntur proper visciditatẽ humoris ac inordinationem meatuum. *4. Ruptile quid.*

Quinta differentia eorum, quæ frangibilia dicuntur, quod illud esse dicitur, quod inuito frangenti in plures partes diuiditur, vt euenit in rotula cerea valde exiccata, quę nobis inuitis in plures partes frangitur; hoc autem fit ex meatuum multitudine, exiccatione & latitudine ac inordinatione. Quod si res meatibus careat, vel ordinatos habeat, non poterit frangi; quoniam quæ meatibus carent, diuidi non possunt. Sed reuera nullum corpus reperitur, nisi corpus cœleste, quod ratione continuitatis, ac quia careat meatibus, diuidi non potest; nam est indiuisibile. *5. Frangibilia.*

Sexta differentia est flexile & non. Flexile illud est, quod ab impellente vel in cauo, vel in sinu potest ad circumferentiam deduci, absque quod frangatur, quoniam facta est optima permixtio humiditatis aereæ cum sicco, sed flectitur tantum & in gyrum deduci potest. Verum quæ humiditate hac viscida repleta non sunt, dum flecti ipsa conamur, statim franguntur, non autem flectuntur. *6. Flexilia.*

Septima differentia est eorum, quæ tactui cedere possunt seu percussioni: quoniam quædam sunt, quæ à propellente violenter comprimi possunt, vt in plumbo & cera patet, *7. Tactui cedentia.*

quoniam fouea remanet post vehementem propulsionem, & talia dicuntur cedentia tactui. Causa autem huius est multa humiditas crassa ac viscida à valido frigore indurata: nam non possunt nisi à vehementissimo calore liquari, vt in plumbo, quod patet etiam in ære, quæ tactui & percussioni cedunt, ac fouea in ipsis conseruatur ratione substantiæ aereæ permixtæ huic humiditati crassæ. Quæ vero prorsus terrestria sunt ac exiccata, ita vt penitus humiditate careant, compressioni non cedunt, vt patet de lapidibus, in quibus nulla adest vel paucissima portio humiditatis aereæ: Hinc est etiam, quod non possunt à calore liquari.

8. *Compressibilia.* Octaua differentia est eorum, quæ compressibilia dicuntur ac non compressibilia. Comprimi autē illa dicuntur, quæ ex ampla magnitudine in angustata reduci possunt: idque facile, vt spongia, lana &c. quę ad differentiam eorum, quæ tactui cedunt, post compressionem redeunt ad amplitudinem pristinam: cuius rei causa est multitudo, profunditas ac amplitudo meatuum; hinc est, quod cera & pumex non sunt compressibilia; quia licet multitudine meatuum sint prædita, ac amplos habeant meatus & profundos; tamen quia nulla in his remanet humiditas, ideo non possunt comprimi; at spongia, lana & huiusmodi habent humiditatē viscidam continuantem, ideo comprimuntur: ac cera, quia non habet amplitudinem meatuum, non comprimitur: Quare duo requiruntur ad hoc, vt comprimatur aliquid, vt scilicet amplitudo meatuum adsit, ac etiam humiditas continuans ipsum corpus, vt in spongia, lana & huiusmodi.

De reliquis simplicium differentiis pro perfecta ipsorum cognitione substantiæ & essentiæ.

CAP. VIII.

9. *Scissile.* QVod scissile est & non scissile, hoc loco succedit declarandum, cum alia octo declarauerimus. Scissile ergo est id, quod fere diuiditur vltra id, quod scindens intendit, vt patet in lignis exiccatis, quæ per longum diuiduntur. Cuius causa est extensio pororum ac series meatuum per longitudinem. Quando autem res non est prædita hac serie continuata meatuum, qui meatus debent etiam aliquam amplitudinem habere, neque esse repleti viscido humore, tunc, vt in lignis viridibus apparet, non facile scinduntur; quoniam ligna viridia cum non habeant illam seriem meatuum, per longitudinem ac viscıditatem humorum, difficillime scinduntur. *Non scissile.* Non scissile ergo erit, quod meatus repletos habet humiditate viscida ac etiam crassa, vel meatus non habet per longum ordinatos.

10. *Formabile.* Decimo loco est formabile & non formabile; Formabile est id, quod in quemcunque situm ac figuram diduci potest, vt patet in cera. Illud autem erit: quod simul partes coniunctas ac continuatas seruat. Causa huius est humoris viscıditas ac crassitudo permixta cum terrea substantia: nam quæ mollia ac humida sunt, facile formantur: quæ vero sicca, minime. Causa ergo quod res formabilis sit, ea est, quia humiditate crassa & viscida prædita est, quæ tamen humiditas optime permixta est cum sicco terreo; suscipit autem figuras has partibus continuis manentibus.

11. *Dilatabile.* Succedit vndecima differentia, dilatabile scilicet & non. Dilatabile est id, quod in maius spatium secundum latitudinem diduci potest, à comprimente & concutiente, vt æs, plumbum & cera etiam. Si enim comprimatur valide æs, extenditur in latitudinem, vt plumbum ipsum, huius causa est lentor ac humoris viscıditas cum reliqua pororum multitudine. Et in hac dilatabilitate requiritur, vt partes simul maneant ac continuatæ: nam quæ carent hac crassa humiditate, non possunt dilatari.

12. *Teribile.* Duodecima differentia est teribile & non. Teribile est illud, quod in terreum puluerem facile redigi potest compressum; talia autem sunt arida omnia ac valde exiccata; vt pumex & alia huiusmodi exiccata. Cuius causa est siccum terreum omni fere humiditate priuatum: nam patet, quod ea ratione herbæ, flores ac radices non possunt conteri, nisi exiccentur. Quædam vero sunt, quæ humiditatem adeo tenacem habent, vt à sole vel corpore calefacienti exiccari non possint, ac nisi comburantur, in puluerem redigi nequeunt, vt est lana, spongia & similia. Causa ergo huius conteribilitatis erit siccitas terrea: illa vero, quæ hoc carent, non teribilia dicuntur.

13. *Elixabile.* Decimatertia differentia est elixabile & non. Elixabile illud est, quod ex feruenti liquore per profundum penetrare potest ac coqui. Ex liquore dico aqueæ substantiæ vel alterius corporis aqueam formam habentis. Huius causa est meatuum amplitudo: congeries,

geries, multitudo, profunditas ac præsentia elixabilis & coctilis humoris: nisi enim intus hunc habeant, non possunt coqui. Hinc est, quod quæ humore sunt intus prædita, meatibus tamen careant, elixari non possunt, vel habeant ipsos valde angustos, vt in ossibus patet, quæ humiditatem habent, & tamen non coquuntur, si imponantur ad coctionem, quod est ratione meatuum obstructionis. Hinc est, quod spongiæ elixari non possint, quoniam non habent humorem elixabilem, quamuis meatus ampliores habeant. Quare ad hoc, vt res elixabilis sit, requiritur vt habeat meatuum copiam, ac humorē elixabilem contineat. Non elixabile autem erit id, quod his meatibus ac humoribus caret.

Quartodecimo loco est vaporabile & non. Vaporabile illud est, quod in vapores 14. *Vaporabile.* seu halitus humidos à calore redigi potest; talia sunt aquea substantia prædita, & quę magis humida sunt ac mollia, magis vaporosa sunt. Hinc est, quod corpora puerorum vaporosa sunt magis quam senum, quoniam molli substantia præditi sunt. Hinc est etiam, quod corpora senum non sunt vaporabilia, quoniam exiccata sunt. Et hinc est, quod aqua, quæ tota humida est, tota etiam in vapores resoluitur, perseuerante actione caloris. Non vaporabile ergo erit id, quod humiditate aquea penitus destitutum est; Talia sunt fictilia ac lapides seu lapidea omnia ac reliqua siccissima.

Quintodecimo loco est cremabile & non. Cremabile est id, quod ab igne ita euincipotest, vt in cinerē etiam vertatur. Huius causa est conueniens meatuū amplitudo, multitudo & profunditas, ac præterea humiditas quędam & ita mixta cum sicco terreo, vt ab igne comburi possint, quoniam ignis non potest perdurare, nisi humiditas adsit qua alatur. Quare si humiditas hæc ita mixta sit cum terreo in corpore aliquo, hæc talia corpora cremabilia erunt. Non cremabilia vero sunt, quæ carent meatuum amplitudine, multitudine ac profunditate, ac non habent humiditatem illam mixtam cum terreo, talia sunt lapides, qui non possunt à calore vinci, quoniam non habent humiditatem illam: at lapides, ex quibus calx fit, habent maximam amplitudinem meatuum, qui etiam per longum & per profunditatem corporis ducuntur, ac etiam tantum humiditatis habent, vt ignis formam recipere possint, ideo cremari possunt ac in cinerem veluti verti, vt in calce patet. 15. *Cremabile.*

Decimosexto loco est inflammabile, quod est id, quod igni admotum, halitum emittit: qui in flammam accenditur; talia sunt palea, stupa, ligna subtilia, ac valde siccata 16. *Inflammabile.* & huiusmodi. Ista enim statim igni admota flāmam gignunt ac in ignem vertuntur. Huius autem causa est, quoniam cum sicco terreo mixta est optime multa humiditas aerea, quæ propter affinitatem quam habet cum igne, in causa est, vt statim res accendatur; quod patet in oleo & pinguedinib. quæ consumuntur, ita tamen vt non remaneat cinerītium corpus, vt contingit in cremabilibus, quæ multa substantia terrea prædita sunt. At inflammabilia paucum terrei habent, at multum aereæ substantiæ. Hinc est, quod aliqua cremantur tantum & non inflammantur, vt corpora aerea; quædam vero inflammantur tantum & non cremantur, vt oleum & pinguedines; Quædam vero simul cremantur & inflammantur, sed prius inflammantur, postea cremantur, quia hanc vtramque causam optime mixtam habent, vt pix, quæ cito flammam emittit, ac postremo cineres relinquuntur, quia vtraque substantia prædita est, ac inflammatur primum pars aerea: deinde pars terrea relinquitur quæ crematur. Alia sunt, quæ neque inflammari neque cremari possunt, quia neque meatuum amplitudinem habent, neque multitudinem ac profunditatem eorum, neque humiditatem ac substantiam aeream, vt sunt corpora maxime siccata, vt omni fere humiditate destituta sint, vt lapides, maxime densi, carentes omni prorsus meatuum amplitudine.

Decimoseptimo loco est suffumigabile & non. Suffumigabile est id, ex quo ex co- 17. *Suffumigabile.* ctione caloris habitus tenuis eleuatur ac odorabilis. Cuius causa est optima permixtio ac attenuatio tenuis substantię cum humido aqueo & aereo, ac in halitus resoluitur, qui odorabiles sunt, & modo grati, modo ingrati, pro vt conueniunt aut contraria sunt naturæ hominis. Non sunt autem vaporabilia illa, quæ crassa sunt, vel multa humiditate abundant, vt vapor tenuis ex ipso exhalare non possit, nisi vi maxima caloris eleuentur. Habetis ergo differentias omnes simplicium corporum, quibus explicatis potestis considerare, quantam vtilitatem consequi possit ad cognitionem horum, qui hæc omnia notit; quoniam his cognitis, recte ac sine errore ipsis vti poteritis ad sanitatem tuendam & morbum etiam pellendum.

De iis, quæ veluti actu materiam informant. CAP. IX.

CVm declarauerim superius ea omnia, quę sunt veluti potentię corporum simplicium, nunc modo declaranda sunt illa, quæ veluti actu materiam sunt informantia, vt leuitas, grauitas, raritas, densitas, durities, mollities, lenitas, asperitas, plenitudo, vacuitas, friabilitas, viscidítas, crassitudo denique ac tenuitas. Leue igitur illud esse dicimus, quod sine pondere existit: vel si pondere particeps est aliquo, illud leue admodū est, vt vix sensu percipiatur, & illud est, quod sua natura sursum tendit, & difficile deorsum: tale autem est illud, in quo maior pars leuium elementorum reperitur, quam ipsorum grauium. Quæ ergo plus aeris & ignis habent, illa leuia dicuntur. Graue vero illud est, quod ponderosum est & facile deorsum tendit: quodq; ad ferendum molestum est, (Nam grauia dicuntur, quæ molestia sunt) & plus habet grauium elementorum quam leuium. Segregantur experimento grauia à leuibus, quoniam leuia supernatant aquæ, grauia vero fundum aquæ petunt, nisi in eis detineantur. Aduertendum autem est, quod multa sunt sua natura terrestria, & grauia dicuntur, quæ tamen apparent leuia sensibus, vt pumex lapis, cuius fere tota substantia seu essentia terrea est, & tamen leue sensibus videtur, hoc autem est per accidens, propter scil. raritatem suæ substantiæ: totum enim porosum est, & in ipsis porositatibus plurimum aeris continet, cum tamen sua natura grauis sit; Quoniam si in puluerem redigatur, grauis est, imo grauissimus puluis ipse, quia ex contritione partes aereæ expelluntur, & remanent tantum graues ac terrestres.

Leue quod sit.

Graue.

Rarum autem illud est, quod habet partes distantes adinuicem, & non coniunctas simul; vt dicimus linteum rarum esse, quando filamenta, ex quibus contextum est, non se coniungunt. Densum vero illud esse, quando se coniungunt ac contingunt filamenta, quoniam densum est, quando partes constipatæ sunt ac inuicem se tangentes. Raritatis causæ in corporibus his simplicibus est maior quantitas elementorum illorum, quę rara dicuntur. Sicuti densitatis illorum, quæ densa nuncupantur.

Rarum. *Densum.*

Durum illud est, quod difficile diuiditur in partes ac motui renitens. Et huius causa triplex est, vel scilicet quia ab aliquo calore res exiccata est, vt euenit in lateribus: vel à frigore cōdensata ac constipata: vel quia plenū est corpus ipsum: quoniam potest esse, quod res aliqua mollis sit neq; frigore congelata neq; calore exiccata, & tamen dura; quia corpus eius plenū est, vt in vesica patet tensa, ac pila illa magna, qua ludunt iuuenes; huius autem causa est plenitudo ipsa. Molle autem illud est, quod tractabile, humidum ac fluidum est, & neq; frigore congelatum neq; calore exiccatum, neq; ratione plenitudinis tensum, ita vt comprimi possit.

Durum. *Molle.*

Lene illud est, quod superficiem planam ac æqualē habet, ita vt vna pars alteri non superemineat; Huius causa est humiditas, aquea vel aerea, quādo bene mixta sunt in corpore sicco. Quandocunq; itaque pars aliqua humida est, facile etiam eius partes æquantur, & lene dicitur. Asperum vero illud est, in quo partes non æqualem situm obtinent, sed superficies inæqualis est. Huius causa est maior pars corporis sicci quā humidi; quoniam quando non bene miscentur, tunc fient partes inęquales, tunc est, quod partes terreę asperę sint, nisi remoueantur asperitates. Hinc est etiam quod corpora puerorū ac mulierum lenia sunt ratione humiditatis substantialis & excrementitiæ, quoniā temperamento humidiores sunt fœminæ viris, ita & pueri humiditate etiam excrementitia ratione otii, ac quia non habent tantum caloris. Iuuenes vero exercitio dediti ac senes: qui diuturna caloris consumptione ac humidi radicalis ideo carnes asperiores habent, lenitatis itaque causa est humiditas; asperitatis autem siccitas.

Lene. *Asperum.* *Cur pueri & mulieres habeant carnes lenes: Iuuenes vero & senes asperam.*

Viscidum & friabile. Viscidum illud est, in quo partes tenaciter simul hærent, ita vt ab inuicem diuelli non possint, vt in pinguibus rebus patet, vel in putrescentibus ipsis, in quibus tenacitas adest ac viscidítas. Huius causa est permixtio aereæ humiditatis cum aquea, quoniam quando hæ commiscentur, viscidam quandam acquirit corpus temperaturam, quod patet in aqua, dum putrescere incipit, in qua ampullæ excitantur, quæ difficile disrumpi possunt. Patet etiam hoc, quando miscetur oleum cum aqua, vel aqua cum sapone, vt pueri faciunt, quod est ratione viscíditatis acquisitæ ratione permixtionis substantiæ aereæ ac humiditatis cum aquea substantia. Eadem ratio est, quod in putrescentibus rebus viscíditas excitatur, quoniam à calore extraneo excitantur vapores aerei, qui permiscentur cum substantia aerea, nam fiunt ampullæ atque vesicæ illæ in talibus putrescentibus corporibus.

Viscidum.

Friabile id est quod terreum & sicum est, ac caret prorsus humiditate aerea permixta cum aquea, vt terra ipsa vel lutum ipsum, licet in eo aquea humiditas misceatur: Quoniam

Friabile.

niam ex aquea humiditate non fit viſciditas. Et hoc patet in argilla, quoniam licet ſpecies luti ſit, tamen quia plurimo flatu abundat, ideo viſciditatem habet.

Vacuum. Vacuum eſt, quod in ſe non habet illud, quod aptum eſt habere; vt dolium dicitur vacuum, quia vinum non continet, quod aptum eſt continere, cum tamen vere vacuum non ſit, quoniam aerem continet: non datur enim vacuum in natura.

Repletum. Repletum eſt id, quod habet id, quod aptum eſt à natura habere, vel quod ab extrinſeco impoſitum eſt, vt ſi dolium repleatur lapidibus.

Craſſum. Craſſum illud eſt ac eſſe dicitur, quod nõ facile per poros alterius corporis penetrat. Huius cauſa eſt vnio ac tenacitas partiũ, quę partes ita mixtę ſunt, vt vna alteram in tranſitu impediat. *Tenue.* Quæ autem habent partes tenues ac ita diuiſibiles, illa tenuia dicuntur, vt ſeparatę ingredi poſſint vna alteram, licet anguſti ſint meatus: Quia tamen res diuiſibilis eſt in minimas partes, illa res tenuis eſt. Habetis ergo explicationem differentiarum à materia, quæ ſunt tanquam aditus ad alia.

De differentiis à forma ſumptis & quid ſit forma. CAP. X.

Forma quid. EXplicatis medicamentis à materia medicamentorum ſumptis, explicandæ veniunt illæ, quæ à forma ſuſcipiuntur, quæ forma ſubſtantia eſt ac temperatura ex mixtione elementorum ad certos actus ſecundum ordinẽ diſpoſitos. Cum ergo temperatura ſit forma, quot erunt temperaturæ, tot etiam erunt differentiæ formarum ipſorum medicamẽtorum. Aut enim æqualis eſt aut inæqualis. *Differentia à forma, quæ & quot ſint.* Nam quæ æqualem temperaturam habent, à noſtris temperata dicuntur: quæ vero inæqualem, intẽperata. Quæ autem intemperatæ ſunt, aut compoſitæ ſunt aut ſimplices, atq; ita nouem erunt formarum differentiæ ſimplicium medicamentorum, quæ à temperatura ſumuntur. *Notandum circa qualitates.* Notandum tamen eſt, quod medicamenta dicuntur vel calida vel frigida in ordine ad corpus humanũ, quatenus ſcil. ſunt nutrimenta: nam quia ſunt nutrimenta, referuntur ad corpus humanũ; ita medicamenta quatenus ſunt vel calida vel frigida, referuntur ad corpus humanũ. Poteſt, n. eſſe q. in ſuo genere medicamentũ aliquod ſit temperatũ, & tamẽ ratione corporis nõ ſit tale; quare dicẽdum eſt in reſpectu ad corpus humanũ aut temperatũ aut intemperatũ. Aliud pręterea notandũ, quod qualitates iſtæ in medicamẽtis ſimplicib. aliter quã in corpore cõſiderantur, quoniã facultates hæ dupliciter in corpore reperiũtur, aut. n. actu reperiũtur, aut poteſtate, ita vt aut ſtatim aut pro tempore agant, at in corporib. actu ſunt, ſicuti dicimus, in elemẽtis has qualitates eſſe actu, vt in medicamentis hoc nõ eſt, quoniã erit medicamentum aliquod actu frigidũ in ſuo genere, quod tamẽ relatum ad corpus erit calidiſſimũ, ſiue, vt rectius dicam, poteſtate calidiſſimũ: vt exempli gratia, piper, quod non apparet ad actũ neq; ad tactũ calidum, ſed applicatũ corpori, aut intus aſſumptũ feruens eſſe videtur: nam medicamẽta talia dicuntur poteſtate, non autẽ actu. His ſtantib. vel tẽperata ſunt medicamẽta vel intemperata. Si temperata ſunt, nullam actionem inferunt corpori humano, quoniã neq; frigefaciunt, neq; calefaciunt, neq; humectant, neq; exiccant: nam ex his corpus humanũ temperatum ſeruatur, vnicũ autem eſt hoc & ſimplex medicamentũ. *Intemperatum medicamentum multiplex.* Intemperatũ vero eſt multiplex: nam vel ſimplex eſt vel compoſitum, & ita quatuor ſunt differentiæ, in quibus multi ſunt gradus; quædã enim magis, quædã minus calefaciunt. Ideo reperti ſunt quatuor gradus actionum in ſimplicib. ab ipſis Medicis. Cum itaq; medicamenta in primo gradu ſunt calida, coctiones iuuant, & actiones perficiunt, atq; non excitant calorem igneum: nam ipſum calorem innatũ deſtruere non poſſunt, ſed potius iuuare; *Medicamenta in primo gradu calida.* & talia ſunt abſynthium, chamæmelũ, amygdalæ dulces, bugloſſum, eupatoriũ, quæ poſſunt actiones augere & non deſtruere. Quæ vero in ſecundo ordine calefaciunt, attenuant, rarefaciunt, penetrant etiã magis: quoniã participant veluti igneo calore, vt apium, anethum, maſtiche & nux muſcata; hæc enim ad ſecundum gradum deueniunt caliditatis & non vltra. Quę autem tertio gradu calida ſunt, non tantum calefaciunt, attenuant ac incidunt, rarefaciunt ac penetrant, ſed corpus etiam colliquant, incaleſcunt, & nocumenta ipſis corporibus inferunt, vt eſt abrotanum, ammi, cuminũ, cinamomum & origanũ, quæ talia ſunt, vt poſſint etiam corpus ad tabem deducere conſumendo humidum radicale. Quæ autẽ quarto gradu ſunt calida, comburunt, mortificant calorem innatum, vt eſt allium, euphorbiũ, ſinapi & huiuſmodi quę vltra hęc nocumenta dicta veſicas etiã attollunt in corpore.

Frigida. Frigida etiã in quatuor gradibus ſunt. Quæ in primo ſunt frigida, calorem innatum aliqualiter debilitant, ſeu actiones ipſius corporis imminuunt refrigerando, ita vt non perfecte atque tam cito proprium finem poſſint attingere, quoniam retardantur actiones naturales ab his; tale eſt hordeum, poma, pyra, roſæ, attriplex & huiuſmodi, quibus ſi frequentius vtamur, actiones poſſunt debilitari. Quæ vero ſecundo ordine ſunt frigida,

non tantũ debilitare possunt actiones, sed calorẽ obtundũt ac crassefaciunt, & etiã crudorũ humorũ copia ex his generatur. Nã necesse est postea, vt & ipse calor obtundatur, & actiones impeditę remaneãt, talia autẽ sunt cucurbitę, lactuca, acacia, plãtago, phylliũ &c. Quę in tertio sunt frigida, nõ tantũ incrassant, sed astringũt etiã intrinsecos meatus, ac succũ naturalẽ exprimunt, distributiones alimenti ꝓhibent ratione astrictionis, sensus stupefaciũt, ac in corpore plumbeũ colorẽ inducunt, talia sunt camphora, hyoscyamus & alia. Frigida in quarto non solũ frigefaciunt, sed cõgelant humores corporis, ac calorẽ extinguũt, & tãquam venena corpora interficiunt, talia sunt cicuta, papauer, opiũ & huiusmodi.

Humida.

Quæ vero humectãntia, sunt in quatuor etiã gradus ratione variorũ temperamentorũ distributa. Nam quæ in primo humectant, leniunt corpus ac lubricant, & talia sunt, buglossa, endiuia, malua, glycyrrhiza. Quę in secundo, laxant humores, ac temperamentũ naturale imbecillius reddũt, vt atriplex, lactuca, portulaca & huiusmodi. Quę v. in tertio sunt humida, languidũ & torpẽs corpus reddunt: nã nauseę, vomitus, lienterię, & fluores alui sequuntur; talia sunt cucumer, succus lactucę, cucurbitarũ, portulacę, qui succi longe frigidiores sunt q̃ substantia ipsorũ, quoniã corpus totum ipsorũ diuersas partes habet, quarũ vna altera temperatur. Quæ quarto sunt ordine humida, suffocant calorẽ, & venena sunt, vt hydrargyrũ, ꝙ est venenũ.

Sicca.

Exiccantia similiter in quatuor gradus disponũtur. Et quæ sunt in primo, secundo & tertio gradu exiccantia, omnia exiccant, sed quæ in primo sunt exiccantia, potius corroborant actiones sensitiuas ac motiuas, quã destruant. Quoniam actiones sensitiuæ & motiuæ in corporib. perficiunt ratione & beneficio neruorũ, qui cũ habeant siccũ tẽperamentũ, ideo à moderate siccis iuuantur ac firmiores redduntur, ab humidis v. obtũduntur; talia sunt chamęmelũ, fœniculũ, brassica, crocus & huiusmodi, q̃ humiditati resistunt labefactãti. Quę v. secundo ordine exiccant, manifeste ligant sensus nostros, ac adstringunt, vt cotonea mala, lentes, mastiche & huiusmodi. Quę tertio ordine exiccant, non tantũ ligant sensus, sed meatus angustiores reddũt, humorumq; transitus impediunt, ac excretiones inhibẽt, nimis exiccando, succos à corporib. exprimunt, vt aloe, acetũ, sal, piper, cuminũ &c. Ideo ab horũ frequẽtatione cauendũ est, quando excrementis plurib. refertũ est corpus, quoniã cum ita repleta sunt corpora, possunt etiã humorẽ radicalẽ exprimere.

In quarto.

Quæ quarto ordine sunt exiccantia, eadẽ faciunt, sed etiã ita constringunt, vt omnes meatus impediantur, vt neq; spirituũ transitus per meatus fieri possit; talia sunt ruta syluestris, alliũ, nasturtiũ ac sinapi, quę ad mortẽ deniq; deducere possũt illũ, qui his frequẽtius vti consueuerit.

Qua ratione ac methodo vniuscuiusq; medicamenti facultates possint dignosci. CAP. XI.

CVm omnes differentias ab essentia medicamentorum acceptas habeatis, tam eas scilicet quæ à materia sumi possunt, quarum quædam erant veluti potentiæ, quædam vero veluti actus materiam informantes, quam eas quæ à forma desumebantur; sciendum est, quod non sufficiat ita discurrendo ac contemplando rerum species cognoscere ad differentias distinguere, cum Medicus sit artifex sensatus, atq; speculationem suam ad operationes dirigat, atq; necessario circa singularia versetur, ideo methodum quandam habere oportet ac instrumentum aliquod, quo facultatem propriam vniuscuiusq; medicamenti vtentes cognoscere possimus.

Medicus à quibus instrumenta sumat ad naturas rerum inuestigandas.

Cum ergo, vt diximus, Medicus sit artifex sensitiuus, instrumenta ad naturas rerum inuestigandas à sensu sumit: sensus autẽ numero quinque sunt, & ex his quidam actu vt fiãt instrumenta ad naturas rerũ inuestigandas apti sunt, quidã vero inepti.

Auditus nõ potest præbere fidem circa naturã medicamentorum.

Auditus enim fidem præbere non potest circa naturam & temperamẽta medicamentorum, quoniam pro obiecto habet voces, quæ ad libitum hominum sunt, qui falsa & vera dicere possunt: quare ex hoc fides certa naturæ medicamentorum haberi non potest. Reliqui quatuor omnes possunt ex certa via exacta cognitionem tradere medicamẽtorum ac naturarum simplicium ipsorum, sed ex quibusdam magis certam, vt per tactum & gustum, ex quibusdam vero minus, vt per gustum & per olfactum. Verum quia etiam ex his quadã coniectura id assequi possumus, ideo de his quatuor omnibus verba faciemus.

Ex sensibus qui magis & qui minus seruiãt ad inuestigandas rerum naturas.

Quomodo autẽ per sensum tactus haberi possit, dico hoc simpliciter fieri posse: Quædam enim sensui tactus statim & primo occursu se manifestant; quædam vero temporis interuallo. Quæ statim occurrunt, sunt illa, quæ diximus esse tanquam actus informantes materiam, vt lenitas, asperitas, raritas, mollities ac huiusmodi. Possumus enim nos de his statim afferre iudicium certum adhibita manu, & ex his quosnam affectus in corporibus inducere possint, indicare. Ac præterea formæ elementorum tactui statim patefiunt, vt aerem humidum, terram siccam, ignem calidum & aquam frigidam esse: Quorum vero qualitates in potentia sunt & non actu, in his vires & qualitates in potentia tantum existunt, nec possunt actionem producere, nisi à calore de potentia ad actum deducan-

ducan-

ducantur: Ideo non ſtatim ex his iudicium afferre poſſumus, qualia ſint & quale eorum temperamenrum, ſed tẽporis ſpacio indigemus, quo poſſit de potẽtia ad actũ deduci qualitas à calore innato. Vnũ aliud notandũ, quod ſcil. cũ faculrates iſtorũ medicamentorum multos habeant ordines & gradus, vti diximus in pręcedenti capite, quod non ſtatim neq; ita facile affectus iudicare poſſumus eorũ, quę primo gradu harũ qualitatũ ſunr prędita, tactu ipſo, eo quia debilis ſit vis medicamẽti, cũ vnico gradu temperamentũ corporis excedat, ita vt nõ poſſit valide imprimi, ſed longo tẽporis ſpatio percipitur; vt ſi quis ptiſana vtatur refrigerãte in primo gradu ac humectãte, nõ facile ac ſtarim percipit ipſam frigiditatẽ ac humiditatẽ, cum minimo exceſſu excedat tẽperamentum humidũ: quare cum non percipiatur ſtatim, nõ ob id negandũ eſt eſſe frigidũ vel humidũ, quoniam ſpatio temporis hoc patefiet. Diligentes itaq; eſtote in hoc. de dignotione autẽ horũ medic. quantũ ad has qualitates attinet, quę ſenſu tactus cognoſci poſſunt, in lib. de ſim. med. fac. agit Gal. ac in li. de aliment. quare ipſos legere poteſtis. Sed alius ſenſus ex quo talẽ naturã percipere poſſumus, guſtus eſt, de quo neq; à calido neq; ab aliis exquiſitã rationẽ habetis, quare de hoc diffuſius agem⁹. Guſtus eſt ſenſus maxime annexus humanæ tẽperaturę & iſtorũ omniũ ſubſtãtiæ. Quoniã ſicut ex debita proportione elementorũ ſunt, ita ſenſus ſaporis diuerſus eſt. Cum ergo ex iiſdẽ principiis oriatur ſaporis eſſentia, ex quib. oriũtur temperamẽta omnium iſtorum ſenſuum ac etiam humani corporis, quare ex hoc ſenſu facile diiudicare poſſumus; quare cum temperaturę æquales ſint vel inæquales, ita ſaporum quidam medius eſt, quidam exuperans; qui exuperant excedunt vel per caliditatem, vel per frigiditatem: Qui autem exuperant per frigiditatẽ, vel ſunt cum dominio terreę ſubſtantiæ vel humidi aquei: qui autem cum dominio terreæ ſubſtantiæ exuperant, vel paruum calorem habent, vel priuata ſunt prorſus calore. Si priuata ſunt calore; ſequitur ſapor acerbus, in cuius ſubſtantia dominatur ſiccũ terreũ ac frigiditas ipſa, & ob id maxime adſtringens eſt, & cũ terreus ſit, põderoſitate ſua vſq; ad ventrẽ linguę penetrat. Si vero nõ ſit omni calore priuatus, ſed ſit aliqua permixtio caloris, vt terreitatẽ attenuare poſſit, auſterus fit ſapor, in quo terrea ſubſtãtia magis tenuis eſt, ac accedit aliquantulũ ad caliditatẽ. Si vero in mixto vna cũ frigiditate exuperet humidũ aqueum cũ aliquali calore, quia tamẽ paruus eſt, cũ tamen poteſt agere magis in aquea ſubſtantia quã in terrea: ideo in hoc ſapore aliqualem coctionẽ humoris habemus; & hic eſt ſapor acidus, qui in frigida ſubſtãtia eſt; ſed cũ permixta ſit aliqua portio caloris, generatur ſapor aptus ad penetrationẽ ac vſq; ad profundũ linguę, & abſtergens eſt ac adſtringens, & in materia humida fundatus ac aquea. Hi ſunt tres ſapores per frigidũ exuperantes à medio temperamento ipſorum. In ſequenti autẽ capite perficiemus materiam hanc, quæ difficilis eſt, quia Galenus & Ariſtoteles in hoc diuerſi eſſe videntur, hos tamen non diſſentire inter ſe oſtendam.

Notandum circa facultatum gradus, quod nõ poſſint ita facile & ſtatim cognoſci affectus.

Guſtus præſtantia.

De quibuſdam difficultatibus circa ſenſum Guſtus & quomodo Galenus & Ariſtoteles de hoc inter ſe reconciliari poßint. CAP. XII.

DE ſapore cœpimus in præcedẽte capite agere, verũ quia aliqua pretermiſimus, à principio incipiemus hoc modo. Saporũ quidã eſt medius, ęqualis ac tẽperatus, quidã intẽperatus, inęqualis ac extremus. Medius eſt, qui nulla ſenſatione triſti, ſed potius cũ delectatione ſenſum afficit, & talis eſt ſapor dulcis, qui delectabilis eſt his, qui naturaliter affecti ſunt. At talis ſapor hãc habet latitudinẽ; nam quidã vere, proprie ac ſimpliciter medius & tẽperatus eſſe dicitur, & eſt ille, in quo ex tẽperata qualitate optima dulcedo generatur, ac omnib. grata; talis .n. ſapor, in quo eſt hæc optima dulcedo, ęqualis ac proportionatus tẽperamento æquali corpori dicitur & eſt. Quidam vero declinat ab hoc medio, & declinat aut caliditatẽ aut frigiditatẽ verſus. Si verſus frigiditatem, dupliciter; ſi .n. primo ſit ſapor parũ declinans, fit ſapor aliqualis ipſius dulcedinis particeps. Si vero multũ declinat, fit inſipidus, vt eſt aqua, quæ tamẽ dulcis dicitur. Si vero declinet ab iſto medio exacte ac perfecte verſus caliditatẽ, duo ſapores generãtur, prim⁹, in quo immenſa dulcedo reperitur, vt in ſaccharo duro, quæ nõ eſt ita omnib. grata, vt pfecta illa dulcedo; quidã .n. ſunt, qui hac dulcedine ſacchari nõ delectãtur, vel declinat ſapor iſte medius dulcis p maiorẽ declinationẽ verſus calidũ, & tunc coniungitur dulcedo cum alio ſapore, vt eſt mellis dulcedo, quę cum acredine coniungitur ratione immenſioris caloris; & ita habetis medium perfectiſſimum. Quæ autem perfecta fortaſſe inter has eſt dulcedo pinguedinum illarũ. Declinando vero a medio vltra dulcedinẽ mellis, nõ reperitur ali⁹ ſapor, qui medius dici poſſit, quoniã in eo immenſa caliditas percipitur, vel intemperati, inæquales & extremi ſunt ſapores. Intemperatus autem duplex eſſe poteſt, vel .n. per frigidũ à medio recedit, vel per calidum: ſi per frigidũ, dupliciter, vel ſ. dominante terreo cũ frigido, vel humido aqueo vel cũ ſicco terreo. Si cũ ſicco terreo, vel ſiccũ terreum eſt cũ ſumma quadã frigiditate, ſiue cũ omni

Dulcedo ſacchari duri.

Mellis dulcedo.

ea frigiditate, cum qua coniungi poteſt: quoniā neceſſe eſt, omnes qualitates concurrere ad generationē ſaporis, ſed dicimus non dominari caliditatē ſupra frigiditatē, ſiccitatemq; ſupra humiditatē: nam ſi eſt dominiū frigiditatis ſupra caliditatē, fit ſapor acerbus, in quo remanet ſtipticitas, quę ex terrea ſiccitate depēdet: Ideo ſtipticat hic ſapor ac ad profundū penetrat. Sicco ergo terreo cū frigiditate dominante fit ſapor acerbus. Si vero vna cū dominio frigiditatis ſuperet ſiccū terreū, ſed cū aliquali humore admixto, ſapor auſterus generatur, in quo portio caloris concurrit, qui ſtipticus eſt, cōſtipat ac conſtringit, ſed tantū deficit à ſtipticitate quantū ſuperat in caliditate. Hic autē ſapor dicitur à Græcis συπτικὸς, & ille eſt, qui eſt in fructib. proximis maturitati. Si vero frigiditatis dominiū ſit cū humore aqueo, acidus ſapor generatur, quoniā in ſicco terreo actio caloris debilis non poteſt ita facile imprimi, ſed melius in humore aqueo, ac etiā partes tenuiores ipſius vniūtur, tantū relicto quodā veſtigio vſtionis, fit ſapor acidus, cuius ſubſtantia nō habeat aliquid caloris, penetrat, incidit ac abſtergit; penetrat ꝓpter tenuitatē ſubſtātię; incidit & abſtergit ratione caloris veſtigii relicti. Hi itaq; ſunt tres ſapores, acerb⁹, auſterus ac acidus, duo primi in terreo ſicco poſiti, tertius in aqueo humido: dicamus modo de ſaporib. per calidū excedentibus, ac à medio recedentib. nam hi vel ſiccū terreum admixtū habent, vel humidū aqueum: ſi terreū ſiccum, vel cū ſumma caliditate eſt, quę habet vim exiccandi ac cōſumendi totum humidū, vnde generatur ſapor amarus, qui omnib. fere ingratus eſt, quoniā cum delectemur ſimilib. ac triſtemur diſſimilibus, cū in amaro ſapore ſit cōſumpta omnis humiditas, redditur corpus ingratū, quia ſiccitas eſt inimica naturę. Vita. n. in humido cōſiſtit, ideo amarus ſapor inimicus eſt, quia cōtrarius eſt naturę, cū in eo non ſit humiditas aliqua ob caloris exuperantiā, ac etiam ob exuperantiā ſicci terrei; imo non ſolū naturę humanę inimicus eſt, ſed etiā animalib. omnibus, vt nullū ſit animal, q. hoc tanquā amaro nutriatur. Dominante ergo ſicco terreo vnā cū caliditate intenſa fit ſapor amarus inimicus animalib. omnib. Quę vero pure & ſyncere amara ſunt, valde calida ſunt: quoniā ꝑtingunt ad tertium gradū caliditatis, ſed raro inueniūtur. Si vero nō ſit tanta caliditas cū ſicco terreo cōiuncta, ſalſus ſapor generatur, q. ob acuitatē actionis caloris penetrat vſq; ad ꝓfundū, & quia relictū humidū ipſius mixtū eſt optime cū ſicco terreo, delectat etiā ac deducit ſiccū vſq; ad ꝓfundū ſui tenuitate, ideo appetentiā humidi inducit. Et hi ſunt duo ſapores geniti ex calido excedēte cū mixtione terrei ſicci, amarus ſ. & ſalſus. Si vero vna cū dominio caliditatis ſit etiā exuperātia humidi aquei ſuper terreū ſiccū, cum facilius patiatur humidū aqueū q̄ ſiccū terreū, acris ſapor generatur, qui maxime penetrat ſui tenuitate, exiccat & adurit: Habetis ergo tres alios ſapores, amarū ſ. ſalſum & acrem; & ita omnes ſapores ac eorū differētias, & frigidos & calidos. Vnum autē aduertendū eſt, q. videtur Ariſt. Gal. aduerſari, quoniā contrarietatē Ariſtot. ponit inter dulcē & amarū; Gal. vero inter acrē & acerbū, & dico in re ipſa nō eſſe diſcordiā inter Gal. & Ariſt. licet in voce diſcordes eſſe videātur. Nam cōtrarietas, quę eſt inter dulce & amarū, non repugnat cōtrarietati, quæ eſt inter acrem & acerbū, quoniā hi autores diuerſa reſpexerunt. Ariſt. enim reſpexit delectationē ac voluptatē & triſtitiā & dolorē ideo debet dulce contrariū eſſe amaro. Gal. vero, qui ad vſum omnes actiones in arte medica dirigit, cū actiones inter dulce & amarū non ſint contrariæ: quoniā dulcē saporē poſuim⁹ inter medios ac tēperatos, at amarū inter extremos: at nō eſt magna oppoſitio inter mediū & extremū: quare nō ſunt ex Gal. contraria. At ſi reſpiciam⁹ Gal. qui actiones horū ſaporū reſpexit, ꝓcul dubio ipſum optime ſentire iudicabim⁹, quoniā ſaporē acerbū inter ſapores exuperātes in ſumma frigiditate poſuim⁹, acrē v. inter eos, qui in caliditate ſumma excedunt. Quare excedere in caliditate & excedere in frigiditate ſunt valde cōtraria, ita ergo conciliare poſſum⁹ ac debemus autores iſtos adeo celebres.

Sapores per calidum excedentes à medio.

Reconciliatio inter Galen. & Ariſtot.

De odoratu & odoribus. CAP. XIII.

Videndū eſt nūc, qua ratione ex odore peruenire poſſimus in cognitionē ſimpliciū, cū de his quę ratione guſtus atq; ſaporū egerimus. Odores n. ſequuntur naturā mixti ſicuti ſapor. Quoniā ſicut ſapor cōſiſtit in humido, permixto terreo ſicco, ſic odor cōſiſtit in ſicco terreo euaporato ꝑ humidū: in terreo enim ſicco fūdatur odor, attenuato ac euaporato ab humido: & hęc eſt eſſentia odoris, & vapor odoris eſt aqua tenuior & aere craſſior. Nam quādo ſentimus tertiū odorē, linteū apponimus narib. ex quo linteo tamē non impeditur ingreſſio, ac attractio aeris, ſed ꝓhibetur odor peruenire ad nares. Quare vapor odoris eſt craſſior ipſo aere; ac incerta admodū eſt cognitio de eſſentia ſimpliciū ex odorib. quoniā imperfectiſſimus nobis traditus eſt à natura ſenſus olfactus, ſicuti perfectus eſt guſtus, quod patet ex roſa ipſa, quam ſi olfacimus, ſentimus gratum odorem, & ex hoc iudicamus ſiccum terreum eſſe optime attenuatū ac euaporatū ab humido. At ſi ipſam roſam guſtamus, ſapores diuerſos ſentimus, ex quo conijcimus, diuerſa eſſe temperamenta in ipſa roſa, quoniam guſtus ſenſus perfectiſſimus, olfactus vero imperfectiſſimus nobis à natura tra-

Odor in quo conſiſtat.

Ex odoribus incerta eſt cognitio eſſentia ſimplicium.

ditus eſt. Quare non poſſumus ex odoribus ipſis in cognitionem ſubſtantiæ ſimplicium peruenire, ac præterea propter diuerſitatem ſubſtantiæ poſſumus peruenire in cognitionem ipſorum ſubſtantię ex odoribus, quoniam nõ æque partes omnes in quocunq; mixto exuperare poſſunt ac à calore attenuari: & ideo non ab omnibus partibus mixti deuenit & euaporat odor: quare non perfectam habemus ſubſtantiæ cognitionem ex odoribus, quoniam quędam ſunt partes in mixtis tenuiores, quædam craſſiores: à primis facile deuenit odor, à craſſioribus vero non ita.

Ex odoribus cognitio ſubſtātia quare ſit imperfecta.

Eorum etiam, quæ odorata ſunt, ſcimus fere omnia tenuitatem partium habere & caliditatem: ſed quo in gradu ſit hæc caliditas ſeu tenuitas, ex odore non cognoſcimus. Innoteſcunt enim nobis odores ſub hac communi notione grati & ingrati. Alię vero differētiæ potiſſimũ non ſunt nobis cognitæ, niſi velimus dicere, quod habeamus odores quoſdã à ſimilitudine ſaporum ſumptos, quoniã aliquos odores dulces appellamus ac ſuaues, & amaros & inſuaues: quoniã odor ille inimicus ſit, vel inimicus temperamento naturali hominis. Poſſemus etiã dicere odorũ tria eſſe genera, aliquos videl. veluti inchoamēta odorũ ac veluti materia, vt ſi dicamus inodoris odor, qui proportione reſpondet inſipido ſapori; alios eſſe odorũ fœtidorũ ac putridorũ: tales vero odores ſunt ichores odorũ. Quare eſt inodoris odor ac putris odor, qui extremi ſunt: in medio vero horũ ſunt odores grati tēperamento humano: ac eorũ nomenclaturæ, ſpecies ac differentiæ ſunt incognitæ propter diuerſitatē partium in mixtis exiſtentiũ, ac propter ſenſum olfactus debilē & imperfectũ in homine. Quare ex odoribus non poſſumus perfectã ſimplicium cognitionem habere.

Odores ſub qua notione nobis ſint noti.

Ex viſu autem forſan longe minus, quam ex odorib. tum quia cum quacunq; ſpecie coloris omnia tēperamenta poſſunt reperiri: quædã enim alba ſunt, quę frigidiſſima ſunt; quædam vero alba, quæ calidiſſima, vt calx: quare ex colore non poſſumus tēperamentũ ſimpliciũ cognoſcere. Præterea colores indicant diſpoſitionē corporis, quæ in ſuperficię eſt, non autem illius, quæ in profundo exiſtit. Quare in ſuperficie tantum diſpoſitionē exteriorē ex colore habere poſſumus, non autem profundiorē. Non ſunt tamen prorſus ſpernendi odores ac colores in re medica: plurimũ enim inſeruiũr nobis ad diſpoſitionem naturę mixti cognoſcendã: quoniã ſuauis odor optimã concoctionem ac attenuationē ſicci terrei cum humido indicat: putris vero odor magnam in re corruptionē eſſe denotat.

An color prabeat cogustionem ſubſtantia.

Ex colore etiam ſeplaſiarii cognoſcunt, an ſimplicia ſint rectē diſpoſita. Colores etiam in ęgris dominium humorũ indicant: ſi ruber, ſanguinis, ſi albus, pituitæ, ſi liuidus, melancholię, ſi flauus, bilis cognitionē affert: quare ex coloribus & odoribus aliquam cognitionem licet imperfectam habere poſſumus. Reliquum eſſet, vt ad actiones & facultates ſimplicium certas accederemus: ſed antequam ad hæc deueniam, eſt dubitatio, cum in præcedenti diximus, maximam eſſe ſimilitudinem inter ſapores & temperamenta ſimplicium, ob id dubitatum eſt, quoniam multa ſunt odore & ſapore delectabilia, quæ non ſolum temperamentum proprium lædunt, ſed etiam interficiunt, quod habetis ex Theophraſto lib. 9. de hiſtor. plantar. qui dicit, multas eſſe radices odoratas, quæ tamen interficiunt. Ipſum ergo videre poteſtis, vt ad rem noſtram magis accedamus & citius.

De Methodo applicandorum medicamentorum. CAP. XIIII.

CVm declarata ſit hactenus tota ſimplicium medicamentorũ eſſentia, videndũ eſt modo, qua via ſingula medicamenta ſingulis humani corporis partibus applicanda ſint. Diximus autem in principio tractationis huius, eam quam Medicum decet rationalē tractationem medicamētorum aggredi, quo poſſit ſanitatem reſeruare & morbos depellere. Diximus quin etiam multiplicia eſſe ſimplicia; ſed ſimplex, quod medica materia dicitur, eſt corpus naturale nulla arte compoſitum, quod poteſt accommodari ratione ad ſanitatem tuendam & morbos expellendos. Diximus poſtea, q̃ cognoſcãtur ex tota eorũ eſſentia percepta, quæ eſſentia eſt tēperatura ipſorũ, quare neceſſum eſt deuenire ad tēparaturam dignoſcendã, quam etiam tradidimus per qualitates, accidētia & huiuſmodi: Quarũ aliquę ex parte materiæ, aliæ ex parte formæ ſe tenent. Dico igitur quod cũ medicamēta vſu veniant in facultate iſta ad morbos expellendos, quæ facultas eſt therapeuticę ſubiecta, videndũ eſt, quomodo morbi expelli poſſint. Expellũtur autē triplici inſtrumēto, chirurgia nēpe, diæta, ac pharmacia. De primis duobus ſermonē omittimus, & tantũ de applicatione medicamentorũ agemus, & de ipſis ſimplicib. tantũ tractabimus. Quare dico, cũ iſte ſit finis noſter, vt ſcil. morbos expellamus, & expulſio ſit in genere motus, qui motus ſit per contraria: quare per contraria morbi expelli debent: quæ contrarietas inter qualitates eſt, quarũ aliquæ naturã corporis, aliæ materiæ conditiones ſequuntur. Quæ materiæ cōditiones ſequuntur, ſeptē eſſe differentias diximus, vt poteſt videri ex principiis huius tractationis noſtræ, quare videndum eſt, quomodo applicanda ſint medicamēta contraria.

Epilogus dictorum.

Finis Medici in tractatione de ſimplicibus.

Methodus applicandorum medicamentorū.

Si ergo sit corpus immodice rarefactum, ita, vt actiones eius impediantur, si contraria cōtrariis curantur, cōdensantia erunt applicanda. Sed qua via hæc inueniemus? Iam hoc declaratum fuit, cum diximus, quod ea dicantur esse rara, quæ poros habent plures in sui substantia ac amplos. Cum ergo corpus nostrum valde rarū fuerit, inuenienda sunt medicamenta, quæ coarctent illa, quæ nimium dilatata sunt, & quæ obstruant nimium aperta. Hæc autem quænam erunt? Ea enim quæ sapore acerba sunt & austera optima erunt ad hanc obstructionem & constructionem. Sed qua ratione id efficiunt? Considerate naturam ac temperamenta ipsorum, quoniam quæ austera sunt & acerba terrestria sunt ac frigida, ideo possunt cōmprimere, incrassare, constringere & obstruere. Si vero corpus non nimia raritate sed densitate nimia sit affectum, ita vt impediantur eius actiones, vt quādo obstructa sunt viscera interna vel ab humore implente meatus, vel à frigiditate cōprimente. Quare medicamenta, quæ vim habent attenuandi & aperiendi, qualia sunt calida in secundo gradu & quę vsq; ad tertium accedunt, quoniam possunt incidere, attenuare & aperire, optima erunt. Cognoscetur autē tale medicamētum ex sapore acri ac mordaci, quoniā calore igneo medicamenta hæc prædita sunt; ideo per quamcunq; viam vsq; ad profundū penetrare possunt, dilatant, exobstruunt, aperiunt & attenuant talia medicamenta. Si vero corpus induratum sit nimium, reuocare in memoriam oportet ea, quæ dicta fuere de duritie; quæ medicamenta, quoniam à multis causis talia fieri diximus, vt à condensatione, frigiditate nimia, vt quando ex aqua fit glacies, & hæc proprie congelata dicuntur, quædam vero à calore indurante ac siccante; quædam etiam à frigiditate comprimente & exprimente humidum, vt in lateribus patet. Quædam vero dura dicuntur ob nimiā plenitudinē ac repletionē, vt patet in pila vento repleta ac tensa: Quare distinguendæ sunt species hæ. Si ergo corpus induratum sit à frigore nimio, vt consueuit fieri, quando generatur scirrhus à materia pituitosa, tunc durities prouenit à nimia frigiditate ob congelationem quandam; tunc igitur quæ congelata sunt, opposita sunt iis, quæ dissoluūt, vt patet in glacie, quæ à calore solis dissoluitur. Quare dissoluentia conueniunt medicamenta, qualia sunt, quę moderate calida sunt: quia si scirrhus sit à materia pituitosa ac crassa, si extreme calidis vtemur, resoluemus ac exiccabimus: nam resolutis partibus tenuioribus, crassę indurabuntur magis per introductam à calore exiccationem. Aduertendum est igitur, ne fugientes indurationem à frigore incidamus in indurationem à calido resoluente, quod peius erit. Quare moderate calidis vtendum est, talia autem sunt, vt superius diximus. Ex sapore cognoscuntur moderate dulcia, quoniā dulcia omnia accedunt ad temperamentum. Inter species autem dulcedinis, quæ remissiores sunt, sunt illæ, quæ oleosæ sunt: quare omnia ac oleaginea in scirrho conuenient à materia pituitosa, talia autem sunt olea ac pinguedines animalium moderate calidorū, quæ tamē recentia sint, quoniam si rancida sunt, ex putrefactione maiorem calorem habebunt ac mordacitatē. Quare pinguia recentia, nec sapore extraneo prædita conuenient. Si vero à calore exiccante ac frigore exprimente humidum, induratum sit corpus, tunc id dupliciter fieri potest: vel enim hoc omnino fit, vt accidit in scirrho exquisitissimo, ex toto humido expresso: in hoc autem casu cura desperata erit, si consumptum sit totum humidum, quoniam tunc neque calida conuenient, neque frigida etiam, quoniam ex his indurabitur magis scirrhus: Sed si expressa non sit tota humiditas, tunc nos poterimus aliquam spem habere curationis, licet difficilem, & tunc necesse erit adhibere quæ habent vim resistendi causæ adhuc lædēti, & quod iam factum est, corrigere. Causa autem cum sit calor insignis, ideo frigida conueniunt, quæ tamen exiccantia esse non debent, quoniā augeremus affectum introductū. Medicamenta igitur frigida sint & humida, vt est succus solani, oleum violaceum, oleum rosaceum, licet habeat diuersitatem partium. Sed qua via inuestigari possunt? Ex saporibus hoc habebimus. Ea enim omnia quæ aquea sunt ac insipida, conuenient. Quare talib. infrigidantibus ac humectantibus vtendum est. Si vero ab vtraq; causa sit factus scirrhus, tunc etiam cura hæc desperata est.

Calidorum in secundo gradu vsq; ad tertium facultas.

Conuenientia in scirrho à materia pituitosa.

De Scirrho à quacunq; vel causa vel materia facto. CAP. XV.

CVm omnis Intentio medici circa sanitatis recuperationem verseiur, ideo quomodo applicanda sint singula medicamēta singulis corporis partibus iam diximus ac etiam exposuimus, quod cum multipliciter possit oriri durities, quoniam quandoque à frigiditate prouenit, vt in congelatis apparet, ideo talia per oppositam qualitatem curanda esse diximus, & ideo calidis curabimus. Quando vero aliqua sunt indurata à calore resoluente: cum frigidis procedendū esse. Si vero ab vtroq;, si perfecta sit facta humiditatis expressio, incura-

incurabiles esse hos affectus explicauimus. Sed quoniam quandoq; ob nimiam repletionem fit durities, non autem ob caliditatem vel frigiditatem, vel ab vtraq; causa simul, sed quia aut humore aut flatu nimium repletum est, hæc etiam durities sua contraria qualitate tolletur, nempe euacuatione. Sed hæc multipliciter fieri (& hoc attendatis) & multis rationibus variari potest, quare oportet, vt cauti sitis, quando scilicet hoc modo, & quando illo vti debetis. Quandoq; enim discutientibus, quandoq; abstersione, interdum lubricatione, quandoque compressione, aliquando etiam attractione & solutione euacuamus. Sed quis dicet, vnde rot modi euacuationis hauriuntur? tot modis fit, quoniam, vt corpus repletum sit, necesse est, vt repleatur materia, quæ materia aut hæret in partibus repletis, aut non, aut tenuis est materia & flatuosa, aut crassior & corpulenta. Si tenuis sit & flatuosa, per halitum euacuatur, vt contingit in tympanitica affectione; tunc enim discutientibus vtendum est. Discutientia autem sunt, quæ flatus propellunt, vt sunt & faciunt illa, quæ in secundo sunt gradu calida, vt sunt pulegium, nasturtium, calamenthum & huiusmodi, quę penetrant sui tenuitate & acrimonia, ac discutiunt & expellunt flatus. Si vero materia magis crassa sit ac corpulentior, vel hæret vel non. Si hæret, aut viscida est, & penetrat in profundum substantiæ, vel est in superficie. Si penetrat, abstergentibus validis vtendũ est, quæ incidunt, attenuant & penetrant, vt amara ac salsa omnia. Abstersio enim nihil aliud est, quam expurgatio sordium tenaciter inhærentium. Talis autẽ expurgatio fit cum his, quæ penetrant, extergunt ac expellunt. Talia autẽ vt penetrẽnt, oportet, vt tenuiorum sint partium; talia autem sunt, quæ sui caliditate incidunt, penetrant ac detergunt, vt sunt amara & salsa, in quibus est portio terrei elementi. Abstergunt etiam dulcia, exempli gratia, mel abstergit hac ratione, quia in eo satis insignis adest caliditas, cui' signũ est mordacitas. Dulce enim est mel cum mordacitate; nam in oculo, si infundatur gutta mellis, maxima acrimonia percipitur ac sentitur. Cum autẽ in melle sint partes tenues, propterea penetrat ac sui calore incidit & attenuat: suo vero lẽtore lubricat, ac corpus ad euacuationem aptum reddit. Abstergit etiam saccharum, sed non est in eo tanta caloris vis ac exiccatio vel mordicatio vt in melle.

Euacuatio quot modis fieri possit.

Discutientia.

Abstersio quid.

Resinæ etiam abstergunt: habent enim visciditatem ac lentorẽ ac partes tenues, & vim exiccandi maiorem, quam in dulcibus reperiatur, quoniam in his amaritudo quædam adest, quæ maiorem adustionem ostendit, nam magis abstergere possunt. Abstergere etiam potest ptisana hordeacea, quoniam cum ea aqua est, quę abluit ac excrementa educit. Abstergunt etiam acida, quæ quamuis frigida sint, tamen in eis adest aliqua caliditas: ac quia tenuium sunt partium, ad profundum penetrant, & propter vestigium mordicationis à calore euaporato relictæ abstergunt. Abstergentibus itaq; medicamentis vtendum est, in materia pertinaciter hærente. Sunt & alia etiã, vt pulueres, ratione asperitatis, & eo magis, si ad tenuitatem partium redacta sint aspera: In ipsis enim adest asperitas, quæ secum inuolutas sordes educit, ac humorem imbibunt, ac sui tenuitate penetrant, ideo validissime abstergunt pulueres, & ob id in externis etiam partibus imponimus pulueres. Lomentum etiam seu fatina, vt fabarum, orobi & lupinorum sui tenuitate penetrant, quare chirurgi dum volunt valide abstergere, his vtuntur. Euacuatio itaq; per abstersionem his dictis fieri potest, & tunc potissimum fieri debet: quando ad profundum corporis penetrant & hærent. Si vero materia non ita ad profundum penetret, sed in superficie sint, abluentia tantum satisfaciunt: ideo abiutione egemus, quando in superficie hærentia continentur. Ablutio autem cum humidis, liquidis & aquosis rebus fit; talia autem medicamenta sunt illa, quæ insipido sapore sunt prædita, sapor enim aquosus est sine aliqua qualitate. Si vero materia replens non adhæreat partibus ipsis, neq; leniter neq; pertinaciter.; sed tantum in cauitate existat, tunc istæ cauitates vel distant à viis ductuum, vel non distant; Si non distant, lubricantibus tantum vtemur, vt pinguia sunt ac mollia, vt est oleum maturum, pinguedines omnes, butyrum & huiusmodi, quæ æqualitatem quandam habent ac lentorẽ, ita vt per se ipsa, nisi hæreant, excremẽta subducere possunt: in clysterib' itaq; ad hunc scopum iubemus olea ac pinguedines imponi. Si vero materia sit impacta, addimus mel rosaceum & saccharũ, & alia id genus, quæ valide abstergere possunt. Quod si nõ adsint partes viscidæ ac hærentes, sola lenitione egemus. Si vero longe à viis ductuum distent excrementa, necesse est attractione: talis autem attractio necesse est, quod fiat medicamento vim habente attrahendi ad se ipsum, vt soluentia sunt. In hoc itaque casu, quando humoribus multis repletum est corpus, qui à viis ductuum distent, soluentibus vtemur, quæ habent vim ad se trahendi, & ad vias communes excrementa trudendi. Qua autem facultate medicamenta hæc trahant, aliqui enim à proprietate occulta hoc facere dicunt, quidam sui caliditate, ideo de hac re nos longo sermone tractabimus. Id

Abluentia.

Soluentia qua facultate trahant.

autem nunc attendendum est, quod quandoque ita vnita sunt ista, vt quæ abluunt, abstergunt & trahunt, vt patet in aqua mulsa, in qua propter aqueas partes ablutionem & à melle attenuationem & abstersionem habetis. Quare cum coniungantur hæc simul quandoque, & cum opus sit similibus scopis, attendere his etiam complicatis vti oportet. Sunt etiam alia, quæ compressione euacuant ac adstrictione. Sciendum est, quod hæc non per se sed per accidens euacuant. Quæ enim per se euacuant, sunt dicta. Hæc autem per se non possunt penetrare ac incidere, sed per accidens, quia comprimunt, euacuant, vt sunt citonia mala & huiusmodi, sed hæc nisi post cibum exhibenda sunt, ac nisi prius lenita aluo ante cibum: à cibo vero deinde hæc adstringentia exhibere, quoniam reperient viam paratam à lenientibus, & comprimendo excrementa deinde expellent. Tot modis itaque fit euacuatio, vt audiuistis; de vi modo soluentium tractandum est.

Citonia mala qua ratione euacuent.

De vi ac facultate soluentium. Cap. XVI.

Ante comprimentium exhibitionem emollientia exhibenda esse diximus, quoniam parant fluxionem. Quæ vero euacuant electiue à longinquis, dixerunt aliqui, quod à proprietate occulta id agant: aliqui autem dixere id agere per similitudinem, quæ est inter medicamentum attrahens & humorem attractum; alii vero, vt Auerrhoes, alio modo. Aliqui autem dicunt, quod sola caliditate soluant. Et hanc sententiam attribuunt Galeno dicentes, quod non à qualitate occulta, sed à manifesta fiat euacuatio: quoniam si fiat per caliditatem, manifesta est qualitas. Sed hæc non modo mihi non placent, sed contrarias Galeno esse dico: Quoniam si fieret per caliditatem euacuatio vel attractio, quæ magis calida essent, magis etiam attraherent ac soluerēt: sed multa sunt calidissima, quæ nihil prorsus attrahunt, vt piper, zingiber & huiusmodi, quæ calidiora sunt scammonio & colocynthide, & tamen nihil prorsus attrahunt.

Soluentia an manifesta vel occulta qualitate attrahant.

Præterea si caliditate fieret attractio, nulli dubium quod calidum attraheret, quodcunque sibi obuiam venit; sed hæc electiue euacuant determinatum humorem respicientia, non autem quodcunque proximius reperiunt: imo licet pituitosum excrementum proximius sit viis purgationis, tamen medicamentum aptum purgare bilem, citius ac facilius ipsam bilē trahet distantem, quam pituitam proximam. Bene verum est, quod quando non adest amplius bilis attrahenda, trahuntur etiam alii humores, tamen prius trahetur ad se id, quod valde distans est: quod non fieret, si caliditatis ratione hoc proueniret: quare hæc attractio non fit per caliditatem; patet etiam hoc ex Galeni sententia: Galenus enim in libro 2. de natur. facult. cui sententię contradicunt isti, dicit attractionem non fieri per caliditatem. Sed dicunt isti, omnia quæ educunt, calida sunt, ergo caliditate agunt. Sed argumentum hoc fallax est, non enim valet. Quoniam si verū esset, opus esset etiam, quod omnia calida attraherent, nam non conuertitur: bene verum est, quod caliditas iuuat attractionem medicamenti soluentis aperiendo vias, ac attenuando humores, non tamen quod ea attractio fiat sola caliditate, sed fit virtute propria medicamenti, quæ vel est forma resultans ex mixtione, vel est quid à cœlo proueniens, vel à corporibus cœlestibus per influentiam quandam. Quare dicamus medicamenta soluentia hoc habere à propria virtute formæ.

Redarguūtur dicentes soluentia trahere per caliditatē.

Argumentū contra Galenum & eius solutio.

Medicamēti vis quid sit.

Præterea notandum est, quod omnia illa medicamenta, quæ benedicta dicuntur à Medicis, non ob id benedicta dicuntur, quia leniant, comprimant, vel aliud simile iuuāt, sed etiam soluentia sunt. Quando enim dicitur, quod aloe bilem purgat, floresq; cassiæ humores crassos ac adustos, manna tenues ac serosos, myrobalanorū alii pituitam, alii bilem, & tamen omnia benedicta dicuntur ac lenientia. Et hæc ex electione etiam trahunt, ergo non constrictione vel lenitione trahunt, quoniam deberent hoc modo exprimere quemcunque humorem peccantem: sed isti bilem, isti pituitam educunt, ergo à propria qualitate. Hoc etiam alia ratione patet, quoniam si exhibeatur flos cassiæ vel aloe in magna quantitate, longe magis flores euacuabunt in magna quantitate exhibita, quam scammonium in parua quantitate. Ideo signum est, quod non dicuntur benedicta, quia tantum lenientia sint ac comprimentia: sed ita dicuntur, quia si moderate exhibeantur, moderate educunt, ac molesta non sunt. Et hoc etiam ex Galeno patet: quoniam sententia Galeni est, quod Aloe ni moderate quantitate exhibita non pertransit primas venas, mesaraicas sc. & ita non pertingit ad hepar: quia si quantitas immodica sit, non modo primas venas petit, sed etiam à venis educit maxime remotis, & non solum pituitam, sed alios etiam humores. Quod autem de cassia dixi, idem de aliis etiam intelligi debet.

Medicamēta benedicta cur dicantur.

De

De corpore tractando secundum varias indicationes & eius qualitates actiuas.

CAP. XVII.

SI corpus euacuatum sit, repleri debet: at quoniam vel excrementis vacuum est, vel substantifico humore: Si excrementis est vacuum, hac de causa læsum esse non potest, nec læsionem pati, quoniam excrementorum euacuatio iuuat potius, ac corpus ab ipsa iuuatur, ideo prodest, vt excrementis vacuum sit. Si vero sit vacuum corpus alimento, hoc dupliciter esse potest, vel quia alimento tantum careat, licet ex sua naturali dispositione possit ipsum attrahere ac concoquere: vel eo caret, quia non potest attrahere, vel attractum concoquere. Si potest attrahere, hoc itetum fit dupliciter: vel enim potest attrahere, concoquere & retinere, vel si attrahit, non potest concoquere ac retinere. Si potest attrahere & retinere atque concoquere, tunc nulla alia re eget, nisi vt congruum alimentum exhibeatur, & hæc actio ad diætam pertinet. Si vero corpus attrahit, sed tamen retinere non potest, eo, quia propter raritatem partium alimentum euaporat, tunc occurrendum est, ac facere oportet, vt corpus retinere possit: hoc autem fiet astringentibus constringendo ac constipando partes: possumus etiam obstruentibus seu inuiscantibus vti medicamentis, quæ scilicet sua natura viscosa, suique viscositate poros obstruant & obturent, & ita obstruendo ac teplendo resistemus huic euapotationi. Et quia hanc affectionem sequitur quandoque, & vt plurimum atrophia, in qua fit consumptio partium solidarum, ac humoris substantifici membrorum corporis, tunc, quoniam ita exiccata sunt, vt suis partibus solidioribus careant, & non possint alimentum attrahere, tunc, inquam, valide attrahentibus occurrendum est, quæ sunt ea, ex quibus sinapismi & dropaces fiunt, quorum vsus est, quando potissimum non potest ex nimia frigiditate ob resolutionem spirituum, membrum aliquod attrahere, ita vt vacuum alimento temaneat, in hoc casu dropacibus vtimur.

Si corpus sit vacuum excrementis.
Si sit vacuũ alimento, quid agendum.
Si attrahit sed non retinet.
Atrophia.

Dropaces autem erant medicamenta magis in vsu apud antiquos, quam apud nos, & duplices erant: alii enim ex pice fiebant, & paucissimo oleo mixto, & his calidis totum corpus vel membrum illiniebatur, ex quo calefactio, humectatio corporis, & attractio sanguinis fiebat, & de his loquitur Paulus libro septimo capite decimo septimo, quem potestis videre. Sinapismi vero erant medicamenta ex sinapi confecta. Caricas enim accipiebant, & infundebant in aqua calida, deinde exprimebant caricas, & addebant sinapi, & miscebant ipsum vel in minori, vel in maiore copia, prout opus erat, sicuti ipsi maiori vel minori, debiliori vel validiori egebant attractione, & his sinapismis à centro ad superficiem calorem attrahebant, & maximum ex his beneficium afferebant infirmis.

Dropaces.
Sinapismi.

Quoniam autem de pleno & vacuo mentionem fecimus, dum tractabamus de duro & molli, reliquum est, vt videamus, quomodo mollia corpora curanda sint. Dum autem perfecimus sermonem de duro, & etiam de pleno & vacuo diximus, duplici de causa fieri corpora dura, vel scilicet quia à nimio frigore indurantur, vel quia à nimio calore exiccantur. Ita de molli dicendum est, quod scilicet vel à nimio calore eliquetur, vt patet in cera & pinguedinibus. Si itaq; corpus ex hoc calore ad hanc mollitiem deuenerit, tum refrigerantibus occurremus ac congelantibus. Si vero à nimia humiditate & frigiditate liquefacta fuerint corpora, vt accidit in sale, in tempore humido hyemis: nam sicuti tunc ipsum soli opponimus & igni, ita etiam in corpore mollities ab hac causa, siccitate & calore indurantur.

Corpora mollia quo modo indurãda.

Cum autem ex septem qualitatibus propositis, tria explicauetimus, videlicet de duro & molli, de taro & denso, & de pleno & vacuo, sequitur quartum genus harum qualitatum, quod est crassities & tenuitas. Crassities autem attenuantibus curatur ac incidentibus, quæ calidiora sunt vsque ad tertium gradum, nam rarefaciunt, penetrant, incidunt ac calefaciunt, & attenuant. Ista autem cognoscuntur sapore. Quæ enim acri sapore sunt prædita, talia existunt. Si vero econtra corpora nimia tenuitate affecta sint, incrassantibus hoc faciemus, quę sunt triplicia: nam aut constringentia sunt, quoniam congregant partes in vnum, condensant ac coniungunt & continuas faciunt ipsas partes. Secunda vero sunt viscida, & ratione huius viscitatis replent vacuitates & poros. Tertia vero sunt ea, quæ lentore pręd ita sunt, ita vt repleant, ac pertinaciter hæreant, & ita extreme crassum videtur corpus. Faciunt etiam vnum aliud, quod ligant partes ac connectunt simul suo lentore. Tertio modo crassiora reddimus corpora permiscenda, quæ

De crassitie & tenuitate.
Incrassantia triplicia.

crassa substantia sunt prædita ac sicca permiscendo, vel ergo constringentibus & constipantibus, vel inuiscantibus & replentibus, vel terrestribus ac siccis vtimur ad incrassanda corpora.

Asperitas & lenitas. Sequitur secundum genus; quando sc. corpus nimis asperum est, & tunc occurrimus humidis: Asperitas enim siccitatem sequitur. Sed sunt duplicia humida: quædam enim sunt statim fluentia ac liquida, quædam vero viscidiora. Sed in hoc casu viscidioribus vti oportet, quoniam liquidiora statim decident à parte, & non agent, & ita diutius lentorem seruabunt ac humiditatem hæc viscida humiditate prædita. Si lene autem nimium sit corpus, exiccantibus vtendum est, vt sunt ea, quæ terrestres habent partes ac crassas. *Visciditas & friabilitas.* Sequitur visciditas & friabilitas, quæ ex sexta differentia earum qualitatum, quæ se tenent ex parte materiæ. Cum igitur corpus erit nimia visciditate præditum, cum exiccantibus ac penetrantibus procedendum est, ac illis, quæ faciunt exhalare substantiam aeream, quæ est illa, quæ permixta cum substantia aquea lentorem facit; quare vim penetrandi habentia conuenient, ac exiccantia, & etiam abstergentia, quæ qualia sint, superius diximus. Quæ autem possunt penetrare, abstergere, ac euaporare ac exiccare, sunt ipsa amaro sapore prædita; detergunt enim & exobstruunt. Iam ergo habemus sex differentias declaratas, quæ se tenent ex parte materiæ, & quomodo ipsis occurrere debemus.

Grauitas & leuitas. Remanet septima differentia, quæ amplectabatur grauitatem & leuitatem. Ex grauitate autem corpus nostrum lædi non posse videtur statim maxime, quoniam si nimium graue sit, hoc ex humorib. replentibus, vel crassis, vel tenuibus fit: at quomodo occurrendum sit his, iam dictum est. Leuitate autem lædi corpora non possunt, quoniam talis leuitas non potest esse, nisi ex vacuitate, & tunc vel est excrementis vacuum, quod non nocet, vt dixi: vel deficit alimentum: cui defectui, quomodo occurrendum sit, supra etiam diximus ac declarauimus satis superq; quare nihil aliud restat nobis tractandum circa qualitates actiuas: igitur in posterum de passiuis agemus.

De qualitatibus passiuis. CAP. XVIII.

CVm hactenus egerimus de qualitatibus attinentibus ad qualitates actiuas, nempe caliditatem & frigiditatem, modo conuenit, vt de passiuis agamus: vbi vnum sciendum est, quod licet ex gustu possit aliquod haberi qualitatum passiuarum indicium, non tamen possunt perfecte cognosci, nisi etiam habeatur cognitio qualitatum istarum, quæ se tenent ex parte materiæ, vt est durities, mollities, friabilitas, visciditas & huiusmodi. *Sapores vnde fiant.* Vt ergo rectam cognitionem istarum consequamur, sciendum est, quod sapores fiunt ex permixtione sicci cum humido, & nisi fieret hæc mixtio, sapores neq; fierent: nam dubium non est, quod saporibus mediantibus ad cognitionem harum qualitatum passiuarum deuenire possimus: quoniam quæ sapore prædita sunt, aliqua siccitate prædita esse dicemus. Quæ vero insipida existunt, humida esse dicentur: sed quomodo cognoscetur istarum gradus? Si siccum terreum fundatur in materia crassa ac densa, tunc vel exuperat calor, vel frigiditas: si calor exuperet, sapor salsus oritur, ac ita sapor hic salsus, cum sit fundatus in materia sicca, terrea & crassa, non tantum calorem sed siccitatem significat, quoniam fundatur in materia sicca, terrea ac calore adusta: nam quanto maior est salsedo, tanto maiorem siccitatem esse dicemus. Si vero exuperet calor magis, amarus fiet sapor, & tunc calidiora erunt, & siccitas etiam maior. Hinc est, quod salsa & amara resistunt putredini, quoniam omnia sicca sunt. Putredo enim ex humiditate fit. Nam vestimenta seruamus cum foliis citri, absynthio & huiusmodi: carnes vero conseruamus sale. Si ergo materia, in qua sapor fundatur, sit crassa & terrea, oritur sapor salsus & amarus, qui indicant caliditatem & siccitatem. Si vero siccitas sit in materia tenui, tunc orietur sapor acris, qui cum sit in materia tenui, non tantum caliditatem, sed siccitatem indicat; quoniam calor in materia tenui fundatus magis penetrat ac adurit. Si ergo calor dominetur in materia crassa, possumus ex sapore salso & amaro hoc habere; Si autem in materia tenui, ex sapore acri. Si vero frigiditas dominetur & siccitas in materia crassa, oritur sapor acerbus: quoniam in ista materia crassa pauca caliditas continetur, quæ statim exhalat, ideo est sapor acerbus, qui non solum frigiditatem, sed siccitatem etiam insignem denotat.

Si vero frigiditas in materia sit tenui, oritur sapor acidus, qui cum in materia tenui fundetur, ideo habet vim incidendi ac refrigerandi, siccandi etiam ac penetrandi & attenuandi, & etiam aperiendi. Si vero siccitas in materia mediocri sit, tunc vel calor dominatur frigido, & tunc oritur dulcis sapor, qui fit ex leui dominio caloris in materia permixta ex siccitate & humiditate. Et sicut in corporibus est leuis gradus dulcedinis, ita moderata

rata caliditate sunt prædita ac siccitate, sed leuis est siccitas, vt prope ad temperatum accedat, & talia sunt omnia pinguia, & oleaginea, nisi alio sapore sint prædita, vt si rancida sint, quoniam tunc sapor ille rancidus à putredine oritur; putredo vero à calore extraneo, & ita adurit partes illas: quare calefaciunt hæc & exiccant. Quamuis inter pinguia quædam sint, quæ sua natura exiccant, vt est adeps hircinus & leoninus, qui insigniter exiccant ac calefaciunt. Siuero dulcia intensiora sint, quanto magis intensus est gradus dulcedinis, tanto magis intensus est gradus caloris, vt est mel, in quo acrimonia reperitur, ex qua patet valenter ipsum exiccare & calefacere. Si vero frigiditas sit in materia mediocri, sapor austerus oritur, qui indicium dat frigiditatis, non tamen adeo insignis, ac acerbus, sed siccitatis etiam index est, quare moderate exiccat ac refrigerat, ideo facile transeunt austera in dulcedinem.

Quæ vero nullo sunt prædita sapore, humida sunt, ac aquea. Supponamus itaque saporem prouenire ex permixtione humidi aquei cum sicco terreo, & nisi fieret hæc mixtio, non adesset sapor.

De quibusdam dubitationibus circa sapores dictas, item de methodo inueniendi secundas, tertias & quartas qualitates.

CAP. XIX.

CVm ante dixerimus ex siccitate fieri saporem, non autem ex humiditate: nam humiditas nullum præbet gustui saporem: oritur dubitatio de lactuca, quæ à prædominio humida est: Et tamen saporem habet, quomodo ergo dicemus ex siccitate fieri saporem? *Dubium de lactuca.* Ad hoc respondeo, quod non dixi à siccitate tantum fieri saporem, sed dico, non posse fieri saporem aliquem absq; aliqua permixtione siccitatis. Diximus etiam, quod quando frigiditas dominatur in materia sicca tenui permixta cum humido aqueo, incidit, attenuat & penetrat. *Dubium de sapore acido.* Fit enim tunc aciditas ipsa. Sed quis dicet, si acida à prædominio frigida sunt, & frigidi sit condensare, cur itaq; non adstringunt acida, si à prædominio sunt frigida? Ad hoc etiam respondens dico, acida non adstringere, quoniam etsi à prædominio frigida sint, fundata sunt tamen in materia tenui, ita vt facile à calore euinci possit. Addatis quod acida non multum distant à calido, licet à frigiditate prædominentur: cuius rei signum est, quod facile in acidum saporem vertantur, quæ à caliditate putrescunt, quod est in causa, vt sui frigiditate non possint constipare poros corporis, & quoq; in lib. 3. de caus. sympt. rationem dat Galenus dicens, quod acida in stomacho putredinem generant.

Ex his autem colligitur acida & acria non differre substantia, sed qualitate tantum, *Differentia inter acida & acria.* quoniam acria intense calida sunt, acida vero frigida, licet non intense: sed cum vtraq; in tenui sint substantia, ideo possunt attenuare, penetrare ac incidere, cuius rei signum est acetum, quod quia non solum acidum est, sed acredinē habet, maxime penetrat, incidit & attenuat. *Acetum.* Succus vero limonum tantæ aciditatis est, vt in tenuitate & penetratione superet acetum: tenuissimus enim est substantia, & validissime penetrat ac incidit: quare his vtuntur aliqui in frangendis lapidibus siue calculis renium, licet vires succi limonum non exprimantur à Galeno vel aliis autoribus. *Succus limonum.* Non possunt enim omnia ab vno tantum viro probari ac cognosci.

Diximus præterea, quod cognitio hæc non tantum ex saporibus, sed ex modo substantiæ rei haberi possit penes scilicet crassum & tenue, molle & densum, & huiusmodi, sicut diximus superius: Ea enim, quæ sicca & acida substantia sunt, nulli dubium est, quod exiccare possunt ac humidum absumere.

Non tamen econtra verum est, quod scilicet omnia, quæ humida sunt, actu humectent, vt patet in vino potenti & aqua ardente, quæ actu humida sunt, maximam tamen vim obtinent exiccandi, imò adurendi: hoc autem est, quoniam in corpore sunt tenues partes permixtæ aereæ ac igneæ, quarum maxima copia in vino potenti ac aqua ardente reperiuntur. Quando autem hæc corpora fluida tali partium commixtione prædita sunt, sensu percipi potest, quoniam acria sunt.

Si vero insipidum sit corpus fluidum, dicatis ipsum nullam habere partium siccantium. Si vero percipiatis ipsum acidum, dicatis frigidas habere partes. Aristoteles autem in lib. problemat. & in 4. Meteor. vinum semper humidū esse asserit: at Galenus ait vinum non lymphatū exiccare: non tamen pugnant inter se, quoniā Arist. formas rei considerās ac actu existētes, videns fluens esse vinum, tanquā naturalis, humidū illud esse dixit; Ga-

lenus vero ceu Medicus & medicamenta faciens, ex vino non tantum actum, sed potentiam ipsius considerauit: nam dicit ipsum exiccare, quanquam secundum formam sit humidum & fluens. Quæ ergo actu humida sunt, non debent iudicari statim posse humectare: quæ vero sicca sunt, possunt dici siccare.

Methodus inueniendi qualitates secundas, tertias & quartas.

Superest, vt methodum habeamus inueniendi qualitates illas, quæ secundæ, tertiæ & quartæ dicuntur. Secundæ autem sunt, vt menses ciere, & vrinam prouocare, lacque gignere, vel humores crassos ac pus è pectore educere, & hæc bechica dicuntur. Aliæ vero dicuntur hepaticæ, capitales & huiusmodi ratione membrorum, quæ ipsæ respiciunt, & sunt hæc de genere tertiarum qualitatum: sed de his non est tractandum à nobis, quoniam nostrum non est, sed excellentissimorum practicantium. Sufficit, vt agamus de secundis, quæ omnes aliqua ex parte sunt consideratæ, dum de causis materialibus tractaremus, quæ erant aperire, claudere, resoluere, constipare & huiusmodi. Nam diximus has numerari inter qualitates formales, cum tamen videantur respicere materiam ipsam; quare notate, ne decipiamini, reuocantes in memoriam, quod illæ septem qualitates, durities scilicet, mollities, & huiusmodi dicuntur materiales, eo quod disponunt subiectum, aliæ vero formam insequuntur, ideo formales dicuntur, cum quia circa figuram, conformationem partium, ac situm & huiusmodi alia insequuntur, & circa ipsa versantur illæ primæ, ideo dicuntur materiales, quamuis omnes ab eodem principio formali oriantur. Cum autem voluerimus aperientibus vti, ac aperientia ipsa inuenire vel attrahentia, procul dubio insequentes rei naturam, calida & sicca inuenire debemus, quoniam calidi est attrahere, præsertim si cum caliditate adsint partes tenues: quoniam quæ crassarum sunt partium, inertia sunt ac tarda ad motum: Quare si tenuitatem habent partium, quæ calida & sicca sunt, facillimè attrahunt. Igitur si volumus eligere ea, quæ moderate trahant, eligamus ea, quæ in secundo gradu calida & sicca sunt, cum tenuitate partium. Si vehementius attrahentia volumus, accipiamus, quæ in tertio sunt gradu: Et si adhuc validius, quæ in quarto cum tenuitate partium.

Attractio per quos gradus caliditatis fiat.

Repercussio à quibus fiat.

Repercussio vero fit à contrariis: quoniam ratione frigiditatis adstringunt, ratione vero crassarum partium, quas obtinent, obstruunt, vt sunt cerussa, plumbum, plantago & huiusmodi. Si etiam acerba sint, validius hoc facient: nam succus iolani, quia frigidissimus est, valde astringit: quæ vero intense non sunt frigida, non ita astringunt. Crocus vero & spicanardi, quæ leui acerbitate prædita sunt, quia potius calida sunt, nõ possunt ita adstringere: nam potius vim corroborandi & confortandi, quã repellendi ac constringendi habent. Atq; ita in aliis progredi poterimus semper à natura rei exordientes.

Inuenientes ergo qualis sit ex natura rei gradus primus qualitatum primarum, eodem modo poterimus has secundas inuenire.

Ad inueniendas vero tertias & quartas, exempli gratia, si velimus vrinam prouocare, necessaria sunt medicamenta diuretica. Sed prius aduertendum est à nobis, quod cum renes aquositatem sanguinis trahant, quando egemus prouocatione vrinæ, necesse est suppressionem ab aliquo prouenire impedimento vrinæ. Hoc autem impedimentũ vrinę vel per se esse potest, vt si clausus sit meatus vrinæ per lapidem obstruentẽ propter crassos humores, vel propter carnis increscentiam, & tunc statim ablato hoc impedimento effluet vrina. Sed hoc non erit prouocate vrinam, sed remouere lapidem, abstergere humores crassos, ac carnem incidere: quare per accidens hæc erit prouocatio.

Sed quando volumus vt prouocetur vrina, notandum est, quod renes facti sunt ob expurgationem aquositatis sanguinis: Quare hoc prouenire potest propter defectum in ipsa aquositate, & tunc, vel quia pauca est, vel permixta est cum sanguine, vel cum humoribus crassis: Si pauca sit aquositas sanguinis, medicamenta humida eligere debemus, ac tenuium partium, vt est vinum album lymphatum, aqua pluuialis, succus melonum, &c. Si enim humida crassarum partium eligatis, crassities illa impedit deductionẽ: quare humida cum tenuitate partium eligenda sunt.

Quod si iste defectus vrinæ sit eo, quia permixta sit vrina cum crassis humoribus; tunc calida eligere debemus, cum tenuitate partium, vt superent aquositatem illam à crassis humoribus, & tunc fœniculo, apio, petroselino, ac aliis tum simplicibus, tum seminibus calidis vtendum est. Si vero defectus sit ratione membri attrahentis vel generantis, hæc cura ad practicos pertinet excellentissimos. Si autem hi defectus fient ratione obstructionum, vt lapidis ac viarum obstructarum, de his diximus, quod per accidens fit hæc prouocatio. In sequenti tractatu aggrediemur primum librum Dioscoridis.

Finis tractatus primi de medicamentis simplicibus.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS, MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI; DE MATERIA MEDIcinali in lib I. Dioſcoridis: Tomi II. Tract. II.

De Prænotionibus circa Dioſcoridem. Cap. I.

De prænotionibus circa Dioſcoridē.

DIOSCORIDIS de medicinali materia liber primus interpretandus ſiue à nobis exponendus proponitur. At antequam ad prolegomena accedam, vnum vobis attendendum eſt, quod lis multa verſatur inter interpretes voluminis iſtius, in cuius titulo legentes Dioſcoridis Pedacii liber, lis inter eos verſatur, dico, ſuper vocem iſtam *Pedacii*, & pariter in hac voce *Dioſcoridis*. Sed quoniam lites eiuſmodi ad pædagogos potius pertinent, quã ad ſcientificos, ideo explodendos eſſe iudico, aſſerens nihil referre, quomodocunq; vocetur. Bene verum eſt, quod inter illa, quæ primo ſolent explicari, eſt, vt ſciamus, quis ſit iſte autor, de quo certam notitiam habere non poſſumus propter obitum hiſtoricorum: autor enim eſt antiquiſſimus, cuius nominis fuere plures.

Quis ſit author. Plures Dioſcorides.

Reperitur enim ex hiſtoriis quidã Dioſcorides Poeta, cuius epigrammata leguntur in epigrammatibus græcis. Reperio alium Dioſcoridẽ Philoſophum Cypriũ monoculũ, qui fuit Diſcipulus Nicæi. Tertio reperio apud Galenum in eo libro, in quo interpretatur nomina Hippocratis occulta. Ibi enim nominat Dioſcoridem quendam herophileum, quoniam erat de ſecta Herophili, qui maximæ fuit authoritatis inter antiquos, & inſtaurauit anatomen, cuius quidem authoritas apud me circa res anatomicas eſt Euangelium.

Herophili authoritas apud antiquos. Herophili præſtantia circa anatomen.

Nam quando Galenus confutat Herophilum, cenſeo ego ipſum confutare Euangelium medicum. Nam Herophilus apud antiquos fuit idem cum Veſalio apud modernos. Et hic Dioſcorides appellabatur lenticulatus, quoniam lentes habebat in facie; Quamuis apud Suidam habeamus, quod noſter Dioſcorides dictus fuerit lenticulatus: ſed falſum eſt, nam Galenus ponit maximam differentiam inter hunc lenticulatum, & noſtrum Anazarbæum: quoniam hic noſter erat Empyricus, ille vero lenticulatus erat rationalis & herophileus, & ſic erant omnes tenentes opinionem Suidæ. Quarto in loco habemus alium Dioſcoridem, qui fuit interpres Hippocratis, quem accuſat Gal. vbiq;: & reuera iſte non fuit noſter Dioſc. quẽ & cuius opus præ manibus habemus. Facit mentionem Gal. in 5. de compoſ. med. per gen. circa finem eiuſdem Dioſc. quem credo ego eſſe eundem cum noſtro, quia à Galeno Tharſenſis & Anazarbæus proponitur, & ab eo maxime laudatur.

Dioſcoridis patria.

Scio autem hunc fuiſſe ex Aſia Cilicia, & ex ciuitate dicta Anazarba, quæ condita fuit ab Anazarba. Hæc ciuitas dicta eſt poſtea Cæſarea Auguſta ſecundum Plinium; quamuis dicat Ptolomæus Cæſaream Auguſtam conditam eſſe prope Anazarbam. Sed quicquid ſit, aut quiſquis fuerit Dioſcorides, dico hunc noſtrum Dioſcoridem libros ſuos donaſſe ac dicaſſe Arrio aut Arreo Philoſopho. Dictus autem eſt forte Tharſenſis, quia in eo Gymnaſio profecerat, quod diſtabat per ſexaginta milliaria.

Dioſcorides fuit miles & quare.

Medicus fuit nobiliſſimus ac magnę autoritatis, imo tantæ, vt Cleopatra Ægypti Regina ipſum pro familiari, ac maximo Medico acceperit. Fuit etiam miles; nam ſic faciunt præclara ingenia. An vero maior fuerit ac præſtantior miles quam Medicus; neſcio profecto diſcernere. Sed credo ipſum fuiſſe in exercitibus, ac ipſos exercuiſſe, vt varia loca videret, & eſſet etiam Medicus in exercitu, & circa corpora ſe in exercitibus exercuerit, vt teſtatur Galenus vbique locorum, dicens, Medicos ſecuiſſe cadauera barbarorum. Empyricus fuit Dioſcorides, vt teſtãtur omnes, & ex hiſtoria eius patet, præterea vt ex 6. lib. conuincitur, ibi enim clare patet eum fuiſſe Empyricum.

Dioſcoridis libri.

Scripſit varios libros. Nam Suidas dicit ipſum Dioſcoridem ſcripſiſſe libros viginti quatuor de vtilibus medicamentis. Apud Galenum autem habemus, ipſum ſcripſiſſe libros de ſubſtitutis medicamentis, & alios, quos deſideramus, & habemus tantum libros quinq; de medicamentis: Sextum vero de venis: qui libri tantæ ſunt autoritatis apud Gal, vt ipſe præferat Dioſcoridẽ omnibus aliis, qui de hoc ſcripſerunt.

Dioſcoridis amici.

Habuit noſter Dioſcorides varios amicos, inter quos fuit Licinius Baſſus, quẽ ipſe nominat in procemio. Præterea habuit amicum Arreum illum Philoſophũ Aſclepiadeum. Solet autem quæri, an hic liber legitimus ſit Dioſcoridis: nam dico ego, hunc & alios legitimos fuiſſe ipſius libros, probans ex Galeno & Oribaſio, qui in 11. 12. & 13. lib, dum loquitur de ſimplicib. ex Dioſc. omnia proponit, & in omnibus conſentit cum eodem verbotenus.

Scopus libri. Scopus Dioscoridis in his libris est facultas omnium medicamentorum simplicium, quæ faciunt ad ægritudines omnes corporis humani: nec turbet vos, quod ipse multa superflua & noxia proposuerit: nam hic scopus vtilis & communis, non est relinquendus. Et cum Medicina tria habeat instrumenta, Diætam scilicet, chirurgiam & pharmaciam, ideo vt Medicus hanc tertiam acquireret, & in ipsius manu vigeret, hos libros composuit. *Ordo librorum Dioscoridis.* Dioscorides autem quamuis Empyricus fuit, non tamen sine ordine scripsit: & cum in tota hac materia, pars illa nobilior esset, quæ continebat aromata, vnguẽtaq; peregrina ac rara, ideo ab aromaticis incipit Dioscorides tanquam à nobilioribus: nam in lib. 1. de his agit, & de lachrymis odoratis: sed quoniã hæ à plantis oriuntur, ideo statim explicat historiam plantarum. Tertio per consecutionem de omnibus aliis arboribus verba facit. Restabat adhuc magna moles animalium, plantarum atq; fossilium. Sed cum animalia nobilissima sint, ideo de ipsis animalibus statim assumpsit tractationẽ, maxime cum in his consistat alendi vis. Ideo in secundo libro de animalibus agit omnibus. Cum autem de animalibus tractauit, subiungit alimentum animalium, præcipueq; hominis: & ideo primo agit de triticeis, secundo de omnibus oleribus, quamuis ea non vt alimenta, sed vt medicamenta describat; postea aliam totam materiam medicinalem, quæ quoniam spectat ad plantas, & fossilia, primo de plantis agit, sed confuse ac miscellanee, secundo de ipsis fossilibus. Quo vero ad plantas, primo explicat plantas naturales, secundo ea, quæ ex plantis arte colliguntur, vt sunt vina, succi, aceta &c. quæ potius artificialia sunt, quã naturalia: vltimo vero de materia metallica tractat, atq; inanimi, vt clauderet suos libros. *Methodus Dioscoridis circa capita Medicamentorum.* Seruat autem Dioscorides hanc methodum, quod primo proponit vniuscuiusq; medicamenti varia nomina, si quæ sunt; quamuis multa spuria sint in principio capitum Dioscoridis circa illa nomina, quod indicatur nobis à Galeno, Oribasio & Arabibus, quæ voces tamen neglectæ sunt ab istis. Postea proponit historiam, habitum materiamq; medicamenti, sed hoc tantum in ignotis, at in notissimis tacet. Quarto proponit electionem medicamenti, ac modum præparandi ipsum. Quinto loquitur de Sophisticis; nam etiam eo tempore multa fiebant sophistica, vt etiam temporibus nostris. Vltimo in loco proponit medicamentorum facultates, modumq; vsum & quantitatem ac locum, cui applicari debeant medicamenta ipsa. Talis est eius ordo. *An liber iste Dioscoridis inter medicos sit reponendus.* Nam non est mirandum, si Galenus tantum Dioscoridi attribuat. Liber autem hic inter medicos est ascribendus, & distinguendus in duas partes: nam tota illa pars, in qua continentur plantæ descriptio, natura, &c. est legenda post quinq; libros Galeni de simp. & alia pars capitis, est ponenda post 11. Galeni librum de simp. med. & huius diuisionis author est Oribasius, qui hunc eundem ordinem seruat. *Dubitatio.* Sed quis dubitare posset, quod hic liber sit legendus cũ libris Philosophicis. Dico ego, quod liber iste est legendus etiam à Philosopho: nam Philosopho naturali etiam inseruire potest, quo ad historiam: sed quoniam cum his historiis adiuncta est præparatio, facultas medicamenti, &c: quæ ad Medicum spectãt, ideo inter medicos libros reponendum esse censeo cum Oribasio. Stylus autem ipsius Dioscoridis fuit in hoc opere, vt sit nominum contemptor & breuis.

Diuiditur autem hic liber in procemium & narrationem siue tractatum. In procemio tria potissimum facit, vt dicam in sequenti.

De expositione seu explicatione Proœmii libri I. Dioscoridis. CAP II.

QVis fuerit Dioscorides, cuius sectę, ex qua patria, quo ordine scripserit, & quod libros hos distinguit in procemium & tractationem, diximus. Nunc quo ad procemium, dico Dioscoridem in ipso tria agere: primum est, qua de causa hæc scripserit: secundum est dedicatio operis & ratio dedicationis: vltimum caput continet in se præcepta multa ad medicamenta spectantia.

Cur Dioscorides de materia scripserit. Quo ad expositionem primę partis dico, quod in ea primo pertractabat, cur post omnes scriptores de hac materia scribendũ susceperit, & omnes scriptores distinguit in antiquiores, & eos, q ferme suis temporibus viguere, & rationem refert sui tractatus dicens, hoc facere, quoniã nonnulli absolutũ nihil ediderunt, quia non egerunt de omnibus simplicib. nam Crateuas de iis tantum egit plantis, quæ cum radice euelluntur. Alia ratio est, q a cum hi tractarint de medicamentis, nõ egerunt de omnib. medicamentis conuenientibus. Andreas enim egit tantũ de incantationib. alii de præparatione tantũ, alii de iis tantum, quæ percunctando audierunt, scripta tradiderunt. Desideratur ergo liber, qui hæc omnia contineat atq; absolute.

Bithinius Iolas. Heraclides Tarentinus. Probat postea quod dictum est exemplo multorum, nam de materia medic. scripsit Bithinius Iolas, & Heraclides Tarent. sed de metallicis ac de maiori plãtarũ copia nõ egerũt.

Notan-

Notandum est autem, quod Dioscorides per illam vocem *omnes* illos duos tantum supra nominatos intelligit, & nō omnes, qui scripserunt: quia Crateuas librum scripsit de metallicis teste Galeno. Fecit autem mentionem Dioscorides de his scriptoribus, de quibus etiam Galenus & alii meminere. Galenus enim meminit Heraclidis in lib. 6. de simp. med. fac. quem etiam habuit in magno honore, qui tamen ex Diogene fuit Empyricus. Andreas autem Medicus à Galeno reprobatur eo, quod incantationes admiscuerit medicamentis & præstigia. Nam omnes Græci, excepto Galeno, hæc medicamenta admiscent, & Latini nostri etiam. Crateuas herbarius viguit temporibus Hippocratis, & apud ipsum fuit magnæ autoritatis, vt habemus in epistolis Hippocratis, cuius testimonio vtitur Dioscorides: & eum laudat Gal. in lib. 2. de nat. hum. cum autē nihil de his scriptorib⁹ aliud sit dicere, veniamus ad reliqua. Recentiores ergo plures commemorat Dioscorides, eosq; damnat, quoniam de vulgaris tantum medicamentis egerunt, omittētes no bilia peregrinaque. Inter hos autem ego probo interpretationem Ruellii circa Iulium Bassum, non autē circa Petronium & Nigrum, quoniam credo distincta hæc esse nomina, non autem vnū, vt aliqui crediderunt. Petronii autē meminit Gal. lib. 5. de compos. med. per genera c. 11. Nigri etiam in 6. simp. & in lib. de antidotis. De Nicerato etiam habemus mentionē apud Gal. in lib. de comp. med. per loca, vbi dicitur ipsum esse Asclepiadeum. Accusat autē hos Dioscorides, quia quasi cursiue de omnibus egerunt, & causas quidem omnium reddunt, sed vanas, ac omnia in aceruum commiscent, imo vnum quodq; eorū, quod tractabant, ad tumorū differentias retulerunt: nam ipsi erant dogmatici sub ipso Asclepiade, quia dicebat Atomos esse principia corporū, & volebat ista corpuscula habere infinitas facies, & non quadrare, nam omnium corporum differentia erat propter varias harū atomorum conditiones & humores, & meatus, ex quibus pendebat apud eas omnis rerū differentia. Cum igitur isti ex hac secta fuerint, omnem causam in tumorem referebant, & sic est legendum ex codice antiquissimo optimo. Quod autem hoc sit verum, legatis Gal. lib. 1. de simp. med. fac. cap. 1. qui etiam hanc refert opinionē, de qua loquitur etiam in 3. Epidem. com. text. 4. & lib. 1. de different. morb. cap. 3. & 4. Præterea confirmat, quod isti male scripserint, quia multa falsa dixerunt, quod indicat eos ex aliorum relatione scripsisse, nō autem oculata fide. Præterea eidem medicamento contrarias actiones attribuunt, ac confuse agunt secundum ordinem literarum aliorum. Nam notandum est, quod illi Dioscoridis libri, qui scripti sunt per ordinem literarum, non sunt legitimi Dioscoridis. Sed posset aliquis dicere, ob id Galenum etiam, Oribasium ac Paulum esse reprehendendos, quia secundum ordinem literarum de his egerunt. At ego dico, non esse reprehendendos, quoniam si respiciamus ad commodum & faciliorem fortasse intelligentiam legentium optima est series, si scribamus per ordinem literarum: sed si materiam respiciamus ipsam, alio modo sunt ista scribenda, quia genera ipsarum plantarum sunt simul per genera, & non per literas docenda; quare vterq; optime facit, si cum diligentia scripsit.

Dedicat postea Dioscorides libros suos Arreo, & promittit se melius acturum de medicamentis, quam alii qui antea scripsere: quoniā ipse multa vidit, imo & plurima, quę non fuere ab aliis visa, laudans ipsum Arreum ab amicitia, à diligentia, &c. Vnde & vos ab ipso Dioscoride addiscere poteritis modum laudandi eum, cui vestros dedicabitis libros.

Omne autem quod boni inueniemus in Dioscoride, ipsi asscribendum puto, quoniam totam materiam medicam ipse tradit, quamuis eam totam videre non potuerit, vt tamen eam totā traderet, coactus fuit, multa ex aliorū relatu docere, & hæc etiā est excusatio Aristotelis, dum & ipse errat multoties in tradenda Astrologia & anarom. quoniam cum nec ipse omnia videre propriis potuisset oculis, aliorum opinionē in plurimis refert, vt perfectam pro viribus traderet tractationem.

Andreas Medicus

Crateuas

Asclepiadis opinio de atomis.

Dedicatio operis.

De necessitate cognitionis Medicamentorum,

CAP. III.

Dicebam in superiori cap. Dioscoridem tria facere in procemio, primo reddebat causam istius sui libri, secundo dedicabat illum librum: tertio præcepta quædam tradebat, & quod ratio, qua motus fuit ad scribendum, ea erat, quoniam totā tractationem nemo compleuit, & ideo plurimos damnauit hanc materiam tractantes: postea dicat Arreo amico librum, atque viro docto, quem laudat sine adulatione, commendatque suum librum à puritate & ordine, cum quia totam materiam medicinalem contineat. Cum enim miles fuerit, multas regiones vidit, & lustrauit multa medicamenta. Circa autem medicamenta peregrina illud dixit, in quo multi consentiunt & fere omnes,

& statim laudat medicamenta ipsa simplicia, de quibus acturus est. Cognitio enim medicamentorum necessaria est, quoniam est vnum instrumentum artis, & cognitio ista adauget artem, & addit tres rationes, inquiens, quod per cognitionem medicamentorum primo cognoscimus modum præparandorum simplicium, & hoc maxime necessarium est, & docet nos causas multarum rerum ac problematum naturalium. Tertio & vltimo cum medicamentorum cognitio haberi non possit, nisi aut historia, aut arte, aut experientia, experimentis tamen ipsis vnus homo non potest medicamentorum cognitionem habere: quoniam, dum Medicus experitur medicamenta, inuenit causam multorũ affectuum & problematum. Merito igitur ista tractatio est magni facienda & capescenda ab omnibus Medicis, qui Medicinam perfecte adipisci cupiunt. His peractis Dioscorides ad præcepta quædam deuenit circa collectionem, conseruationem ac præparationem horum medicamentorum. Primum autem circa collectionem cognoscendum est tempus collectionis. Secundo locus, in quo debent colligi. Tertio modus colligendi. Quarto modus conseruandi. Antiquitus enim non erant Seplasiarii isti ita tardi, imperiti, ac patriales, sicuti sunt Seplasiarii temporum nostrorum, qui vt plurimum sunt crassi ingenii, & etiam ignorantes propriæ linguę, quod factum est cum maximo dedecore & artis etiam damno. Quare quamuis hæc præcepta videantur attinere potius ad pharmacopolas, ad, verum attamen etiam Medicum attinent. Cognitio enim medicamentorum Medico maximum præbet ornatum & vsum.

Præcepta circa collectionem simplicium.

Tempus colligendi simplicia. Circa primum caput autem, quod est de tempore colligendi simplicia, notandum est, quod per tempus intelligere possumus vel tempus anni, vel diem, vel mensem. Nostri autem apothecarii non curant, vt plantæ vel sereno die colligantur, vel potius nubiloso, cum tamen maxime referat: neq; curant, an hoc vel illo mense colligantur: cum tamen potius sint hoc, quam illo mense colligenda. Per tempus autem anni intelligimus tempestatem anni, videlicet vel ver, vel autumnum, vel hyemem, vel æstatem, vt aliqui dixerunt atque scripserunt, inter quos aliqui proposuere quæcunq; medicamenta quolibet quoq; mense sint colligenda. Arnoldus de villa noua, & alii multi dixere, quod materia medicinalis colligenda sit, cum sol est in ariete, cancro, libra & capricorno, quia materia hæc tunc magis viget. Quando vero sol est in tauro, leone, scorpione & aquario, colligenda est materia frigida. Sole autem existente in virgine, sagittario, piscibus & geminis, colligenda est materia soluens. Sed ego nunquam negaui vires corporũ superiorum in his inferioribus, huic tamen dogmati, vt verũ fatear, nunquam credidi: Euentus enim eorum, quæ isti asserunt, inuenire nescio. Cum ergo materia viget, tunc colligatur, quodcunque tempus existat. Per tempus etiam possumus intelligere ætatem plantæ colligendę: nam aliæ colligi debent dum pullulant, aliæ vero cum iam effloruerunt.

Locus colligendi materiam medicamenti. Secundum caput erat de loco colligendi materiam hanc. Nam distinguemus medicamenta in montana & campestria, sicca & humida. Et hæc sunt cognoscenda & consideranda à Medico, quia eadem medicamenta non in eodem loco fiunt, & oriuntur, neq; in eadem perfectione. Nam in animo habeatis naturam locorum & regionum, & pro hoc legatis Theophrastum in lib. 9. c. 12. de hist. plant. à quo maxime laudatur Græcia, Ægyptus, &c. hæc enim loca multa & optima afferunt medicamenta.

Modus colligendi. Succedit modus colligendæ huius materiæ, per modum autem duo intelligimus: aut scil. communiter aut proprie. Communis modus est, vt pure, atq; munde ista materia colligatur, & hoc omnes sciunt, atq; fatentur. Modus autem proprius est, quia quandoq; colligimus quædam inuectis prius partibus nostris, quædam auersa facie, quædam quandoq; recta facie, vitro scil. aut vesica. Sed quoniam ista ad singularia pertinent, ideo à Diosc. circa singularia medicamenta docentur. Vltimo in loco erat conseruatio, in qua maxima est adhibenda diligentia, & primo circa præparationem, ad quam pertinet exquisita purgatio medicamenti, & notate, quod ego nunquam potui obtinere ab istis pharmacopolis, vt materiam illam, quæ dicitur cribellatio & sordities, abiicerent, vt semper seruarent medicamenta purgata, non autem inexpurgata detinerent, vt faciunt. Et do exemplũ. In Euphorbio, circa q; obseruatum est, quod in tota vita hominis nõ videntur duæ drachmæ optimi Euphorbii, quoniam statim corrumpitur propter sorditiem illam & lutũ, cum tamen hoc possit fieri per cribrum vel ablutionem aut siccationem, quoniam ad ipsam conseruationem pertinet etiam exiccatio, quam diligenter facere oportet. Nam commune præceptũ est, vt herbæ siccentur in vmbra, aliqua sunt tamen siccanda in sole, aliter enim marcescũt, & hoc etiam fieri potest per coctionẽ: nam aliqua elixamus, alia assamus, & aliqua vrimus. Conseruantur itaque medicamenta aut primo per emundationem & expurgationem, secundo per exiccationem, tertio per coctionem: nam aliqua elixando conseruamus, aliqua

Conseruatio materiæ medicinalis.

aliqua assando, & aliqua vrendo. Et ad hoc optime consequendum cognoscendæ sunt omnes species coctionis & tostionis. Et ob id Medico valde vtilis est cognitio artis chymicæ, vt sciat olea destillare & aquas, ac etiam sublimare, non vt faciat aurum & argentum, vel aurum & argentum proiiciat in his nugis & vanitatibus. Additur vltimo ipsa conditura: nam multa non possunt conseruari cum propriis suis viribus, nisi condiantur, & ideo debent condiri. Fit autem talis conditura aut melle aut sacchare. Cassia autem illa tenera saccharo condita seruat vires suas, & durat vsq; ad decem etiam annos. Condiuntur etiam medicamenta quandoq; sapa, quandoq; aceto, quandoq; sale.

Ars chymica est Medico cognoscenda.

Conditura medicamentorum per quæ fiat.

Vltimo loco est caput illud, quod pertinet ad locum, in quo conseruanda sit hæc materia medicinalis, & hoc respicit apothecam. Nam aliqua sunt nobilissima medicamenta; quæ merentur; vt Medici ipsa habeant apud seipsos, vt solebant antiqui Medici; & miror de nostris Medicis etiam doctissimis, quod hæc non faciāt & obseruent. Eligendus autem est locus siccissimus, non autem calidissimus, sed temperatus; nam corruptelā prohibetur, ac euitari potest à medicamento per locum siccū. Sub capite loci continetur etiā vasa ipsa. Nam aliqua medicamenta non sunt in ipsa vasa reponenda; alia enim in faccis, alia in vitro, alia in lapide conseruantur; imo non desunt etiam authores, qui antidota in auro atq; argento conseruanda esse dixerunt; atq; continenda in huiusmodi vasis affirmarunt. Sed nobis satis erit ea detinere in vase incorruptibili aliquo, vt ex ferro obducto stanno. Et hæc dicta sunt à Dioscoride in proœmio; circa quæ aliqua etiam dicenda sunt in sequenti capite.

Locus, in quo medicamenta conseruari debent.

De expositione literæ Dioscoridis, vt & de præceptis circa collectionem plantarum, collectionis tempus & circa loca.

CAP. IV.

PRæcepta à Diosc. posita circa medicinalem materiam in præcedente capite docuimus, restat vt verba Dioscoridis exponamus. Primo enim ipse reddit rationem, cur habenda sit cura, atq; ratio temporis, atq; ætatis plantarum, ne sc. colligamus medicamenta nimis vetera, neq; nimis noua. Primo autem circa tempus obseruandum est in collectione plantatum cœlum serenum, quoniam multum differt collectio plantarum per imbres à collectione ipsarum per squalorem; circa quam vocem notandū est, quod vox ista *Squalor* plura significat apud Theophrast. lib. 9. c. 14. Nam per squalorem ipse aliquando intelligit lumen lucernarum; Secundo idem lib. 5. c. 9. 10. & 12. intelligit per squalorē siccitatē ac vetustatē plantarum. Tertio vero habitum aeris siccum, vt asserit ipse lib. 5. c. 3. quod non est legendum, vt facit Ruellius, neq; addenda est vox illa *infesti*. Credo autē ego omnes plantas colligendas esse per squalorem videlicet per habitum aeris siccum, sed ante earum siccitatem ac vetustatem. Aliud subdit Diosc. præceptum circa loca; quoniam plantæ colligendæ sunt ex montibus altis, cum aqua aliqua, & flatis vento, non autē in campestribus locis & infimis. Si quis autem dubitaret, quoniam plantæ montium duriores sunt, & non possunt ita confici à calore naturali vt campestres; vidit hoc Aristoteles 2. de plantis dicēs, quod plantæ montanæ duriores sunt vel robustiores ad medicinam, quā campestres, quæ molliores sunt pro cibis. Et quamuis illa materia montana durior sit, tamen concoquitur in medicamentis. Et Hipp. in Epistola ad Crateuam docet talia præcepta multa, & præcipue dicit plantas esse colligendas ex montibus altis; quoniam plantæ illæ sunt viuaciores & robustiores propter tenuitatem aeris ac subtilitatem: nā optime alunt plantæ illæ. Subdit autem ibi Hipp. vnum difficile, quod sc. ex palustribus etiam colligat Crateuas plantas aliquas, sed Diosc. intelligit semper de eadem plantæ specie: quæ enim colliguntur ex montosis locis & palustribus, præponenda sunt montium ac collium medicamenta palustribus medicamentis, quoniam vim robustiorem habent. De iis autem, quæ non nascuntur, nisi in paludibus, non intelligit Diosc. sed Hipp. voluit illa medicamenta ex palustribus esse colligenda, quæ in montibus non oriuntur, vel his vtitur ad contemperanda medicamenta montana. Nostri autem seplasiarii, hortulani & Medici videntur probare ea medicamenta, quæ orta sunt in loco respiciente meridiē, Theophr. 5. de hist. plant. loco citato, Plin. & Diosc. etiam volunt materiam medicinalem esse colligendā ex facie aquilonari. Credo ego nostros errare, & vsum ac assumptum id esse ab illis, qui de re rustica egerunt, dum de fructibus agunt. Nam fructus illi maturantur cito & optime, qui expositi sunt ad meridiem, quoniam à sole illustrantur ac concoquuntur celerius. Sed nos non loquimur de fructibus, sed de alia materia tota medica, de qua dico, quod eligenda est materia existens in loco perflato à vento frigido & boreali, & causa est, quoniam omnia præco-

Obseruanda circa tempus collectionum plantarum.

Opinio propria.

Præceptum circa loca.

Plantæ montanæ quales sint comparatæ campestribus.

An plantæ spectantes ad meridiē sint aliis meliores.

cia non sunt bona. Plantæ ergo ad meridiem respicientes optimos fructus ac celeres faciunt, non tamen multam materiam generant pro medicamentis, eamq; male concoctam & debilem. Contra vero plantæ aquilonares robustiores sunt & densiores.

De ætate plantarum & earum commutatione, vt & de plantis odoratis.

CAP. V.

Ætas plantarum est cognoscenda.

COgnoscendum est etiam tempus vigoris vniuscuiusq; plantæ, vt omnes plantas in suo vigore seu tempore & ætate, qua magis vigent, colligere possitis. Nam monet Diosc. cognoscendas esse ætates plantarum, vt earum vigor haberi atq; cognosci possit, & eo tempore, quo magis vigorosæ sunt, colligantur. Sed quoniã multæ ex plantis seruãtur ad vsum, & siccantur, ideo transit Dioscorides ad ætatem plantarũ mortuarum, pręceptum ponens, quamdiu durent plantæ illæ, & inquit, quod semper post triennium omnia sunt commutanda, quoniã omnia dissoluuntur ac corrumpuntur præter Elleborum. Nostri autem seplasiarii solent quotannis commutare materiã communem: at si nos non poterimus quotannis commutare plantas, cum multæ ipsarum sint peregrinæ, & delatæ à longinquis admodum regionibus, propterea saltem per triennium commutare debetis. Attamen nostri pharmacopolæ, vt in pluribus hoc non agunt, sed inueterata seruant multa vltra trienniũ, quæ cum exoleta sint atq; resoluta, non est mirandum, si medicamenta non agunt: ingredientia enim sunt vigore proprio destituta. Plinius autem lib. 27. c. vlt. dum loquitur de duratione plantarũ, meminit de plutibus aliis præter Elleborum dictum à Diosc. quæ etiã vltra triennium durant illæsa. & Theophr. dicit, quod Aristolochiæ radix durat ad quinq; annos, & alias plures plantas nominans affirmat ipsas esse maxime durantes. Videntes autem aliqui hanc contradictionem, vt Vergilius Marcellus putauit Dioscoridis codicem esse deprauatum, hac ratione ductus, quod Dioscorides legit Theophrastũ. Ego autẽ dico Dioscoridẽ à Theophrasto dissentire, aliter totus Diosc. esset corruptus. Nam Dioscorides dicit, elaterium durare ad 10. annos, Theophr. vero ad centũ annos: sed mens Diosc. hæc est, quam dixi, & non dubito ego, quod si vsum consulemus, reperiuntur aliquę amaræ, quæ diutius durant, & cum hæ plantæ sint, non debet hoc præceptum commune immutare; & ideo duratio plantarum alio modo cognoscenda est à Medicis, quam à seplasiariis & aliis, ac diligentius inuestigari talis duratio, quoniam de dosibus loquuntur, atq; de viribus ipsarum, quę ad tempus variant, cum medicamẽta tamen debeant esse earundem virium, ne fiat error. Et idem Dioscorides ad hoc respiciens dixit, plantas omnes post triennium debilitari, quod maxime locum habet in medicamentis purgantibus. Habemus enim certam normam horum medicamentorum, vt, exempli gratia, Rhabarbari, quod si exoletum sit, non erit eadem dosis exhibenda, ac si esset virens ac proprio præditum vigore, ideo maior est dosis danda, aliter nil faciet: quare sciatis, quod nullum medicamentum est excepto Elleboro, quod post triennium seruet vigorem suum. Philosophi autem alio modo obseruant durationem plantarum, quarum seruant colorẽ, odorem & gustum, tamen eas vetustas dicunt, quæ omnino corruptæ sunt, omnesq; vires amiserunt, & omnia simul accidentia. Addit Diosc. præceptum de collectione plantarum, & inquit, plantas odoratas colligendas esse cum semine, quia tum odoratæ sunt, & quoniã in omni materia odorata ea perfectior est, quæ magis odorata existit, cum planta odorata non habet propriũ odorem, dicimus eam esse corruptam. Odoratiores autem sunt plantæ, cum semina perfecerunt, quoniam humiditas extrinseca nunc est exiccata, atq; à materia elaborata, exemplo vobis sit opiatum basilicum dictum.

Commutandas esse per triennium plantas. — *Contradictio.* — *Solutio Marcelli.* — *Solutio propria.* — *Nullũ medicamentũ excepto Elleboro post triennium durat.* — *Planta odorata quando sint colligenda.*

Florum collectio.

Flores autem colligendi sunt antequam decidant, quia si expectemus quovsq; per se decidant, aut erunt sicci aut corrupti: non cadunt enim, nisi deficiente materia, aut ratione frigoris & nebularum. Fructus vero colligendi sunt, quando maturi sunt. Semina autem cum sunt siccata, quamuis nostri seplasiarii colligant ea antequã siccentur, & postea ipsa siccant, sed amittunt vires, ideo non est expectanda extrema exiccatio, quoniã cadunt & corrumpuntur, & sic eorũ vsus vanus est. Succus autẽ & foliorũ & plantarum colligendus est, cum planta est magis turgida, & maxime cum germinant ipsi cauliculi teneri. Per succum autem intelligit duplicem succũ; alter enim succus est, quãdo contundimus herbam, & torculari exprimimus; alter vero, quando contusa affundimus liquorem, & exprimimus. Lac autem & lachryma à diuersis fiunt plantis, & est substantia vnctuosa, qua turget tota planta, sicut homo sanguine. Et iste succus tum extrahendus est, quando planta est in suo vigore, quia erit magis coctus atque à natura elaboratus. Exempli gratia, si vti velitis lacte fici, etiam hyeme & vere habebitis lac, ac in consistentia plantæ, lac erit melius, & magis concoctum. Cum autem fructus maturescunt, colli-

Fructuum. — *Seminum.* — *Succorum.* — *Succus duplex.*

colligendum est lac, quoniam tunc planta erit in suo vigore. Idem dico de lacte tithymali, quod extrahit spinas infixas corpori, non recurratis autem ad teneras plantas, sed ad adultas. Idem dico de opio quod fit ex lachryma papaueris. Addit Dioscorides, quod si velimus radices colligere, hoc est agendum, cum ipsę plenę sunt succo, ac quãdo cadunt folia, quoniam tunc rota vis concentratur: Quare incipiẽte autumno ante pluuias colligendæ sunt radices, ac vbi humido excrementitio sint repletæ.

De præparatione. *De conseruatione.*

Præparationem postea docet autor noster Dioscor. dicens, quod plantæ siccentur, abluantur & reponantur in loco conuenienti, & conseruationem docet, ad quam attinet locus, tempus & mixtio. Notandum est autem, quod materia odorata diligentius est seruanda, quia euaporat; nam nostri seplasiarii suspendunt eas in apotheca, sed spatio tantum duorum mensium corruptæ sunt. Vnum dico ego, quod seruandę sunt in lignis tileis, quoniam talia ligna non augentur nec minuũtur, vt faciunt ligna abietina, quæ ratione humiditatis augentur Laudandi autem sunt, qui sacculos coriaceos conficiunt pro conseruatione huius materiæ. Addit postea sermonem de vasis, in quibus seruantur medicamenta, eaque optima eligit pro varietate medicamentorum. Sed nos habemus vitrum & vitreata vasa, quæ optima sunt pro Istorum conseruatione. Sequitur modo singulariũ tractatio.

De iride & quo ad nomen & de eiusdem viribus ac proprietatibus. CAP. VI.

Aromatum natura. *Cur referatur iris inter aromata.*

DE iride primum tractat Dioscorides inter aromata, quia reuera aroma est, vt patet ex eius natura & scriptorum autoritate. Nam in aromate est odor suauis, caliditas insignis, siccitas & tenuitas partium, & semper seruat suum odorem & substantiam, quomodocunq; paretur ac misceatur, & talis est aromatis natura. Cum autem iris radix talis sit, merito ergo inter aromata connumeratur. Habemus etiam Galenum lib. 7. meth. med. cap. 4. connumerantem hanc radicem in aromatib. & Theophrastus idem testatur: imo dicit hanc solam aromaticam radicem nasci in Europa lib. 4. de histor. plant. cap. 3. Qua autem ratione primo egerit Dioscorides de iride, hoc fit pluribus de causis, quarum prima est, quia domestica est; secunda quoniam signata est hæc planta nomine nobilissimo iridis: tertia quia radix hæc fuit maximę autoritatis apud antiquos ex Plinio lib. 20. cap. 7. qui dicit, quod habebatur pro sacra planta & maxima mysteria cõtinere credebatur, merito ergo ab hac incepit Dioscorides. In hac autem tractanda primo nominis rationem reddit, secundo plantam describit, tertio colligendi ac conseruandi eam modum docet; quarto eligit inter omnes irides meliorem, quinto vires exponit.

Vnde dicatur iris. *Variæ significationes iridis.*

Ad primam partem ergo accedens Dioscorides reddit causam nominis, & dicit iridem esse dictam à similitudine arcus cælestis: hæc autem similitudo potest esse & ratione caloris & figurarum. Flores autem vtraq; similitudine iridem exprimunt; nam figura conuexa est, & varii adsunt colores, vt in arcu cœlesti. Debetis autem scire, quod iris apud Plinium lib. 37. ca. 9. significat lapidem illum, qui dicitur crystallus, qui sexangula constat superficie, & est radix crystalli: sed de hoc non loquitur hic Dioscorides. Secundo iris apud Scholastem Nicandrum significat medicamẽtum venenosum. Tertio apud Hermolaum Barbarum erat medicamentum confectum ex croco, myrrha & alumine, & dicebatur iris ab antiquis, neq; de hoc loquitur Dioscorides, sed loquitur de planta sic dicta ad similitudinẽ arcus cœlestis. Hęc autẽ plãta à seplasiariis dicitur ireos vel irios nomine corrupto atq; inflexo, vulgo autem dicitur giglio azurro, quia refert cœruleum colorem, & dicitur etiã giglio celeste à colore: vltimo dicitur hyacintho ab istis herbariis. Auicenna vero hunc vocat aiersa lib. 2. tract. cap. 357. Serapio autem cap. 189. vocat asmeli. In codicibus vero Dioscoridis reperietis varia nomina, quæ vana sunt & ideo à Ruellio & aliis omissa.

Plantæ iridis descriptio.

Post nominum tractationem explicat Dioscorides plantam ipsam dicens, quod folia gladioli habet, sed maiora, longiora atq; crassiora: nam gladiolus folia habet producta ac tenuia ad similitudinem gladii, sed gladioli folia sunt strictiora foliis iridis & neruos manifestos interfecantes folia habet, iris autem ignotos. Sed capiamus similitudinem Theophrasti à foliis arundinis, quæ omnibus nota sunt. Profert primo caulem cubitalem, vt dicit Plinius, & raro excedit ex lib. 21. cap. 7. Caulis autem est virens crassitudinis vnius digiti & similis cauli asphodeli, vt testatur Theophr. lib. 7. de histor. plantar. cap. 12. Flores æqualibus spatiis distant, & curui sunt campi, & pediculum habent intortum, & flores varii quacunq; varietate sicut arcus cœlestis; nam in compositione, figura & coloribus varietatem habet; in compositione quidem, nam folia floris quædam pinguia sunt, quædam leuia & tenuia, aliaq; crassa, aureiq; coloris. Fuerę aliqui credentes, quod Dioscorides de

Error Marcelli à Monardo reuictus. *De colorib. floris iridis.*

coloribus quibusdam fictis loqueretur, ex varia mutatione solis: sed horum ratio improbatur, & opinio hæc fuit potissimum Marcelli improbata à Monardo lib. 8. epistol. 1. Alii vero dixerunt hanc varietatem esse in tota specie, quoniam in specie iridis varii sunt colores florum, sed hęc opinio est falsa, quoniam hac ratione etiam viola purpurea esset appellanda iris. Sed Aristoteles in lib. de coloribus cap. 29. loquens de variis coloribus existentibus in eodem folio ponit & enumerat iridem: quæ habet in eodem folio floris varios colores, & inquit hanc varietatem fieri ratione variæ concoctionis: nam in variis partibus floris vario modo fit concoctio, & ideo varii resultant colores, & hoc apparet etiam in coloribus pennarum auium.

Radicis descriptio.

Subdit postea Dioscorides descriptionem radicis, quæ est magni momenti, & dicit radices geniculatas esse, id est, inęquales ac veluti copulatas nodis, & quoniam inter articulos connumerantur genu, hac ratione nostri herbarii nomē geniculi assumpserunt plantis attribuentes. Subdit esse odoratas, qua in re non decipiamini, quoniam dicens, quod sint odoratæ, intelligendus est de radicibus siccis, cuius testis est Theophrastus lib. 6. cap. 17. & 22. dum dicit quod radix iridis fœtida sit viridis; & ratio est, quoniam in radice viridi adest multa substantia cruda: & quoniam omne odoratum habet partes tenues & calidas optime coctas; atque adeo coctas, vt perueniant ad concoctionem spirituum. Per odoratas autem plantas intelligimus habentes bonum odorem, & hoc patet, quod scil. tanta requiratur concoctio, quoniam fit voluptas in odoratis ipsis, quod

Iridis radix quanto vetustior, tanto odoratior.

fit ratione similitudinis. Si ergo siccetur radix iridis, est odorata, quoniam resoluuntur partes illæ aqueæ ac crudæ: nam hæc radix quanto vetustior est, tanto magis odorata existit. Huius oppositum autem videtur in aliis odoratis, quoniam in iis odores ex vetustate corrumpuntur.

Iridis collectio & conseruatio.

Docet postea Dioscorides modum colligendi hanc radicem & siccandi in vmbra & conseruandi, quoniam hęc facile corrumpitur, imo Plinius dicit iridem etiam viuam facile carie infici ac corrumpi, quod signum est malæ humiditatis, quare ea acquirat malum odorem, vult Dioscorides, vt filo ipsam traiiciamus & suspendamus in vmbra, & ita siccētur radices, postea reconduntur: non enim vult, vt recondamus in filo, sed modo illo recondamus, vt conuenit aromatibus. Notandum est autem, quod vbi legimus *subrusso colore & gustu amaro*, mihi placet, vt legamus, *gustu feruido*, quoniam amara est deterior. Et hoc

Electio.

etiam notandum caput, quod continet iridis electionem: nam iris fertur ex Illyria & Macedonia: illyrica autem iris præstantissima erat, secundo in loco autem macedonica, quæ

Iridis plures species.

erat amara. Aduertendum est tamen, quod Plinius lib. 21. cap. 2. meminit radicis illyricæ & libycæ atq; aphricanæ, quæ mala erat, & reprobatur à Galeno lib. 1. de antidotis, tantum enim hæc cedit illyricæ, quantum cadauer corpori viuo: macedonicæ autem meminit Galen. lib. 2. de compos. medic. per gen. cap. 1. quæ deterior est etiam ex Plinio illyrica, & hæc duplex erat, altera raphanitis dicta; quoniam erat similis raphano, & erat peior

Discordia inter Mattheolum & Amatum Lusit.

inter illyricas: altera dicebatur risothomas, & erat melior. Hic autem notate discordiam inter Amatum Lusitanum & doctissimum Matthiolum; scio enim, quod lib. eodem, cap. 22. dicit raphanitidem esse peiorem alia, vbi vel litera est corrigenda, vt Amatus inquit, neque hoc nouum est, quoniam scabrosissimus est Plinius in loquendo. Nicander autem facit mentionem duorum fluminum in Illyria, à quibus asportantur radices multæ iridis,

Qua iris sit in vsu.

& à Galen. habemus calcidicā & astragalicim Trogloditidem, cuius meminit Aphricanus in libro de agricultura: & habemus etiam ex Plinio iridem Psiticam. Habemus autem nos nostram iridem italicam, quę optima est, & easdem vires habet, quas habebat illyrica: Iridem autem satis bonam habemus ex agro Veronensi & ex Hetruria: sed si haberemus illyricam illam scil. quæ ex Illyria delata esset, procul dubio optimam haberemus. Habemus etiam nos iridem syluestrem, cuius meminit Galenus in lib. 10. de compos. med. per loc. vbi de nephriticis Asclepiadis agit. Domestica autē est in vsu. Syluestris etiam alia oritur in collibus, & est tenuior domestica, & non ita odorata. Secundo habemus aliam, quam vocamus iridem illyricam, quæ colitur in hortis, & habet florem odoratissimum, & quæ dicitur syluestris, quoniam non seruatur ad vsum Medicinę, licet in hortis colatur, quoniā etiam illam, qua vtimur, non colimus, quoniam illa nihil culturæ desiderat autore Theophrasto. Dicit præterea Dioscorides loquens de hac iride, quod in vetustate teredine corrumpitur, nihilominus seruāda est, quamuis vetustissima existat, quoniam quanto vetustior est, tanto etiam præstantior ac odoratior, quoniam humidæ partes corrumpuntur.

Iridis natura & vires.

Vltimo agit de viribus radicum iridis dicens, quod habeat vim calefaciēdi, & exiccandi ac incidendi. Auicennas autem dicit calidam esse & siccam in tertio gradu non tamen intenso. Licet Serapio dicat esse calidam & siccam in secundo ordine, cui ego non adhæreo, sed potius Auicennæ & Mesuę idem dicentibus. Descendit autem Dioscorides

ad vi-

Particulares vires iridis à tota substantia.

ad vires iridis particulares à tota substantia, inter quas est purgare bilem & crassam pituitã, addatis etiam pituitam tenuem & aquam, nam nostri Medici dant huius radicis iridis vsque ad drachmas tres cum syrupo rosato solutino ad educendam aquam: Ego autem vsus sum succo radicis huius in hydrope: sed quoniam facit tormina, licet corrigi possit cũ puluere thuris & mastiche, non transiui pondus drachmarum duarum admixto melle vel saccharo; sed medicamentum hoc viribus fugio propter tormina ista. Sed dicet quis, ergo male Dioscorides inquit, quod torminibus medeatur: at ego respondeo, quod ibi loquatur de radicibus siccis, ego autẽ loquor de succo radicis virentis, in qua est multa humiditas cruda. Nam non est mirum, si facit tormina; vel dicamus, quod si adsint tormina ex materia biliosa aut pituitosa in intestinis, euacuat causam illam, & medetur sic torminibus. Subdit autor noster, quod medeatur etiam profluuio feminis, pro quo aduertendum est, quod non intelligit illud profluuium, quod solent pati iuuenes propter nimium coitum, quoniam tunc nocet: sed intelligo de gonorrhœa illa, quæ fit propter laxitatem vasorum, & de illa gonorrhœa seu profluuio, in quo homines vix tacta muliere emittunt semen, inuoluntarie scil. & de hac gonorrhœa credo etiam Dioscoridem intelligere, quam etiam sunt infiniti patientes. Addo experientiam, quoniam ego hoc pluries vsus sum cum sacch. rosato in his casib. per dies quadraginta maximo cũ successu hoc modo: R. radicis huius ireos pulueri satæ ℨj. sacchari rosati ℥j. s. & quotidie hora matutina exhibeo huius mixturæ cochlear vnum. Eodem modo curo etiam gonorrhœam propter laxitatem meatuum. Monet præterea Dioscorides, quod radices prosint tumoribus, & reuera domini in strumis puerorum nullum maius reperi remedium, sed hoc modo elixo radices virides, & cũ melle facio emplastrum, addo tum puluerẽ iridis & thuris, & repleo vlcus, & deinde superpono emplastrum hoc; & hinc fit, quod in ceratis illis reperitur iris, quoniam emollit. Addit Dioscorides, quod ossa carne cooperiat, & ideo in pulueribus illis recipiatur, qui capitales vocantur. Vltima facultas est detersoria: nam miro quidem modo valet ad maculas à sole prouenientes, pro quibus potissimum habemus remedium pastillum quendam Francisci Frisimelicæ confectum ex farina fabarum, cicerum & iride & amygdalis amaris faciendo ex his trociscos, qui postea dissoluti lixiuio maculas tangendo sanant optime.

Dubium an iris torminibus medeatur.

De Acoro. Cap. VII.

Acori nomina & significata.

SEquitur cap. de acoro; quoniam similis est iridi. Sed notandum vnũ est, quod acorum teste Plinio lib. 25. cap. 13. significat quandoq; radicem musci, quæ planta est spinosa. De hoc autem non loquitur Dioscorides, sed de illo, quod habet folia iridis, angustiora tamen. Sciatis autem quod vocatur acorum, quoniam pupillæ medetur: nam Galen. lib. 6. de simpl. med. fac. dicit, quod sicut asplenium cetrach dicitur à splene, ita acorum à pupilla vocatur, latini vocant plãtam hanc veneream, Galli vero piper apum, vt dicit Apuleius, & dicitur condimentum apum, quoniam si in earũ alueis ponatur, nunquam fugiunt. Folia habet planta hæc iridis, tamen angustiora, radices habet albas nec dissimiles ab iride secundum figuram scil. & colorem, tertio in geniculis, quarto, quia radices iridis sicut altera superficie deiectæ manent, ita & acori radices. Plinius autem lib. 25. cap. 13. dicit radices acori esse nigras: nam credo locum esse deprauatum, quoniam nemo alius de radice hac nigra mentionem fecit, imo in eodem loco dicit radices cretici acori esse candidiores quam pontici, quare supponit v trasq; radices esse candidas. Addit Dioscorides radices acori esse gustu acres, odore autem non ingratas, addit Galenus amarorem, Hermolaus vero non credidit Apuleium errasse dicentem hanc plantam raram esse, & reuera nõ reperitur vera, nisi in Ponto & Creta. Dat postea Dioscorides eius dotes & electionem, dicens, quod habemus tria genera acori. Primum est ex Colchide, secundum ex Galatia, tertium ex Creta, horum autem primum melius est. Habemus nos in officinis medicamentum, quod dicitur diacorum, pro quo conficiendo antiquiores nostri capiebant plantam illam dictam acorum in palustribus natum, & quidam voluere hanc esse verum acorum, sed errãt, quoniam planta hęc cõmunissima est, & radices habet rubras, nõ acres, neque amaras. Alii volunt esse gladioli speciem, quibus ego non consentio, quoniam folia acori non sunt neruosa vt gladioli, nec radices similes habet, neque flores, neque est species cyperi: nam ego potius dicerem esse xiridem aquaticam, vel sub nulla specie horum reponi debere censeo, & ratio me mouens est, quoniam radix ista habet vim extrahendi spicula infixa, sicut facit radix xiridis. Alii voluere acorum esse maiorem galangam officinarum. Nam habemus duas galangas: nam Leonicenus, Brassauolus, Fuchsius & Cornarius dixere galangam istam officinarum esse radicem acori: sed errant, nam color rubeus

Causa nominis.

Planta descriptio.

Plinii textus deprauatus.

Acori genera.

Acorum palustris non est verus acorus Dioscoridis.

Acori radices vim extrahendi spiculis.

Acorum non est galanga officinarum.

radici inest vtriq; , secundo vtraq; galanga ex calidis regionibus prouenit, acorum vero à frigidis. Prçterea non est amara galanga, vt dixit Galenus de acoro. Prꝍterea galanga habet geniculos, sed tota operta manet sub terra. Et hoc dico, quia radices habet capillares circumpositas toti radici crassæ, ac vndequaque circumdantes ipsam: at in iridis radice in vna tantum parte sunt radiculæ illæ. Possem & alia dicere, sed nos remitto ad Matthioli commentaria. Alii autem credidere calamum aromaticum esse verum acorum; sed ego semper in hoc Monardo cōcors fui, & tota schola Medicorum hoc acœepit, circa quod rationes multę ab ipso & à Matthiolo traditæ fuere. Et ad hoc primum me mouet regio, quoniā ex Lithuania, Polonia, Colchideq; affertur calam⁹ aromaticus hic, & ego audiui quod etiam in Creta reperiatur hæc radix, cum tamen calamus aromaticus ibi non inueniatur, quare multum non laboro in hoc.

An calamus aromaticus sit acorum.

Radicis acori vis.

Radix autē hæc vim habet calefacientem, & hoc notaui circa hanc radicem, quod multum facit ad lotium & menstrua. Nam sciendum est, quod ego hoc vtor cum succo botraginato ad vrinam ciendam, & maximum apud me est remedium; coquo autem radicem in vino tenui, & huius vsq; ad quatuor ciathos exhibeo, & ipso quidem infinitos lotii suppressione laborantes sanitati restitui. Et hæc de acoro dicta sufficiant.

De Meo vel Meu. CAP. VII.

Aromatis natura.

REquiri dicebamus superius, quod atoma esset odoratum, & haberet etiam vim viuificam, qua reciperetur iñ antidota, ac roboraret viscera. Cum ergo Meu & radix eius sit talis, merito inter aromata ponitur; non tamen est planta nimis peregrina, incepit enim Dioscorides à domesticis. In hoc autem capite tria facit Dioscorides: primum plantā describit, deinde loca proponit, vbi nascatur hæc planta; tertio vires eius exponit. Meu vocant latini plantam hanc. Et Meum ex Plinio lib. 20. cap. 23. Serapio autem cap. 182. vocat Mui quasi Meu, sed rationem certam nominis non habemus. Athamantinum autē dicitur, quoniam illud est preciosissimum, & sic vocatur duplici de causa autore Plinio, aut scil. eo, quod ab Athamante rege inuenta sit planta ista, vt Eupatorium atq; Lysimachiā à Lysimacho & Eupatore regibus nomen sumpsere: neq; legimus alium Athamantem fuisse, quam filium Aeoli regem Thessaliæ, qui phrenitide laborans filium persequebatur, & fortasse ex continuo plantę huius vsu rex iste in furorem incidit, & sic nomē plantę huic indidit. Altera occasio huius nominis est, quod sic dicatur à regione Athamante, in qua oritur Meu copiosum. De hac autem regione mētionem non habemus apud Geographos: reperio autem tantum populos Athamanos dictos, quos Stephanus reponit in Illyria aut Thessalia; Plinius vero ponit in Aetolia, quamuis Strabo dicat, hos esse inter gentē Epitoticam, quæ alias venit ex Aetolia, nam venio in hanc sententiam, quod ab istis populis nomen acceperit hæc planta, qui confines sunt Macedoniæ: nam planta hæc oritur in Macedonia & Hispania, quare aroma hoc est domesticum ortum in Europa. Vox autem Hispaniæ non est in omnibus codicibus grçcis, & forte adiecta est, nam nullus autor eius meminit. Nullam autem præsto ego fidem Amato Lusitano in hoc: nam mutauit ipse nomen & sententiam, nam inconstans est; quare non audeo vocem hanc Dioscoridis proferre. Contenti ergo erimus, quod oriatur in Macedonia. Plinius tamen negat plantam hanc oriri in Italia; quamuis alii herbarii dicant, quod reperiatur. Alias vendebatur radix vna pro Meu, quæ erat adulterina, & in montib. istis reperta est radix vna, satis Meu respōdens, sed est daucus primus Dioscoridis. Reuerendi fratres, qui in Mesuen commentaria scripsere opinati sunt imperatoriam ex montibus Apuliæ esse, & Medici etiam hoc recepere. Et si hoc verum est, non solum oritur Meu in Macedonia, sed etiam in centro Italiæ.

Ordo Dioscoridis in hoc capite.

Meu nomina.

Athamas Rex.

Athamani populi.

Amati Lusitani inconstantia.

Plantæ descriptio.

Textuum varietas & correctio.

Describit Dioscorides plantam hanc, dicens quod habet folia & caulem similia anetho: sed notanda est varietas, quia Marcellus legit, aniso, non autem anetho, nam dicit, aniso loco anethi ex autoritate Plinii, qui dicit Meu habere folia similia aniso nō anetho. Verum ego cum eo nō consentio, & credo mendosum esse textum eius & Plinii: quia omnes alii codices dicunt anetho. Oribasius & Arabes omnes mentionem faciunt de anetho, non de aniso, quare integra maneat hæc lectio. Meu habet caulem crassiorem, & surgit ad maximam altitudinem, & altitudo indicat necessario maiorē crassitiem. Descripsit postea Dioscorides radicem, & nihil meminit de flore & semine, sed omnes qui videre plantā hanc, dicunt eam habere vmbellam fœniculo similem, floribus candidis scatentem, & cū semine petroselini. Radices autem sparsæ sunt, & plures in rectum & obliquum tendentes, & Plinius addit, quod in profundum descēdit, & imperatoria apula habet radices longissimas, tamen satis crassiusculas. Radices autem Meu tenues intelliguntur, si referantur

ad duas

Meu facultates.

ad duas prius descriptas. Odoratæ sunt radiees, sed graui odore calefaciunt linguã: per calefactionem autem intelligimus quemcunq; feruorem: calorem.n. quemlibet excitant, & quandoq; etiã cient saliuam. Hæ igitur sunt notæ radicis meu. De colore autẽ nihil dicit, sed Plinius dicit esse nigras. Succedunt ipsę facultates, quibus medetur renum affectibus, torminib. & thoraci prodest atq; menstruis. Gal. inquit, quod Meu sit calidũ in tertio gradu & siccũ in secundo. omnia autẽ talia habent vim validã calefaciendi. Serapio autẽ dicit esse calidum in secundo gradu, sed vos ipsum corrigatis. Dioscorides autem monet: quod si bibantur radices in quãtitate nimia, excitant capitis dolorẽ; & ratio est, quia si sint in vẽtriculo cruditates, ex meu ascendunt vapores, qui excitãt dolorem capitis, sed facient hoc etiam omnia medicamenta calida sumpta repleto ventriculo. Et hæc sententia vera est in omnibus odoratis & calidis, & credo quod Dioscorides doctus ab experientia hoc obseruauit, quoniam radix meu præter modum halituosum, & habet grauissimum acremq; odorem, & abundat humiditate plurima quæ diu durat. Notandum est autẽ, quod ex notis propositis ex Plinio & Dioscoride vnam habeo, quæ impedit, ne dicam, imperatoriam illam esse meu: nam radices meu sunt plures ex Dioscoride ac sparsæ, sed omnia adsunt alia dicta ab ipso Dioscoride. Adest alia difficultas ex Plinio de folio anethi & anisi: Sed locus Plinii iudicio quidem meo mendosus est, quare restat vnica difficultas, quæ aliis doctissimis non obstat. Ego itaque cum istis monachis, Matthiolo & aliis dicam esse meu Dioscoridis, vel si vos meu vti volueritis, poteritis hac radice vti imperatoriæ apulæ, vt faciunt omnes nostri Medici, quam ego ob id vobis ostendam.

De Cypero Cap. VIII.

DE Cypiro vertit Ruellius noster, sed inscribendum est de cypero: Sic enim semper latini vocauerunt, & Apuleius cap. 12. tractat de hoc, & Dioscorides ipse tanquam de aromate: Theophrastus autem lib. 9. cap. 7. enumerat cyperum inter aromata atque odorata medicamenta. Quatuor facit Dioscorides in hoc capite: primo nomina tradit, secundo plantæ descriptionem, tertio electionem, quarto vires, simulq; descriptionem cuiusdam similis ipsi cypero.

Nomina cyperi.

Plurima sunt verba in textu Dioscoridis lecta, in quibus nomina cyperi explicantur, & in quibus describitur planta, quæ tamen desiderantur & desunt in textu Oribasii. Nam cum omnes textus græci & Arabes hæc verba habeant, ideo crediderim ego hæc potius deesse in Oribasio, quam superabundare in Dioscoride & aliis. Notandum est autem, quod planta hæc dicitur apud græcos omnes κύπερος, & ita vocatur à Theophrasto; sed lib. 1. & 4. c. 11. & lib. 7. de caus. plantar. cap. 17. vocat eam κύπειρον; nam possumus nos vtroque modo eam appellare. Paulus etiam aliter eam appellat. Sed non refert quomodocunque appelletur; nostri autem latini appellant cyperum neutro genere, in qua parte decipitur interpres Theophrasti vertens gladiolum pro cypero. Apud Plinium autem reperietis Cypirum & Cyperum. Cypirus est gladiolus reu[illegible]ra, & ob id deceptus fuit interpres ille: at cyperum est idem medicamentum, quod est apud græcos.

Nomina varia & eorũ causa.

Inquit etiam Dioscorides quod vocatur Crisisestron, fortasse similitudine accepta à iunco, quia hæc planta sit veluti virga iuncea, vel, & melius, quia in summo caule ferat calicem continentem semen. Similis est enim caulis huius plantæ malo nauis atq; arbori, habens calicem illum in summitate & calathum: & nisi hæc sit vera causa nominis, à me alia ignoratur: à latinis vocatur Iuncus angulosus & triangularis, vt à Plinio lib. 21. cap. 18. vocatur. Celsus autẽ lib. 3. c. 21. vocat iuncum quadratum, quia aliquando caulis eius habet quatuor angulos: nam cum Mutinę copiosus sit cyperus, & cum quatuor angulis, dicitur ab ipso vulgo quadriletto. Radix iunci etiam appellatur à Columella lib. 12. cap. 51. & ego probo hoc verum esse ex Marcello Medico c. 12. vbi dicitur iunci radicem vocari cyperum à græcis; ab Auicenna autem cap. 149. vocatur Shad, à Serapione vero cap. 192. Shaerade, quæ voces diabolicę sunt ac nimis barbaræ.

Planta descriptio. *Folia.* *Caulis.*

Deuenit Dioscorides ad plantæ descriptionẽ; dicens quod folia cyperi sint proxima porraceis, licet angustiora & exiliora. Democritus inquit, quod habet folia similia cartæ ac papyri foliis. Theophrastus ponit similitudinem à foliis arundinis, tamẽ subiunxit quod sint folia habẽtia veluti carinam & angulũ: nam assimilantur foliis porraceis. Habet caulem iunci, non legatis tamen illud *odorati*, quoniam non adest hoc in vllo autore. Altitudo caulis est cubitalis, & aliquando maior sine nodis, atque angulosus est & leuis. Theophrastus etiam testatur lib. 1. de histor. plantar. c. 8. caulem esse sine aliquo nodo, & angulosum esse, in cuius caulis altitudine est calathus cum foliis minutis & seminibus, ex quibus foliis erũpunt flores & semina in panniculis. Semina autẽ describuntur à Democrito, qui inquit

Semina cyperi comesta inebriant.

semen esse veluti milii, & est semen infestissimum in nostra oriza in nostris regionibus, & si concedatur, inebriat, vt lolium, corticis est nigri & duri: radices habet conuolutas inter se, vt dicit Theophrastus lib. 4. de hist. plant. cap. 11. qui eas ibi describit. Infinitæ autem sunt radices inuicem complicatæ; vt sunt radices arundinum; adsunt & aliæ aliquæ radiculæ festucosæ, quibus appendũtur aliæ radices oliuosæ: nam hæc planta habet duplicem indicem ad superiora & inferiora, cum tamen aliæ plantæ sursum, aliæ deorsum magis feruntur, aliæ in vtramque partem, & huius rei habemus exemplum cyperi esculenti, qui dicitur dulcichinum, in qua planta discordia est maxima inter Matthiolum & Guilãdinum, & res quidem difficilima est, circa quam ego manum non impono. Planta autem hæc dicitur Thrasci & dulcichinum, neq; mihi dubium est, eam esse speciem cyperi, licet planta esculenta sit, & Veronæ copiosa nascitur, quare colligo trascum esse cyperum esculentum. Radices ergo cyperi sunt aut rotundæ, aut similes nucleis oliuarum, vt inquit Democritus. Sed notandum est, quod duplex est genus cyperi, alterum radicis oliuaris, & hoc non nascitur in marchia Taruisina, sed fertur ex Creta. Sed habemus hic cyperum cum radicibus similibus radicibus illis, non tamen exquisitis, cyperus tamen est, sed Mutinæ ac in Hetruria habemus optimum cyperum, radices eius sunt nigræ ac rubræ præter partem proximam cauli, & suauem habent odorem radices istæ, qui tamen diuersus describitur à bistis, & mihi videtur odor veluti vini, nam quasi inebriat, & ideo mirum non est, quod quadrilettum rusticos inebriet. Dioscorides autẽ inquit, quod radices istæ sint amaræ, ac Theophrast. lib. 6. de causis cap. 16. dicit radices esse dulces ac odoratas, non folia nec caulem, quare discordia maxima est, & nisi per radicem intelligamus partem illam, quæ producit caulem, siue à qua oritur caulis & radices omnes: nam radicatio illa non est amara, sed odorata ac veluti dulcis: nam dico, nisi hoc modo intelligatur Theophrastus, nescio quidẽ quid dicam, nisi quod codex sit deprauatus, vt loco cyperi reponamus gladiolum; hoc autem alii iudicent. Theophrastus autem lib. 4. de histor. plantar. cap. 12. inquit, quod nascatur in aquosis locis, & locis in quib. deferri possumus nauigiis. Postea ponit electionem, quod sit radix eius grauis, plena, densa, aspera, odoris iucundi cum acrimonia aliqua ex Sicilia Syriaca & Cycladibus insulis. Plinius autem probat illam, quæ fertur ex Ammonia primum, secundo ex Rhodo, tertio ex Ægypto, & magis credo Dioscoridi in hoc, empyricus enim fuit. Creticum cyperum optimum est vel ex Hetruria, vltimo ex locis his nostris. In vltima autem parte post facultates notas subdit, quod sit alterum cyperum in India nascens, quod manducatum croci calorẽ affert, & est psylothrum hæc planta, seu plantailla, quam vocant curcumam, quæ etiam dicitur terra emerita, hęc autem radix similis est zinziberi, & est psilothrum etiam.

Plantarum impetus triplex est. *Cyperi duplex genus.* *Vnde ad nos deferatur verum cyperum.* *Discordia inter Dioscoridem & Theophrastũ circa saporem radicis cyperi.* *Cyperi electio.*

Notandum est tamen in hac voce curcuma, quod omnes recentiores cum legerint compositionem illam Mesuæ diacurcuma corruptam, digladiantur inter se: sed compositio est diacurcuma, quæ est compositio ex croco. Alii autem multi per curcuma intelligunt radices rubiæ tinctorum, hanc tamen expositionem non reperietis apud vllum Arabum. Alii volunt quod intelligamus radicem chelidoniæ, & adducunt Serapionem, qui male interpretatus est. Alii intelligunt cyperum indicum per illud curcuma, sed omnes male faciunt, & imponendus est crocus, & inscriptio corrigenda est. Curcuma autem officinarum est cyperum indicum.

De Cardamomo. CAP. IX.

CONiungitur Cardamomus cum reliquis aromaticis medicamentis. Habet enim omnes notas requisitas. Theophrast. lib. 9. de histor. cap. 7. ipsum enumerat inter aromata: merito itaq; Dioscorides de eo hic agit. In hoc autem medicamento habemus infinitas tenebras, circa quas dicam ego sententiam meam liberam, vt audietis. Caput hoc Dioscoridis habet tres partes, in quarum prima loca tradit, in quibus oriatur hæc planta; in secunda electionem & in tertia facultates proponit: quo enim ad plantam, nullam proponit ipse descriptionem. Quod itaque ad primum caput Dioscoridis, dicit quatuor vel quinq; esse loca à quibus prouenit hæc planta, ex Comagene scilicet, ex Armenia & Bosphoro, ex India & ex Arabia cardamomum asportari dicit. Galenus autem inquit, quod hoc cardamomum, quod habemus, sit semen quoddam, cuius figuram tamen neq; ex Galeno, neque etiam ex Dioscoride habemus: sed Galenus dicit, quod contineatur hoc semen in siliquis vel calicibus: reliqua vero habentur à Plinio lib. 12. cap. 13. semen dicente esse oblongum & virens, ac nõ omne semen hoc tale est, sed aliqua tantum eius species: nam alia species est coloris ruffi, & est pingue, angulosum, fractu contumax: hæc autem

Cardamomum quid sit & quale.

tem partim colliguntur ex Diosc. partim vero ex Gal. & Plinio. Addatis autem, quod semen est amarum atq; odoratum: Item quod habet medullam aliquam internam. An vero nos habeamus hoc medicamentum, cardamomum scil. græcorum, credo ego quod non. *Cardamomo græcorum caremus.* Comagene est regio Ciciliæ prope montē Amanum Syriæ proxima, quæ postea dicta est Euphratisia ab Euphrate amne. Ex Armenia etiā ferebatur & Bosphoro, sed nō explicat ex quo Bosphoro: habemus. n. & Bosphorū Thracium qui dicitur il Stretto di Constantinopoli: alter v. Bosphorus est Cimerius, per quē transit palus Mœotis in Pontū, & est quædā angustia distinguens inter paludem Mœotidem & Pontum & mare Ionium. *Bosphorus duplex.* Theophrastus autem confirmat, q; ex Media & India feratur & ex Arabia. Credo tamen ego q; caremus cardamomo græcorum vero. Postea autē Dioscorides notas electionis cardamomi proponit dicens, q; oportet vt sit plenū, nō exesum, fractu cōtumax & conclusum in valuulis ac siliquis, & quod sit acre, subamarū & valde odoratū, imo maximē odoratū. *Electio.* Apud Plin. autē li. 12. c. 13. habemus 4. genera cardamomi, quorū primū est viride & cū aliis cōditionib. dictis, & est optimū cardamomū: secundo proponitur cardamomus ruffus & cādicans, tertio nigrum, quarto vero vacuum, exesum & pessimū, cum supposuerim verum cardamomum esse semen plenū, & habere illas conditiones quas proposui. *Quatuor genera cardamomi.* De hoc autē loquuntur Arabes sub nomine Cordumeni, cuius meminit Serapio c. 116. & Auic. c. 159. canon. 2. in quo cordumeni ipsum habemus duplex, alterū, quod dicitur Corda, Cordumeni, Cordamana, quod penitus est Cardamomū ipsorum grēcorū & nihil differt; alterū est cordumeni, quod dicitur corduhemana, & non est cordumeni vel cardameni Arabū, sed est semen illud, quod proprie est carui græcorum, de quo loquitur Rhases lib. vltim. continētis tract. 2. *Cordumeni Arabum.* Et istud secundū cardamomū est caros græcorum, quod est carui agreste, quod fuit causa turpissimi erroris Serapionis & Arabum: interpretatus est n. dicta de primo cordumeni, de hoc secundo ac de carui, cum debuisset interpretari de cardamomo græcorum, & hoc est notandū, quoniam facit difficultatem; non habetis. n. caput in Serapione de cardomomo, sed de carui agresti. *Carui agreste.* Notandum est etiam in Auerrhoe 5. collect. 42. quod interpres eius recte interpretatus est, sed apud Arabes inuenietis caput de cardamomo, quod non est cardumeni, sed dicitur Sachola vel Kakola, & Auicennas de hoc tractat in 2. canon. 158. & Serapio c. 54. & Rhases vlt. cont. tract. 1. & 2. neq; hoc est cardamomum grēcorum; imo hoc cardamomum græci non nouere, cuius testem habeo Auerrhoem 5. collect. 56. qui enumerat Sachola inter medicamenta ignora græcis. Hoc autem Cardamomum descriptum fuit ab Arabibus omnibus, & etiam ab Isaaco sub litera C. Serapio autē mihi in hoc nō placet, quia citat Isaacum, at corrupte: Habemus enim Isaacum integrum, Auicennam vero satis confusum: nam ego ex Rhase & Isaaco colligo semē hoc esse contentum in siliquis triangularibus, & habet neruum complectentem totum semen: & hoc duplex est, maius & minus; & minus est magis calidum: nam cum videam cardamomum delatum ex India duplex esse, & non videam copulam illam, credo has duas siliquas esse cardamomum vtrumque Arabum: & in officinis deferri cœpit hoc medicamentum pauco abhinc tempore, & in aliquibus locis reperitur. Nam ante tempora nostra in officinis duo semina erant in vsu pro cardamomo, quorum primū erat Nigella pallida, qua vtebantur apothecarii pro cardamomo minori. Secundū vero erat semen quoddam delatum ex Albania & Indiis, quod dicebatur melegeta, quoniam similitudinē melicæ præ se ferebat, & erat in vsu pro cardamomo maiori, & dicebatur etiam granum paradisi, sed detectum est figmentum, quamuis medicamentum esset opportunum in officinis, & error hic fuit à Manardo detectus, ita vt medicamentum hoc sit illud, de quo Auicennas loquitur cap. 203.

Adiunctum est autem tertium semen, quod dictum est cardamomum minus, & est verum cardamomum minus Arabum, quod seruatur extra siliquas. Aliquot vero diligentiores inuenerunt etiā cardamomum maius, quod & ego vobis ostendam: nam errant, qui dicunt, nos carere cardamomo Arabum, & esse idem cum cardamomo græcorum. Explicat deinde Dioscorides vires huius medicamenti, quas tamen ego non dicam, quoniam reuera medicamentum hoc non habemus; dico tamen quod calidum & siccum sit in tertio gradu, & parum minus, quam semen nasturtii, quod est calidum & siccum in quarto. Hoc autem supposito video, quod pro cardamomo supponitur myrthus: sed ego miror, cū myrthus sit frigida. Galenus supponit pro cardamomo carpasum; quam tamen non habemus: & si haberemus, ego non supponerem: Est enim eius lachryma venenosa: quandoq; supponitur radix cyperi, neq; mihi placet, quoniam non est adeo calida; ammoniaca & galanga minor meo quidem iudicio posset supponi, quoniam forte est vera cyperis ammoniaca. Galenus autem lib. 7. de compos. medic. sec. loc. cap. 2. supponit semen sinapis, q;

est calidum & siccum in quarto gradu, ideo fit eius minor quantitas. At Galenus ex Democrate supponit cinamomum, quod facere etiam potestis, aut supponere galangam vel cardamomum minus Arabum, quod calidum est & siccum in tertio gradu. Difficultas autem quædā est apud Ianum Cornarium de medulla quadam, cuius mentio fit in 2. de antidot. cap. 10. & 11. ideo loca ipsa vos potestis videre, quoniam hic omitto.

De spica nardi indica. CAP. X.

Spica nardi indica duplex.

ERat opinio græcorum omnium nardum connumerandam esse in aromata, testes habemus Medicos & historias: nam Diosc. inter aromata ponens nardum primo tractat de nardo indica, eo, quia nobilior est; duo n. sunt genera nardi indicę; alterum s. quod indicum est, & alterū Syricum. Nardum autem indicū vocant, quoniam ex India ferebatur & probatius est aliis: & hoc genus nardi duplex est, alterum indicum, alterū syricum; quoniā oritur quidem in montibus Indiæ, sed vergentibus vna facie ad Syriam. Et potestis tollere difficultatē illam, quando legeritis Gal. in lib. de antid. probare spicam indicā, Dioscoridē autē approbantem syriacam; quoniā nulla est contradictio, quamuis videatur, quoniā etiā spica syriaca est indica spica: & indica apud Diosc. differt tantum ratione aspectus loci: at indica apud Gal. probatur ratione eius, quę ferebatur ex Creta & Arabia, non autē ratione Syriacę illius: quare non contradicunt sibiipsis hi scriptores. Præterea distinguitur hoc genus nardi in campestre & montanum. Ortum autem in campestribus deterius est propter Gangem fluuium: Ortum vero in montibus robustius est, præsertim in facie respiciente Syriam & meridiem vel occidens. Nescio autē ego, cur Dioscorides reticuerit descriptionem huius plantæ. Credo autem quod dimiserit eam, (descriptionem) quoniam integram ignorauit historiam, quæ tamen ab alio non est descripta: nam reliquit nobis scrupulum, an habeamus spicam nardi. Manardus 4. epistolarum suarum lib. 6. inquit, nos non habere spicam veram indicam, quare ab eo nihil accipere possumus. Ad Plinium ergo deueniamus, qui etiam ignorauit hanc plantam: nam lib. 12. cap. 12. describit fruticem crassa radice constantem breui & nigra, redolente cyperum, aspero sapore, fragibili, leui folioq; paruo & denso, ac producente in summo aristas & spicas. Inquit præterea, quod habeat duplicem facultatem: primo enim venduntur spicę, secundo cespites, qui dicuntur Sphæron. Sed decipitur hic vir, & transtulit ab aliquo vano scriptore sine vllo delectu: hęc enim planta potius est iuncea, quam fruticosa: nam talem proponatis vobis cespitem nardi indicę, qualis est cespes iunci odorati, & eadem est radix cum iunco odorato. Pręterea addit quoddam contrarium, quod scil. ex cacumine promit aristas; sed spica illa est pars radicis, non autem oritur ex cacumine. Nam vt meam proferam sententiam partim doctus experientia, partim vero autoritate scriptorum dico, quod credo hanc esse plantam ianceam cum radicibus iunci desinentibus in quoddam caput in duas partes distinctum, in spicas & folia & caules: non dicam autem vobis foliorum figuram, quoniam non fertur ad nos integra planta: spicæ autē videntur veluti flores quidam confecti ex lana vel gossipium, & istæ spicæ sunt in infimis radicibus. Galenus autem lib. 1. de antidotis testatur spicam nardi non esse spicam, sed radicem, nec intelligendū est de radicib. nutrientibus plantā, sed per radicem intelligendum est hoc in loco id, quod adhæret cespiti. Philo Tharsensis dum describit antidotum, appellat plantam hanc radicem falsi nominis, quia nō est proprie radix, sed pars cespitis inferioris, qui hæret terræ ac radicibus veris: nam nos colligimus nardum esse plantam iunceam vel graminosam: quare falsa est historia Plinii; veraq; sententia Galeni: locus autem Philonis est lib. 9. de compos. med. per loc. cap. 4. vbi habetis epigramma quoddam difficillimum, in quo medicamentum hoc appellat radicē falsi nominis, quoniā radix est, & tamen dicitur spica. Aliqui tamen non intelligentes Galenum nec Philonē, credidere, quod falso dicatur radix. Talis autem ad nos defertur planta hæc, & miror maxime de Manardo. Habemus ergo nardū indicam vel syriacam vel non, & defertur ex regno Cambaiæ vel Gambage: & huiusmodi regio est Gedrosia, quæ dicitur à Ptolomæo Gogiamba, & est maioris Asiæ regio: fertur etiā ex loco dicto Sagapeno à Ptolomæo. Postea distinguit Diosc. nardū in campestrem & montanā, eligitq; montanā, quoniā calidior est habetq; notas syriacæ, & credo omnē hanc plantā oriri in locis riguis, quoniam planta est iuncea, & amat aquas locaq; irrigua: præterea describit Dioscorides nardi alterum genus, pseudonardum dicam & samphoriticum, & hoc indicum non est, quoniā tria tantum genera sunt nardi indicæ: hoc autem ferebatur ex Arabia fœlici ex Saphtha vel Sathpha metropoli Sabæorum, vt ex libro 17. Strabonis colligimus. Recētiores autem habent vnam plantam quam vocant pseudonardum. In hortis .n. oritur fruticosa planta quædam referens folia stœchados cum floribus rorismarini, & cum spicis seu spicatis floribus,

Contradictio apparēs inter Gal. & Diosc.

Cur Diosc. descriptionē huius plantæ omiserit.

Descriptio ex Plinio.

Propria opinio de hac planta.

Error Manardi.

Electio spicæ montanæ.

Pseudonardus.

floribus,quæ planta vulgo dicitur ſpigo, cuius ſpecies alia faciens ſpicas breuiores, dicitur lauanda aut lauandula, & hæc planta pſeudonardus dicitur à quibuſdam. Alii autem credidere hanc eſſe ſpicam Plinii, ſed maxime errarunt; non enim habet coniunctionem illam cum nardo: nam potius ego ipſam coniungerem cum arabico ſtœchade, credens quod ſit pſeudoſtœchas,licet neſciam an deſcripta ſit duplex hæc planta ab antiquis.

Narrat deniq; Dioſcorides adulterium ipſius ſpicænardi,& ipſum detegens facit nos cautos in ipſo dignoſcendo. Vim autem habet nardus calefacientem & ſiccantem: nam Gal. in lib. de ſimpl. med. fac. cap. propr. inquit,quod calefacit in tertio gradu, qui locus deprauatus eſt: nam credo ego legendum eſſe in ſecundo gradu:idem enim teſtatur Auicennas cap. 640. & Aetius atq; Serapio, nec ſpica noſtra calida eſt in tertio gradu,vt patet ex guſtu; non enim fugat guſtum à ſe ac exurit,ideo non eſt in tertio.

De Spica celtica. Cap. XI.

TRes dicebam eſſe ſpecies nardi, indicam ſcil. celticã & montanam:& indicam diſtinctam eſſe diximus in Syriacam & indicam: & quia Dioſcorides de indica iam egit, merito itaque de ſecunda in præſenti tractat, videlicet de celtica,& præcipue cum habeat omnes eaſdem dotes,quas indica,licet non ſit adeo nobilis:nardus autem vocatur gallica, quia in Galliis copioſa oritur,& per Gallias,regionẽ intelligimus illam, quæ continet Mediolanum & Pedemontanam regionẽ. Triplex enim erat Gallia, Togata,quæ ſub Italiæ nomine continetur. Secunda autem pars Galliæ erat Bracchata,quæ dicitur Prouincla, ſeu vt vulgo vocatur Prouenza,ac Narbonenſis: Tertia erat Gallia comata,quia comã ferebant homines regionis illius. Notandum eſt autem, quod Auicennas cap. 646. & Serapio cap. 52. appellarunt hanc ſpicam romanam, quoniam ex regionib. romanorum ad ſuas regiones ferebatur. Statim poſtea deſcribit locos, in quibus naſcitur hæc planta, dicens, quod copioſa reperiatur in Liguria,& ibi eſt metallum iſtius plantę ex Plinio lib. 20. cap. 21. & lib. 12. cap. 13. & præcipuus locus, qui laudatur à Plinio, eſt in confinio Ligurię, qui dicitur Eporea ,quam inquit Dioſcorides, quod latini vocant Saliuncam, vt patet ex Virgilio in bucolicis eclog. 5. cuius Saliuncæ meminit Plinius libr. 21. capite 20. Sed notandum,quod variæ ſint lectiones in Dioſcoride,attamen non reperiam aliam vocem in autoribus,quam ſaliuncam,credo ſic legendum eſſe, nec eſſe expungendam iſtam vocem, licet Matthiolus hoc velit; quoniam ſaliunca non eſt reuera idem cum nardo celtica, quia Plinius ſeparatim de his agit. Præterea habemus Virgilium conferentem Saliuncam cum roſetis: ergo nulla eſſet comparatio, & Seruius inquit, Saliuncam vocatam eſſe orcitunicam,quæ eſt ſpecies anemonę piloſæ. Non poſſumus ergo hoc aſſerere,quod Saliunca ſit nardus celtica. Deinde varia prodit Plinius de nardo & Saliunca,& omnes hæ rationes fundantur in his autoritatibus: nihil tamen pareant; ego aliter ſentio, & quæ me mouent, iſta ſunt: quando volumus probare duas plantas eſſe vnam & eandem, primo accipimus deſcriptionem plantæ, odores,ſapores, vſus,loca vbi oritur, culturam etiã & collectionem. Additur autoritas Dioſcoridis, quia de vtriſq; plantis agit tanquam de vna; & mirum non eſt de Plinio, quoniã ab aliis tranſcripſit, & ideo de nardo egit,ſicuti tranſcripſit ab aliquo græco: de Saliunca vero accepit à latinis. Plinius ergo inquit Saliuncam oriri circa alpes ad Eporediam ciuitatẽ,& ibi eſt metallũ,& hoc fecit difficultatem multis doctiſſimis viris non aduertentibus hanc locutionem poeticam eſſe, & metallum ſignificare locum,vbi copioſa colligitur hæc planta. Sed hæc loca ſunt Liguriæ partes, vbi dicit Dioſcorides oriri nardum celticam, & ſubdit Plinius,quod in Pannonia & Norico oriatur iſta planta,& hæ ſunt partes Iſtriæ,de qua dicit Dioſcorides; & ex iſtis locis nunc habetur copioſiſſima hæc planta. Addit Plinius colligi hanc plantã,& comprimi in faſciculos,q̃ verba videntur capta ex Dioſcoride in nardo celtica. Addit Plinius vltro hanc plantã habere radicem denſam & numeroſam, Dioſcorides autem approbat illam radicem, quæ denſior eſt. Plinius inquit,quod roboret ventriculũ & vomitui reſiſtat, quod tamen videtur ſumptum ex Dioſcoride; & licet aliqua varient, non tamen ſunt contraria. Marcellus Medicus lib. 20. in antidoto ad ventriculum dicit Saliuncam vocari nardum celticam. Scribonius Largus c. 153. vtitur Saliunca ad affectus veſicæ,& nardus celtica præcipuum eſt medicamentum,vt patet ex Dioſcoride. Ex his autem rationibus autoritatibuſq; concludendum eſt eſſe eandem plantam,nec mirum eſſet,quod Seruius ignorauit hanc plantã. Sed conceſſo, quod ſic vocaretur planta hæc ſuis temporibus, nihil concluditur propter hoc. Ad Plinium autem dixi, quod ex aliis tranſcripſit, & mirum non eſt de varietate illa.

Comparatio autem ſaliuncę cum roſetis eſt in nobilitate ac odorum florum ipſorum

Nardus celtica cur dicatur gallica.

Triplex Gallia.

Loca vbi naſcitur.

Saliunca.

An ſaliunca ſit ſpica celtica.

Opinio propria.

Declaratio Plinii.

Nardi celtica vires

Planta descriptio. non autem alia ratione. Subdit postea Dioscor. descriptionem plantę dicens, quod folia sublonga sunt, flos luteus: nã hęc nardus est species phu, i. e. valerianę, & oritur in his mõtibus, & ab istis dicitur valetiana montana. Caulis paruus est cum vmbella florum luteorum, radices sunt capillares, quæ spicatam habent radicationem, quæ amaræ sunt & odoratę, vt nardus indica, & dicitur nardus propter hunc odorem nardi, & qualitates eius sunt quales describuntur à Dioscoride. Copiosa fertur ad nos hæc planta ex Carinthia vel Carina & ex Norico in maxima copia. *Electio & præparatio. Adulterii.* De præparatione autem & electione agens Dioscorides, dicit ea, quæ nota sunt, quæq; omnia ab ipso traduntur. Subdit deinde adulteriũ spicæ celticæ. Plin. lib. 12. cap. 12. mentionem faciens de quodam Hirculo, quo adulterabatur nardus celtica, ego autem non noui hunc hirculum: scio tamen omnes decipi credentes *Error aliorum.* nostram spicam esse spicam celticam. Alii voluere lauendulam esse nardum celticam, tamen falluntur. Alii etiam voluere ipsam esse saliuncam, cum tamen toto cœlo aberrent, & miror de istis, qui non vident autores omnes in contrarium facere. Errant etiam, qui pseudonardum appellant; nam potius est, vt iam dixi, pseudostœchas, cum ipsi sint maxime similes istæ plantæ.

De Nardo montana. CAP. XII.

TRia habemus genera nardi ex Diosc. indicum s. celticum & montanũ: illius primi generis quatuor sunt species, videl. spica indica & cretica. *Nardi genera & species.* Indica autem diuiditur in gangeticã & Syriacam: Syriaca rursum in montanam & gangeticam simpliciter: & hæc montana quæ constituit tertium genus multũ differt ab illius primi generis montana. Diosc. ergo primo voces ponit, secundo descriptionem, tertio electionem, quarto autẽ proprietates. *Ordo Dioscoridis. Nomina eius.* Quo ad primum, dicit Diosc. quod hæc spica dicatur thylacitis & niris, quæ voces leguntur apud Paulum & Gal. & ideo credo ego voces has esse legitimas. Thylacitis dicitur, id est, vesicaria ratione radicis, quia profert radices similes radicib. asphodeli, quæ sunt flaccidæ, & veluti foliculi, & huius explicationis autor est interpres Nicandri Scholiastes in alexipharmacis. Noster autẽ Auic. vocat nereidẽ montanam. Niridis vero nominis causam non cognosco, quãuis vox legitima sit, vt patet ex ipso Auic. Galenus etiã vocat ipsam hoc nomine Pyritim, nec ratio satis constat. Scimus. n. omnia medicamenta habẽtia in se vocem Pyrhi habere etiam in se feruorem & ignem: nam marchesita dicitur Pyritis. Pyrethrum etiam hinc dictum est. At hæc planta ignem non habet nec feruorem, nam credo ego vocem esse corruptam apud Gal. & ideo legendum esse nititim, nulla enim est differentia nisi in prima litera: nam facilis fuit transitus à niritide in Pyritidem. *Corruptus textus Galeni.* Si vero non placet hæc expositio, asserendum tamen corruptam esse vocem; legi posset fortasse pyrinitis, id est, nuclearis, quia radices eius sunt veluti nucleæ oliuarũ. De hac spica Plinius nõ meminit: meus autem præceptor Brasauola etiam errauit: credidit. n. spicam existentem in officinis esse hanc montanam, cum tamen hæc duersissima sit: illa enim indica est, & potest esse montana, non tamen hæc montana tertia est. *Brassauola error.* Inquit autem Diosc. quod in Cilicia & Syria oriatur: habemus tamẽ etiam in Italia, in Marchia Anconitana, in monte Sybillæ & collibus romanis, è quib. copiosissima efferebatur. Ciliciæ autẽ ea pars Carmania dicitur, in qua oritur hęc plãta. Ponit deinde Diosc. descriptionẽ plantæ, inquiẽs quod oriatur surculo & foliis eryngio simillib. sed hæc interpetatio mala est, nam vos legere debetis, quod oriatur caule & folio similibus eryngio, nec tamen planta spinosa est: nam errauit Amatus Lusitanus tum in prima tum in secunda commentatione & multas nugas profert. *Error Amati Lusitani.* Habemus enim in Italia hanc plantam: folia similia eryngio sunt diuisa & figura, non tamen spinis, sed minora sunt folia: nam minor de Matthiolo, qui nunquam voluerit hanc plantam cognoscere pro spica montana, cum tamen habeat folia valerianæ. *Error Matthioli.*

Idem dicit Auicennas, additque quod stipites sunt citrini & minores stipitibus eryngii, & hoc, quod addit Auicennas, est à Dioscoride prætermissum, quod scilicet radices habet binas vel plures similes radicibus hastulæ regiæ, subnigras, & odoratas. In hac autem nostra nardo sæpissime inuenimus nos duas radices similes Satyrioni ac veluti duas oliuas coniunctas: quandoque vero vnam, ac tres vel quatuor radices habet. Nigredo autem est in cortice tantum. nam Oribasius inquit, quod sint albiores, quã radices asphodeli; quæ tamẽ additio est suspecta: quoniã asphodelus habet radices subalbas, neq; caulẽ neq; fructũ neq; flores profert, & valet ad ea omnia, quæ facit nardus celtica. At notandum, quod hic est contradictio magna: nam superius dixit hanc plantam habere caulem similẽ eryngio, nunc autẽ dicit non habere caulem nec flores: nam illi hoc animaduertentes loco caulis surculos conuerterũt; quod tamen agendum nõ erat, quoniã surculi

à caule

caule oriuntur. Sed, vt ego arbitror, difficultas est in illo verbo φέρει, loco cuius legendum est συμφέρει, & hoc probo: nam in capite de dictamno cretico idem dicit, scil. *fert* pro *confert*: nam sic significat, neq; caules neq; flores conferunt in re medica nec fructus: nam reuera huiusmodi plantę, huius partes sunt similes, & etiam Matthiolus probat hanc castigationem meã: nam verba illa legatis vos in nominatiuo ac primo casu, nõ autem in accusatiuo. Postea dixit Dioscorides, quod sola radix habeat vires nardi celticę, & materia optime cõsequitur. Hæc autem dicta sufficiunt de nardi generibus ac speciebus omnibus. *Corruptio loci sine textus.*

De Asaro. Cap. XIII.

QVoniam radices Asari odoratę sunt, seruantq; semper odorem, aliisq; ipsum communicant, merito de iis hic agit Dioscorides, cum præsertim similes sint nardo odore ac viribus. Tria autem facit Dioscorides in hoc capite; primo historiam prodit, secundo facultates: Tertio loca, in quib. copiosa nascitur hæc planta, & aduertatis quod maxima opus est diligentia in hac planta, quoniã multa ex capite de bacchari huc translata sunt. Inquit Dioscorides, ꝙ hæc planta vocatur syluestris nardus, quæ pars potest legitima esse, cũ tamen aliæ multę voces expungendæ sint. Plinius lib. 12. c. 13. & lib. 21. c. 6. vocat asarũ nardum syluestrẽ & rusticã. Dicitur autẽ asarum, quia non potest commisceri ac complicari in coronis teste Plinio. Nam Ruellius optime fecit expũgens verba illa in codicib. aliquot inuẽta, quod s. hæc herba sit coronaria. Qua in re Virgilius Marcellus maxime laborat, vt pbet asarũ plantã esse coronatiã, licet odorata nõ sit, & verba illa sunt in capite de bacchari. Preterea est autoritas Oribasii, qui dimittit voces illas, ꝙ sit odorata & coronaria. Addatis Serapionẽ, qui huius vocis nullã habuit mentionẽ, verum similitudo fuit causa errorũ multorum. Antiqui .n. habebant baccharim plantam ad coronas aptã atq; odoratam ac pulcherrimã, cuius radix thus odore redolebat, habebantq; nardum rusticam asarũ, quam plantam voce gallica *baccar* dicebant: nam aliqui ineptiores baccharim etiam vocarunt asarum: & ita postea confusis nominibus facta est cõfusio medicamentorũ, & multa transsumpta fuere ex capite de bacchari, & huic capiti de asaro addita atq; apposita. Et error hic tantũ tempore valuit, vt in his officinis nostris asarũ baccharis vocetur. Dicebatur autem hæc herba vuluago à latinis, vt habemus in Macro Poeta, fortasse quia flores eius sinum muliebrem referunt, vel quia iuuant vuluam; quoniam expurgat vterum & totum corpus per locum illum, si supponatur. Arabes vocant eam Asaron, Iam describit plantam Dioscorides inquiens, quod habeat folia hederę, & rotundiora ac minora, qua in re tamen ex Fuchsio est difficultas, cum variæ lectiones sint in textu græco: in aliquibus enim codicibus legitur *minora*, in aliis *densiora* vel *crebriora*: Fuchsius tamen vult legendum esse *molliora*, additq; autoritatẽ Plinii. Tamen cũ reuera folia asari montani breuiora sint ac minora, ego potius legerẽ *minora* quã *crebriora* vel *molliora* secundũ autoritatẽ Oribasii aliorumq; multorum. Flores sunt similes hyoscyami florib. nec sunt odorati, vt dicit Oribasius, ideo corrigatis text. Dioscoridis, & vocẽ illam expungatis. Hærent isti flores pediculo breui radicib. quorũ semen est acinosum, quia est simile acino contento in vuis, Serapio autẽ ipsum cardamo assimilauit & rectè. alia verba sequentia expungatis, Descriptio autẽ radicis optima est, & indicatur ex historia ac Plinio; sciatisq; solas radices esse odoratas, non autem reliquũ plantę: neque hoc mirum esse debet; radices enim istæ calidæ sunt & mordent linguam. Sed Plinius videtur has facultates ad semen referre, ꝙ est falsum, ideo cautę legatis. Mesue autem voluit has radices calidas esse in secundo; siccas autem in tertio; quæ tamen omnia expungenda sunt, Nam Auicennas dicit, quod hoc medicamentũ sit calidum magis quam siccum: ego autem dico, quod sit in tertio gradu calidum atque siccum. Galenus inquit, quod habeat vires acori, & ideo loco eius hac radice vtimur, Idemq; dicit Serapio: Probat etiam hoc Poeta ille Macer duobus carminibus, quæ videre potestis. Inquit autem Dioscorides, quod facultates plures habeat, quas etiam per vosmetipsos videre potestis: vim enim habet purgantem, de qua nil aliud modo dicens id tantum assero, quod asarum maxime purget vterum. Postea explicat loca vbi proueniat hæc planta. Plinius autem vult priorem locum esse Pontum, secundum Ciliciam, tertium Illyriam & in Italiæ agro Iustiniensi. De qua tamen regione pauca habeo, quod dicam; non enim est Iustinopoli, quamuis credam Iustinos montes locum esse prope Marsos, vbi habitabant Iustini populi in regionibus Apuliæ. Et hæc sufficiant de asaro: breuitati enim studens, vt ad vtiliora me accingam, quæ magis necessaria sunt, tango, quæq; à Dioscoride vel aliis tacta non fuere. Quæ enim ipsi pertractarunt, oculis cuiuscunq; legentis patere possunt & patent.

Asari nomina. *Quare asarum vocetur vuluago.* *Descriptio plantæ.* *Plinii error.* *Mesue error.* *Asari facultates.* *Loca, vbi nascitur.*

De Phu. CAP. XIV.

RAdices Phu radicem nardi sequuntur odore & viribus ac proportione illa, vt solæ radices odoratæ sint, reliqua autem planta inodorata est, vt in nardo. Primo de phu post nardum Dioscorides egit, quoniam omnes conditiones habet aromatis, præter hoc, quod domesticum est medicamentum. Plinius lib 12. cap. 12. enumerat phu inter species nardi. Dioscorides autem primo describit plantam, secundo loca ponit, in quibus nascitur, tertio vires proponit, quarto deprehendit adulterium & correctionem huius radicis. Inquit igitur, quod phu dicatur syluestris nardus à quibusdam, & merito, quoniam etiam Plinius idem restatur; nam ipsum vocat nardum agrestem: alii vero nardum creticam. Philo autem Medicus describens philonium romanum in suo epigrammate mentionem habet de nardo cretica. Galenus lib. 7. de comp. med. per loc. cap. 4. describit nardum creticam, & declarat verba difficilia Philonis, quæ nardus cretica Galeni & Philonis non est phu, sed spica indica. Nascitur hoc medicamentum in Ponto præstantissimum, non enim est dicendum, quod tantum ex Ponto feratur, fertur enim ex pluribus aliis locis, imo fere vbique reperitur, sed illud ex Ponto est præstantissimum. Andromachus laudat illud phu ponticum in theriacis. Dioscorides describens plantam inquit, quod habeat folia olusatri, id est, hipposelini. Nam Plinius lib. 19. cap. 8. inquit, quod olusatrum dicatur à græcis ἱπποσέλινον & σμύρνιον. Columella idem testatur, quare Ruellius vertit pro hipposelino olusatrum, sed ego vellem, vt legeremus potius hipposelinon, non quia errauit Ruellius & cum illo alii, sed vt tollatur ambiguitas; nam Plinius & Columella volunt olusatrum esse hipposelinon & smyrnium, quæ tamen plantæ apud græcos diuersæ sunt: Galenus enim libr. 2. de alim. fac. cap. de apiis inquit, quod smyrnium à romanis dicatur olusatrum, & tamen diuersa est planta smyrnium & hipposelinon. quare magna est varietas inter hos. Sed aliud notate, quod smyrnium ex Galeno est olusatrum; quomodo autem hæc difficultas tollenda sit & contradictio, locus non requirit vt dicam: sat est, quod ad tollendam ambiguitatem dicam modo, vt vertamus hipposelinum. Habet etiam ipsum phu folia elaphobosci, ac in quibusdam codicibus legitur ellebori: at vtraque lectio potest stare, tamen maior pars codicum legit elaphobosci. Caulem cubitalem habet aut altiorem. Sciendum tamen est, quod planta hæc, quæ dicitur phu, est valeriana dicta ab omnibus, quia multum valet in affectibus mulierum, & ad instituēda præstigia multa, nam mali nominis est plāta. Valeriana autē multiplex est: nam primo habemus valerianā optimam, paruā, ortā in collib. circa Romā & in Marchia Anconitana, & hęc est nardus mōtana: habemus secū do valerianā paruam montanā ortam in monte Baldo & tota Illyria: & hęc est ex omniū consensu nardus celtica: tertio habemus valerianā magnam, quæ est phu Dioscoridis: Habemus etiā valerianā syluestrē, quę vbiq; oritur, & potest referri ad ipsum phu. Aliā habemus valerianā mediam ortā in montib. Vincentinis, & hęc etiā refertur ad phu, quamuis notę omnes non respōdeant. Adest sexto in loco valeriana aquatica, q̄ credo ego referendā esse ad Thalictrū Dioscoridis, quæ quibusdā in locis dicitur Verdemarco, cum paruā similitudinē habeat cū ipso. Ex his autē omnib. Dioscorides describit nobis tantum illā magnam, quæ ex marchia copiosa habetur, & caulē habet huius altitudinis. Caulis autem syluestris quandoq; ascendit ad tres cubitos, media autem semper excedit cubitum vnum. Caulis etiam valerianæ maioris leuis est, & vestigiū habet cauitatis, dummodo caulis perfectus sit & integer, & decidentib. floribus non autē antea: verum in valeriana syluestri apparet magna, & in montana etiā media. Caulis autem mollis est, & in purpuram vergēs. Primo .n. viridis est, deinde purpureū colorē semper acquirit. Geniculi intersecant caulē, nam fiunt folia, in summo caule sunt flores similes narcisso, & maiores, teneriores ac ex albicante purpurei, id est, subrubri. At notandū est, q hic locus difficilis est, & q sit mendū patet, nam flores phu non sunt narcissi, illius s. qui oritur in hortis, & nobilis flos est; nam flores phu erūpunt in vmbella: præterea flores narcissi sunt magni ac longi, flores autē phu sunt similes magnitudine floribus ebuli vel sambuci: nam omnes volunt vt locū corrigamus. Facilis .n. potuit esse transitus à minori in maiorē, nam vbi dicit *similes narcisso & maiores*, legere debemus *minores*, ita vt lectio sit, quod flores sint similes narcisso & minores, quamuis similitudo sit floris vtriusq;. Dicantur itaq;, q flores narcissi sint sed valde minores & in vmbellam collecti: color autem iste florū magis videtur esse in valeriana syluestri, ac in maiori non tantū. Sciatis etiam, quod vox illa *molliores* non legitur apud Oribasium, sed parum refert. Deinde dicit Dioscorides, quod radices habeat duum generum, pars enim superior est crassa, vt digitus, nam oriuntur laterales radiculæ, vt in iride, acoro, & similib. sciatis autem, quod cum alias crediderim valerianam syluestrem & montanam esse verum phu Dioscoridis, eas apponebam in theriaca, antequam hæc valeriana maior ex Mar-

Phu nomina.

In Ponto præstantissimū reperitur Phu.

Difficultas magna de hipposelino & olusatro.

Valeriana multiplex.

Valeriana altitudo.

Caulis descriptio.

Correctio loci circa flores phu.

Opinio propria de phu vera.

ex Marchia Anconitana in notitiam herbariorum venisset, quæ est verum phu Dioscoridis, & omnes meam sententiam hac autoritate refragabantur, quoniam præter radicem illam crassam, omnes alias notas habet, & hoc cognoui ex collatione huius valerianæ syluestris cum vera ipsa maiori: quare cognoui etiam hanc non esse malam sententiam, maiorem enim vim aromaticã habet valeriana hæc syluestris, & calidior est, atq; magis odoratas radices habet: quare nec vos errabitis, si in vestris compositionibus hac vtemini, cum non habebitis valerianam maiorem, ex Marchia anconitana, neq; enim Venetiis venalis, habetis passim. Radiculæ autem ibi illæ sunt, veluti iuncei odorati, & elleboris nigri, radicibus crassis appensæ, neruosq; intercurrentes intus habent. Color autem viridis est aliquando flauescens, loquendo de viridibus radicibus; nam siccæ nigræ sunt, quarum odor est quasi ipsius nardi. Deinde narrat Dioscorides facultates ipsius phu, quæ omnes resultant ex caliditate & siccitate, quam Serapio cap. 62. dicit, esse in secundo gradu: Auicennas vero c. 261. dicit: phu calidum & siccum esse vt nardum; sed Gal. vult nardum in primo gradu calefacere, & exiccare in secundo, & sic etiam phu calidum erit in primo, & siccum in secundo, atq; hinc est, quod in facultatibus magis siccet, quam calefaciat. *Adulteratur phu radice rusci admixta*, sed facile discernitur impostura, quoniam radix rusci dura est, fractu contumax, & inodorata; & hinc etiam colligo, quod antiqui totam radicẽ non seruabant integram, sed tantum radiculas illas crassas hortenses, ipsis vtebantur: quoniã radices rusci tenuissimæ sunt, ac multũ dissimiles radicibus crassis: & omnia dictã in hoc capite, ad has radices tenues sunt referenda: quare hæc satis sint de phu dicta.

Facultates phu.

De Malabathro. CAP. XV.

SI quod est medicamentum, quod odoris præstantia & suauitate condire possit medicamenta, siue vnguenta odorata reddere, certe malabathrum hoc est, aromaticum enim maxime est, & omnes istas vires habet præstantissimas, & recipitur in antidota, & potissimum est medicamentum ad condendum halitũ oris, meritoq; de hoc Dioscorides in hoc cap. agit, in quo primo proponit historiã, secundo electionem, tertio facultates. Quo ad historiã, explodit Dioscorides falsam sententiã, quod Malabathrum sit folia nardi indicæ: nam sciendũ est, quod malabathrum est folium quoddã dictum in India Bethre, vt opinatur Amatus Lusitanus, quia oritur copiosum hoc foliũ in regione dicta Malabar in indicis regionibus, quod malabathrũ à regione illa nomen acceperit, patet, nam Malabar est regio circa Gangem, quæ nunquã nominata fuit à græcis: sed malabathrum vox est antiquissima omnibus nota græcis, quare non possumus dicere hoc nomen Malabathri inde ortũ esse, sed potius fortasse dicere ego, ab ipso malabathro regionẽ illã nomen sumpsisse, malabarq; fuisse vocatã. Sed cur malabathrum dictũ sit hoc medicamentũ, ignoro prorsus: & quoniã hoc medicamentum dicebatur etiã foliũ malabathri à Galeno & antiquis, hinc factum est, quod nostri appellarunt ipsum folium simpliciter: nã idem est folium nostrorum, & folium malabathri: ab hoc autẽ medicamento nomen accepit vnguentũ illud, quod vocatur foliatũ, & à græcis malabathrinum vocabatur. Nõ est tamen dicendũ, quod vnum & idem medicamentũ sit, malabathrinũ enim vnguentũ dicebatur à græcis, foliatũ vero à latinis, & huius differentiæ testis est Gal. lib. 7. de comp. med. per gen. c. 12. vbi in eadem compositione recipit vnguentũ malabathrini & foliatũ: neq; de hoc miremini: nã antiqui etiam ex nardo indica conficiebant vnguentum spicatum: græci vero conficiebãt vnguentum nardinum, & idem erat vnguentum vtriq; vnguento nomen imponens, nec tamen vnum idemq; erat medicamentum, sed diuersum, quod probatur libro 3. de comp. med. per loc. cap. 1. vbi Galenus dissoluit spicatum, & foliatum vnguentum nardino vnguento, quare vnum non est medicamentum. Reuertor ergo ad nostrum propositum, dicens de vnguento foliato, & malabathrino. Notandum est aliud, vt per malabathrum non semper intelligatis medicamentum simplex, sed in lib. 7. de compos. medic. per loc. cap. 2. intelligatis vnguentum malabathrinum: facit enim ibi & alibi mentionem malabathri alexandrini, intelligitque vnguentum: nam & Cornelius per rosam intelligit oleum rosatum, & hic latinorum etiam mos est. Vnum aliud notandum, quod cum Plinius rem hanc diligenter non considerasset, ac obseruasset libro decimo tertio capite primo, credidit, vnguentum foliatum & malabathrinum esse idem, cum tamen magis Medicis credendum sit. Arabes autem ipsum vocant sedel vel sadegi, vt testatur Auicennas capite 258. & Serapio capite 53. quare illi decipiuntur, vt dicit Dioscorides, qui credunt malabathrum esse folium nardi indicæ, & credo hunc antiquum fuisse Flaccium, qui descripsit historiam maritimæ Indiæ ad Hadrianum Imperatorem, qui

Ordo Dioscoridis in hoc capite.

Historia.

Amati opinio reprobatur.

Causa nominis ignoratur.

Notandum.

Aliud notandum.

facit tria genera malabathri, pleniusq; testatur species illas esse folia nardi. Brasauolus autem inquit, quosdam opinari medicamentum hoc esse lenticulam paluſtrem: nescio autē ego, vnde hoc acceperit, & quis ita stolidus fuerit, quod hoc dixerit.

Planta descriptio.

An planta hæc habeat radices.

Plinius facit duo genera malabathri.

Reddit deinde Dioscorides etiam causam erroris illorum, quoniam odorem habet nardi: sed multa alia medicamenta sunt odorata, vt nardus, & tamen nardus non sunt, nec eius species. Subdit deinde Dioscorides, *vt phu* describens plantam, & inquit, aquaticam esse, & vnicum habere folium, natans super aquas, radix autem ignota eſt, & tam profunda, vt cognosci non possit. Non enim dicendum eſt, quod non adsint, vt aliqui credidere, quoniam planta nec altetatur, nec crescet absque radicibus: lenticula enim paluſtris & ipsa habet radiculas tenuiſſimas dispersas per aquam, viola etiam aquatica recentiorum. Præterea fungus habet radices manifeſtiſſimas & tubera; & omnia comprehendens paucis dico, quod omnes plantæ habeant radices, nisi tamen super alias plantas oriatur, vt viscus & aliqui fungi, scilicet arborei, aluntur enim hæc ab arbore ipsa: quare ego Dioscoridem sic intelligo, quod scilicet radices habeat occultas. Omnia autem quæ pertinent ad hanc historiam, non leguntur apud Oribasium, nec apud Serapionem, sed hæc sunt in omnibus codicibus Dioscoridis. Et possunt tolerari. Plinius vero facit duo genera malabathri, alterum ortum in Ægypto coloris albidi, non aridi, & sic correxit Cornarius; sed hoc etiam apud Plinium poteſt tolerari, vt arbor illa colore præseferat ariditatē quandam, quoniam ariditas etiam visu cognoscitur cognito colore: quare non peccat lectio illa Plinii: inquit ergo, quod eſt arbor aridi coloris, & inuoluti folii, quod teſtantur ariditatem à Cœlo.

Malabathri species.

Impostura multa.

Amati error.

Bethra descriptio.

Vis bethræ ad ciendam Venerem.

Tembul vel tambut.

Sed hæc prima Plinii species eſt valde diſtans à malabathro Dioscoridis. Secunda species indica eſt, & à Dioscoride descripta, vnde omnes iubent, vt à prima specie caueamus, quam tamen non habemus: & quamuis superioribus annis ferretur per officinas sub nomine folii indi, omnibus tamen ignotum eſt, quid sit. Tertio ferebatur folium quoddam simile lauri cum pillulis, veluti lauri sub nomine malabathri, sed illi decepti sunt, quoniam reperiere apud Galenum, Paulum & Aetium mentionem pillulę malabathri, sed ipsi per pilullas intelligebāt fasciculos, & manipulos malabathri. Vltimo aliqui folium garyophilli afferebant, & pro malabathro vendebant vbiq;: sed furtū deprehensum eſt. At Amatus Lusitanus, quamuis credant omnes docti viri nos carere vero malabathro, probare conatur, se habere verum malabathrū, delatum ex India, & esse folium illud dictum Bethre, quæ planta eſt descripta ab omnibus hiſtoricis Indiæ, & planta eſt fruticosa, & foliū habet viride, & conuoluitur planta hæc circa alias, vt conuoluulus, folium cuius eſt magnum, vt iuglandis, & neruulos habet aliquos. Sed decipitur Amatus, non enim eſt malabathrum Plinii primum, quoniam illa planta Plinii arbor eſt, at hæc fruticosa eſt: tertio folium non eſt conuolutū, nec expreſſum oleū emittit; addatis quod in Syria oritur malabathrū primū Plinii, hæc autem planta Bethra dicta oritur tantum in India, vbi mandunt continuo folium plantæ iſtius, ad venerem excitandam, & roborandum cor, & omnia viscera, quæ non facit malabathrum primum Plinii. Vnde ego credo, quod hoc folium bethræ vel bethel, vel bathrum sit tembul Auicennæ, de quo meminit cap. 707. præsertim cum vires correspondeant: & referunt hiſtorici, quod hoc dicitur tambut ab Arabibus nigris: & sciatis nulla ratione nos posse dicere, hoc bethel esse malabathrum, imo dico, quod non habemus malabathrum. Præterea folium illud indum odoratum non eſt, & habet pillulas, nec folium garyophillorum sunt malabathrum.

Succedaneum malabathri.

Electio malabathri.

Malabathri facultates.

Cum autem malabathrum non habeamus, eius loco vti poſſumus nardo indica: nam non tantum easdem, sed etiam maiores habet ipsa vires. Electionem postea tradit Dioscorides, & similitudinem malabathri cum nardo indica, afferens, quod nullum habet salis guſtum, quamuis Plinius dicat, quod aliquem habet salis guſtum, & Ianus Cornarius conatur soluere contradictionem hanc, cuius tamen solutionis neceſſitatem non video: sed dixerim ego Plinium potius errare, quam Dioscoridem. Transit deinde autor noſter ad facultates, & inquit, quod habeat facultates nardi: quare Galenus loco malabathri nardum supponit, & ideo nos supponemus etiam. Auicennas autem cum vidiſſet Dioscoridem, credidit hoc medicamentum calidius esse nardo, & ideo calidum esse in secundo gradu affirmat, vnde & ego crediderim cum Auicenna malabathrum calidum in secundo gradu: sed quoniam hoc medicamentum non habemus, vt dixi, nihil aliud de eo proponam.

De Caſsia. CAP. XVI.

Caſſia inter præcipua aromata eſt aptiſſima ad munus omne explendum. de hac autem caſſia multæ difficultates exiſtunt, quoniam multas caſſias habemus. Caſſia ſimilis eſt cinnamomo, cuius tamen nullam habemus cognitionem. Præterea hiſtoria de caſſia eſt ab antiquis ignorata: nam ex relatu ſcribebant antiqui, qui nec locũ nec plantæ deſcriptionẽ habuere. Dioſcorides ergo primo ponit deſcriptionem caſſiæ, ſecundo electionem, vltimo vires. Caſſia dicitur hoc medicamentum à græcis: à Serapione autem cap. 301. & ab Auicenna cap. 134. Selica. Inquit ergo Dioſcorides caſſiã oriri in Arabia, quod tamen falſum eſt, nam caſſia antiquorum eſt cinnamomum officinarum; quo ſtante, ſi verum eſt, quod ſcribunt recentiores, & videre de ipſo cinnamomo, patet in Arabia caſſiam non oriri. Theophraſtus enim de caſſia tractans libro nono de hiſtor. plant. capite 9. ex aliis refert caſſiam ex Arabia oriri, qui error communis græcorum omnium eſt: quare ſciatis nunc oriri tantum in India, & in Inſula quadã dicta Zeita, ſecundo in Malabar: tertio in mutir, neq; credatis oriri in Arabia, imo nec cognoſci: nam pretioſum eſt medicamentum, & inſeruit gulæ: & medicamenta, quæ inſeruiunt coquinæ, amiſſa non ſunt, ſed magis ac magis indies innoteſcunt, vt piper, caſſia &c. vnde mirum eſſet admodum, quod Arabia alias & retroactis temporibus produxerit caſſiam, nunc vero non, vel ignota ſit: nam habemus hiſtorias fideliſſimas. Plinius lib. 12. cap. 29. ex Herodoto refert, quod caſſia habebatur ex nidis auium, & præcipue Phœnicum; ſed ecce, quomodo ad fabulas conuertuntur quandoq; autores. Male autem quidem nobiſcum ageretur, ſi tota caſſia colligenda eſſet ex illis nidis: cum videtim ego onuſtas naues cum caſſia tantum, cumq; maxima copia caſſiæ abſumatur vbiq;; quare dixerim ego, quod vere antiqui non nouere caſſiæ hiſtoriam. Nugæ etiã ſunt Theophraſti, cum lib. 5. de hiſt. plant. multa de valle atq; anguibus illis enarrat. Tractans autem Theophraſtus de figura caſſiæ, dicit eſſe fruticem paruum, lignoſum, cum paruo cortice, atque nodos plures habens; at hoc dicit ex aliorũ relatu. Galenus autem vidit plantam caſſiæ integram. Nam dum populi ferebant munera ad imperatores ſuos, inter ipſa ferebatur pro munere valde precioſa tota caſſiæ planta, ſicuti lib. 1. de antidot. c. 1. dicit Gal. aſſerens longitudinem huius plantæ maiorem eſſe, quã hominis longitudo. Dioſcorides dicit, quod corticem habet craſſum: Plinius autẽ econtra dicit habere corticem tenuiſſimum, vt ſit excorticabilis: & hoc dicit etiam Theophraſtus. Sed cum ſolus cortex ad nos deferatur, inquit quod lignum aufertur hoc modo: nam ſecabantur plantæ caſſiæ in fruſta, deinde in ſacco confecto ex corio animalis nuper mactati imponebant eas taleolas ſiue tabellas, & ita in ea vermes fiebant, qui lignum comedebant, relinquentes corticem tantum. Sed hæ nugæ: vnde nihil mirum dicit. Dioſcorides autem inquit, quod habeat folia piperis. Plinius vero dicit piper oriri in Italia, & eſſe plantam myrto ſimilem: ergo à primo ad vltimũ caſſiæ folia erunt ſimilia myrto, vnde hæc habemus de caſſia, ſed omnia vana & erronea, (mihi parcant omnes, qui talia dixerunt) nam omnes fere & doctiſſimi viri dicunt canellam officinarum eſſe veram caſſiã aromaticam antiquorum, & dicitur cinnamomum, quia pro ea ſupponitur, imo reperiuntur etiam ſub nomine canellæ cortices cinnamomi confuſi. Quare cum hoc conſtituerim, miror de Iano Cornario, qui quamuis doctiſſimus ſit, ita tamen excæcatur, vt dicat caſſiam ligneam officinarum eſſe veram caſſiam, & cinnamomum officinarum eſſe verum cinnamomum. Eſt ergo caſſia arbor orta in illis tribus Indiæ locis, iam ante à nobis dictis Malabar, mutir & Zeita. & omnes hiſtorici, qui videre loca illa, & peragrarunt à Cayro vſq; ad Molucas, imo totum ambierunt orbem, teſtantur, caſſiam in his tantum tribus locis oriri, cuius folia ſunt veluti lauri, ſicuti viſa ſunt ſæpe in Italia, & etiam profert baccas veluti laurus.

Difficultates circa caſſiam eſſe multas. — *Caſſiæ nomina.* — *Vbi oriatur caſſia.* — *Error omnium græcorũ.* — *Plinius fabuloſus circa caſſiam.* — *Theophraſtus nugax.* — *Deſcriptio plantæ ex Galeno.* — *Canella noſtra eſt vera caſſia.* — *Iani Cornarii error.* — *Quibus in locis naſcatur.*

Folia autem inodorata ſunt præter pediculum, circa quem adeſt odor, & mirũ non eſt; Nam etiam Plin. dicit cinnamomũ virens eſſe inodorũ, ramos deinde plures fert à trunco cortice ſatis craſſo, in quibus ramis ſunt folia & baccæ lauri. præterea abſcindunt ramos, & exponunt ſoli, & cum cortex rimas contraxerit, extrahunt, & tunc inodorus eſt cortex, ſed poſt duos menſes habet ſuauitatem illam odoris: & hæc vera eſt caſſiæ hiſtoria. Electionem poſtea deſcribit Dioſcorides, & etiam noſtram canellam, quæ non ſolum mordet, ſed maxime mordet hæc noſtra, ita vt ea poſſemus vti aut cauteria. At notandum maximam eſſe diſcordiam inter Galenum & Dioſcoridem. Nam Galenus vult eam primam electam non eſſe integram, vt dicit Dioſcorides, ſed ruſam. Ego autem potius cum Galeno conſentio veluti viro periti ſſimo, qui expertus hoc ſit, & viderit caſſiam copioſam in ſcriniis ſuorum Imperatorum, & hæc dicitur caſſia fulua, vnde locum corrigatis in libro 7.

Electio plantæ. — *Diſcordia inter Gal. & Dioſc.* — *Caſſia ſpecie...*

de compositione medicamentorum per gen. vbi facit mentionem siccæ, cum omnis sit sicca, sed vos loco illius vocis siccam fuluam restituatis. Plures autem sunt cassiæ species, quæ reperirentur in saccis nostri cinnamomi, si eas perquireremus cum diligentia. Post veram cassiam habemus etiam pseudocassiam, *Pseudocassia.* cuius habemus corticem, qui inodorus est, & niger, & similis etiam est cassiæ: & de hoc locutus est Galenus, & forte Theophrastus de cassia hac illa verba dixit de vermibus, qui lignum erodunt, nam hæc integro ligno habetur. *Opinio propria de pseudocassia.* Hanc autem pseudocassiam, credo ego cassiam illam ligneam, & Syringam Galeni, & cassiam fistulam Nicolai Myrepsii: in qua dubito, an Fuchsius deceptus sit, cum credat, hanc cassiam Nicolai esse cassiam illam nigram, cum intelligat Nicolaus cassiam fistularem, & pseudocassiam, & huius descriptio proponitur à Dioscoride, quæ facilis est.

Facultates Veræ cassiæ. Facultates veræ cassiæ consistunt in partibus calidissimis, & terrestribus quibusdam adstringentibus: calida enim in tertio gradu, intenso tamen, quoniam exurit, & facit sensum auerti ab ipsa, quare sapit naturam quarti gradus, & nisi adessent partes illæ terrestres, *Oleum ex cassia.* esset medicamentum causticum: exemplo sit vobis oleum ex ea eductum, quod acredinem maximam habet, & vesicas facit, etsi odoratissimum sit magisq; quam moschus. Educimus etiam ex ipsa cassia aquam suauissimam, quam alias vendebant aliqui pro aqua *Aqua cassiæ odoratissima.* florum canellæ, & vendebant ob id magno quidem precio. Nos etiam possumus facere ex puluere cassiæ huius cum aqua vel vino liquorem suauissimum: sed melior est cum aqua; & præstantissima est hæc aqua in affectibus vteri, & aliis affectibus frigidis, neque opus est aqua rosacea, neq; alio medicamento, sed sufficit aqua cocta. Facultates autem omnes cassiæ notæ sunt omnibus ex ipso Dioscoride. Quoniam autem cinnamomum copiosum non habebatur, inquit Dioscorides, quod antiqui apponebant duplex pondus cassiæ pro cinnamomo, sed Quintus hos deridebat, ac dicebat Galenus, quod potius ipse Quintus deridendus sit, nec eius ratio valet, vt probat ipse in medicamentis compositis. Et hæc de cassia dicta sufficiant.

De Cinnamomo. CAP. XVII.

Cinnamomi nomina. CInnamomum in eodem aromaticorum genere reponitur, & cinnamomum hoc est preciosissima cassia, quod etiam dicitur cinamum, & ab Arabibus Datseni, de quo loquens Dioscorides, dicit cinnamomi plura esse genera. Deinde electionem proponit & vires, & de pseudocinnamomo agit etiam. *Locus vbi oritur.* Ex Plinio autē & Theophrasto diximus cinnamomum oriri in Arabia fœlici, sicut cassia ipsa, ac in locis inferioribus oritur cinnamomum, non autem in montibus vt cassia: & præterea oritur cinnamomum inter spinas, & est fruticosa planta similis vitici, & magnitudine constat duum cubitorum ex Plinio. *Plantæ descriptio.* Sed Galenus libro primo de antidotis inquit, quod sit admodum tenuis hæc fruticosa planta, & ramos habet pedales tantum. Præterea Galenus inquit in eodem capite, quod ferebatur arca longa quatuor cubitorū cum dimidio, in qua erat planta integra cinnamomi, quare coniectura assequi possumus, quod planta sit longior. Sed Strabo dicit, quod Indici soleant vti ad ignem excitandum arbore cassiæ, & cinnamomi: ex quibus omnibus coniicere possumus, antiquos non nouisse cinnamomum nec cassiam, quod patet ex tot fabulis ex ipsis dictis. *Antiqui nō nouerunt cinnamomū nec cassiam.* Habuere ergo antiqui etiam plantas integras, & Galenus, sed non cognouere, vbi oriantur plantæ ipsæ. Medici autem describunt plantam cum radice, quia viderunt ipsam, vt Galenus & Dioscorides. Planta autem erat tenuis, cum plurimis virgis & sarmentis: sed de loco ignari fuere penitus meo quidem iudicio antiqui. Hoc autem non dico ego ad delendam eorum authoritatem, sed vt meam simpliciter & recte proferam *Cinnamomi Varia genera secundū Varios autores.* sententiam. Huius medicamenti quinq; genera facit Theophrastus. primo enim proponit vnam plantam, quæ habet ramos dodrantales, secundo aliam, quæ habet ramos minores, tertio iterum aliam, quæ habet ramos adhuc minores, quarto adhuc minores, & quinto tenuissimos. Diuidit deinde cinnamomum in album & nigrum. Et hæc diuisio acceptatur à Plinio, quia eius tria genera facit, candidi, nigri & varii. Galenus etiam in libro de theriaca ad Pisonem quinq; genera enumerauit cinnamomi, & ea describit. Dioscorides etiam quinq; cinnamomi genera proponit. Amatus Lusitanus in hoc loco testatur, se audiuisse à quodam fide digno, quod in Zeita Insula Indiæ cinnamomum oritur, & dicit plantam esse quatuor digitorum crassam, cum sex aut septem ramis, qui quotannis exciduntur, & cortex seruatur ad vsum, folia sunt iuglandis, quæ alias vendebantur pro *Opinio propria de cinnamomo.* malabathro. Scio tamen ego, quod hæc historia non consentit cum Galeno nec cum aliis, quoniam describunt tenuissimam plantam non arborescentem, quare nescio quid credam

dam Amato: credo tamen, quod habeamus verum cinnamomum: sed abundantia rei nos decipit equidem: nam cassiæ plantę in thesauris imperatorũ reponebantur, ac nostris temporibus reges hoc irrident: credo ergo nos habere cinnamomũ confusum cum cassia, primo enim cum canella ipsa habemus corticem tenuissimum, leuem, expolitum, non ita acrem, ac habentem notas omnes cinnamomi, quare cortex hæc verum mihi videtur cinnamomũ: habemus quinetiam cortices crassos, qui habent naturam, & notas cassiæ: atq; etiã cortices mediocres sapientes vtriusq; naturam. Quando autẽ antiquis ferebantur hæ plantæ, ferebantur integræ, qui tamen vtebantur tantum cortice, & hoc patet, quia describunt totã plantam, nos autem habemus tantum cortices ipsos detractos & siccatos: vnde mirum non est, si decipiamur, nec possumus recte distinguere hæc medicamenta, quia habemus tantum corticem. Quod autem me ad hoc credendũ mouet, est vna suspicio, q; vna & eadem planta fuerit cinnamomum & cassia. Nam cinnamomũ differt tantũ à cassia, quoniam est minus crassum, & magis me firmat Galeni autoritas, qui ex planta cassiæ colligebat cinnamomũ iam virgultis teneris, vnde dum cassia est parua & tenella, est cinnamomum, & habet corticem tenuem, & leuem, & minus acrem. Dum vero planta crescit, fit cassia, quæ corticem habet crassiorem: & hoc coniectura assequor, & quotannis facit ramos nouos & tenues, qui possunt esse materia cinnamomi ipsius, quoniã corticẽ habent leuem, & sic Galenus in cassiæ planta poterat reperire etiam cinnamomum. Hæc autem opinio confutatur ab ipsis, primo, quia antiqui habebant cum ligno cinnamomum, nos autem habemus tantum corticem: sed nec cassiam haberemus, quoniam corticem solum habemus.

Redargutio opinionis superioris.

Præterea arguunt, quod cassia parua non sit cinnamomum, quoniam Gal. inquit, quod cassia vertitur in cinnamomum, non autem, vt dico ego, cinnamomum in cassiam. Sed Galenus est interpretandus: nam omnes versiones fiunt, aut per corruptionem, aut per vlteriorem concoctionem, vnde ex fœno fit lætamen, per corruptionem ac putredinem, ex pane autem fit sanguis & caro per concoctionem. Quæro ergo, quando ex chalcanto, fit chalcitis, quomodo fiat? certum est, quod fit per concoctionem, per putredinem autem ex pyritide fit biphriges. Quæro pariter in cinnamomo facto in cassia, vel ex cassia, quomodo factum sit ipsum cinnamomum: non per corruptionem, quia perfectius est cinnamomum ipsa cassia. Ergo per concoctionem: at si per concoctionem, cur magis est concoctus tenuis, quam tota planta? quare non credatis ex cassia fieri cinnamomum per conuersionem, sed quod ex ramis cassiæ fiunt rami tenuissimi, qui sunt cinnamomi plantæ, nec cinnamomum oritur in plantis aliis, vt viscum, vnde credo ego, quod tenera cassia est cinnamomum, vetus autem fit cassia ipsa, vnde plantæ delatæ tunc temporis ad imperatores cassiæ ipsius, habebant etiam cinnamomum, quod est cortex tenerior ramorum tenuiorum cassiæ: & hæc dicta sint tamen à me ex coniectura tantum nõ autem scientia; nullam enim ad hoc demonstrationem habeo.

Versio Vnius in aliud quomodo & quot modis fiat.

Ex cassia quomodo fiat cinnamomum.

Dioscorides inde promit electionem, & notas probi cinnamomi, & potissimum primi, quod vocat mosyliticum ab aliquo loco, vbi oriebatur, de quo Galenus locis citatis egit abunde. Secundum proposuit genus, quod dicitur montanum, quoniam in montibus oriebatur, de quo itidem Galenus egit. Tertium addit genus, de quo etiam Galenus egit inquiens, quod sit nigrum, & fere fibrosum. Quartum vero genus candicans est friabile, fungosum cum cortice cassiæ, & corticem habebat crassiorem: vnde colligo vetustatem distinguere inter cassiam & cinnamomum. De hoc etiam quarto genere Galenus loquitur, & inquit habere radicem paruam, cum tamen sit legendum magnam habere potius radicem.

Cinnamomi genera.

Additur & quintum genus, de quo etiam Galenus egit. Vires autem notæ sunt, & electio pariter. At notandum est circa textum Dioscoridis, quod vbi dicit *deligito scabrum, candicans, rugosum*, non est ita legendum, sed reiicito *scabrum rugosum*, qua in re solus Cornarius recte transtulit, maleque Ruellius & Virgilius Marcellus. Male enim iacet vox illa *deligito*, loco cuius legendum est *reiicito*. Proponit deinde Dioscorides cinnamomum falsum; in quo tamen verba Dioscoridis multũ inuoluta sunt; videtur enim loqui etiam de xylocinnamomo & pseudocinnamomo, tanquam de vna & eadem re, cum tamen diuersa sint medicamenta ex libro de theriaca ad Pisonem. Attamen si Dioscorides recte consideretur, facit & ipse inter hos differentiam, nam pseudocinnamomum differt specie à vero cinnamomo: xylocinnamomum vero differt genere à legitimo cinnamomo. Quare ii decipiuntur, qui credunt lignum cinnamomi esse xylocinnamomum: quoniam Dioscorides inquit differre toto genere.

Correctio locorum.

In quo differat verum cinnamomũ à pseudocinnamomo & xylocinnamomo.

Reliqua

Reliqua omnia à Dioscoride dicta in hoc capite spectant ad facultates, quæ, quoniam notæ sunt, omitto, hoc tantum colligens, quod habemus corticem tenuissimum in canella coloris cineritii: qui est veri cinnamomi cortex, cortex autem crassus est vera cassia, mediocris autem est aliqua species cinnamomi, cum differant tantum per magis & minus species illæ cinnamomi, quare vos ex vobismetipsis reliquas in hoc capite videre poteritis facultates cinnamomi, & quæ etiam ad ipsas spectant ex eius dictis abunde satis elicientes. Hoc itaq; omisso deueniendum est ad tractationem de amomo nobilissimo aromate.

De Amomo. CAP. XVIII.

Dioscorides obscurus in hoc capite. *Nomina.* *Interpretis error.*

SEquitur Dioscorides agens de amomo nobilissimo aromate apud antiquos: sed ita inuolute & obscure agit de ipso, vt adhuc ex eius verbis non didicerimus, quid sit hæc planta.

Describit autem primo plantam, secundo species enumerat, tertio facultates, quarto adulterium & sophisma ipsius. Hoc medicamentum autem ab Auicenna vocatur hamama cap. 52. Serapio vero cap. 279. appellauit ipsum amamis, in qua re errorem notate interpretis, qui transtulit de pede columbino, cum debuisset transferre de amomo. Pes enim columbinus est, vel granii, vel barrachii species. Amomum ergo planta est palmaris & exigua, & ex se conuoluitur in lignum: hoc autem difficile est intelligere. Miror autem ego vnum, quod scilicet video Dioscoridem describere figuram racemi totius plantæ: alii autem scriptores videntur facere racemum distinctum à planta: vnde, vt verum fatear, nescio ego diuinari, quid sibi velit per illa verba Dioscorides: multi multa dixere, sed non absoluere difficultatem. Flores sunt albæ violæ, folia vitis albæ, quamuis Plinius assimilet folia ammomi foliis punici mali, vnde nescio quid dicam de hoc. Plinius tamen libro duodecimo, capite 13. eadem proponit, quæ proposuit etiam Dioscorides. Aliqui credidere rosam hiericonis vel beatæ virginis dictam esse amomum, quoniam cum radice vellitur, & est palmaris, nam etiam lignosa est & conuoluta. Ex Syria enim fertur cespes quidam lignosus, paruus, conuolutus in se ipso, ac si faceret orbem, qui quidem partes exteriores habet lignosas, intus habet folia, & flores, & est planta hæc in maximo precio apud mulieres parturientes, quoniam facilitat partum. Sed notate, quod si semel post madefactionem siccata sit hæc rosa, non amplius aperitur. Hæc autem planta amomum non est, vt credunt ipsi, quoniam lignosa est, dura, sine odore, non racemosa, nec folia habet correspondentia. Alii voluere esse amomida, id est, falsum amomũ, quod tamen ego non ausim confirmare, superioribus autem annis delata fuit planta quædam, cuius folia odorata sunt, sed planta illa potius relata est & referenda. Alii aliam similem illi attulere, quæ nec amomum est, licet aliqui eam pro planta piperis vel amomo vendant, ea enim planta altior est, quare fateor, quod hucusque non viderim amomum. Notandum est autem, quod descriptio hæc Dioscoridis apud Oribasium desideratur. Sed cum ea sit etiam apud Arabes, credo legitimam esse. Laudat deinde etiam Dioscorides armenam plantam & præstantissimam, cuius meminit etiam Plinius, proponitq; Dioscorides duplicem speciem, quæ nascitur in Media in aquosis locis, nec est adeo præstans amomũ, vt prius erat. Theophrastus lib. 9. histor. capite 7. de hoc mentionem habet, credoque legendum esse in Dioscoride, quod habeat odorem rutæ, & saporem origani, quod ego colligo ex Serapione. Nostri autem seplasiarii inuenere semen quoddam paruum, nigrum, simile nigellæ, quod volunt esse amomũ, at nescio ego hoc diuinari, num omnes scriptores de racemo meminerint. Tertia species est amomi pontici, quod est subrussum, non magnum, nec tamen admodum paruum, sed mediocre, racemosum, nec fragile: at Oribasius abiicit negationem illam, *nec*, sed quicquid sit, res ignota est, non multum igitur in ea laborandum. Credo autem ego Scythicum amomum à Galeno nominatum idem esse, atque vnum: Scythæ enim magnam partem Ponti occupabant. Docet deinde Dioscorides electionem amomi, & eligit recens, candidum, subrubrum, quod reprobatur à Plinio, qui dicit candorem à vetustate prouenire: quare vt hos coniungam, dico duplicem esse candorem in hac planta, alterum naturalem, alterum à vetustate prouenientem, qui pessimus est. Auicennas autem voluit, quod inclinaret in album & rubrum præstans amomum, qui color subalbidus dicitur à græcis, & hoc forte à Plinio sumpsit. Dioscorides deinde alias notas præstantis amomi ponit, postea facultates, de quibus Galenus lib. 6. de comp. med. sec. loc. cap. 1. dixit, quod discutit, adstringit, & siccat, & habet omnes acori vires: vnde siccum est amomum, est amomum in tertio gradu incipiente: quare loco amomi possumus vti radice acori, & calami aromatici officinarum. Amomum adulteratur planta simili, quæ

Rosa beatæ Virginis. *Historia.* *Impostura.* *Amomum verum non habetur.* *Seplasiariorum inuentum.* *Electio amomi.* *Amomi vires.* *Substitutio.*

ti, quæ dicitur amomis, sed est planta sine odore & fructu, quare rosa illa hiericonis non est amomum; nam profert semen, nec folia habet origani. *Rosa hiericonis non est amomum.*

De Balsamo. CAP XIX.

CVm Dioscorides de medicamentis tractare instituisset, non immerito incœpit ab aromatibus, tanquam à nobilioribus, & viribus, & odore, & gustu, & similibus notis cæteros antecedentibus. *Propositum.* Adde quod in aromaticis quædam ingenita vis occulta latet, qua venenis resistunt eorum vim deleteriam reprimendo; ideoque non immerito principem locum obtinent. *Ordo.* Et quoniam istorum aliqua externa sunt, aliqua in nostris nascuntur regionibus: incœpit à nostratibus ab iride scilicet, acoro &c. postea ad peregrina sermonem conuertit; inter quæ liquor balsami est hic tractandus: Balsami inquam rei mirificæ, non solum à communioribus scripturis, sed à sacris paginis celebratæ. Primum autem describit plantam; secundo lachrymam, tempusque collectionis; tertio quomodo alteretur, vt cognoscamus bonum ab adulterato. Quarto agit de ligno, & tota planta. Quinto de fructu necessario in medica materia. Sexto, & vltimo explicat vires omnes tum liquoris, tum ligni, tum etiam fructus. De quibus omnibus huic eidem ordini inhærentes succincte & breuiter Dioscoridem interpretantes agemus.

Balsamum ab omnibus Græcis βάλσαμον dicitur, excepto Pauſ. lib. 9. qui vocat πάλσαμον, *Varia nomina.* at hoc nihil refert. ab Arabibus belsan vocatur, ex Aui. appellatur etiam bellesem, vel bellesma à Serap. cap. 160. quæ omnes voces deductæ sunt à Græco idiomate. *Lib. 2. Tra. 2. cap. 84.* Nostri latini balsamum nuncupant, quicquid loco balsami substituitur; quoniam reuera non habemus, nisi substituta figmenta fictitia: licet aliqui verum balsamum habere contendant.

Ex verbis Diosc. colligimus inter arborescentes plantas locum habere balsamum, *Descriptio & natura.* habere enim dicit perpetuos caulices, ramos & folia. herbæ autem habent isthæc spatio vnius, aut ad summum duorum annorum: & hæc est causa, propter quam balsami planta connumeratur inter arbores: non quia altitudinem magnam proceris arboribus non absimilem habeat; quoniam est magnitudinis albæ violæ, quæ attollitur in moderatam & breuem altitudinem. sed Plinius inquit, balsamum crescere ad altitudinem duorum cubitorum, *Lib. 12. c. 25. Lib. 9. c. 6.* quæ valde maior alba viola. Pauſ. loco citato dicit esse similem altitudinem myrti. Theophrastus dicit esse magnitudinis mali punicę, & in hoc notate, quod malus punica habet duplicem altitudinem: *Duplex altitudo mali punicæ.* alteram naturalem, alteram arte paratam. Naturalis non excedit altitudinem hominis: sed si malus punica truncetur circumcirca, expurgātur caulices illi subcrescentes: & fit magis procera. quum ergo Theophrastus dicit hoc, intelligit malum punicam naturalem habentem magnitudinem, & ita consentit cum magnitudine proposita à Pauſ. si igitur ab his scriptoribus talis proponitur altitudo, certe proposita à Dioscoride magnitudine maior erit. Sed Virgilius Marcellus, qui primus Dioscoridem transtulit, credidit textum corruptum, & vult, vt expungatur vox illa *albæ violæ*: cum habeamus Serap. qui transcribit omnia à Dioscoride dicentem habere magnitudinem grani viridis, id est Terebinthi: quoniam eadem est quantitas terebinthi, myrti, & mali punicæ. Auic. etiam loco dicto asserit, habere lycii magnitudinem, & lycii planta numeratur inter arbores paruas. Vnde miror, quomodo hi transferentes Diosco. ponant vtrunq; scilicet albam violam, & lycium. subiungit Dioscorides, huius proceritatis esse pytacanthem, quod quid sit, ignoratur. Hæc vox legitur in Dioscoride cap. de primo mespilo: aliqui volunt, vt legamus pyxacantha, id est spinam buxeam, nam est arbor, quæ profert lycium; ita vt non notet aliam plantam distinctam à lycio. nam planta vocatur pyxacantha; lycium est liquor profluens à planta ista; & certe non esset præter rationem, quod si vos volueritis non apponere hanc vocem pro expositione, ponatis pyracantha. legite Diosc. in c. de oxyacantha i. acuta spina, quæ dicitur pyrini, ex hac voce facta est vox composita pyracantha, id est, spina acuta, quę numeratur inter arbusta, & paruas plantas: hoc credo quod velit dicere Diosc. si pyracantha legatur; sed prima lectio magis placet. Præter magnitudinem propositam à Dios. Plin. addit formam; *Forma siue aspectus.* in genere enim plantarum paruarum aliquæ nō substentantur per se, veluti etiā quædā magnæ, vt vitis; quædā substentant se: plāta iasmini arborescit, ita vepres, & rubus caninus &c. & oportet substētari: aliquæ vero per se stant, vt rosmarinus, alba viola, &c. ista planta balsami quam formā habet? Respondent: similis est viti, & disponitur per scrobes assumtis malleolis, & per se ipsam substentatur, non opus habens palo, aut alia planta substentante: Habita magnitudine & aspectu, Diosc. folium explicat, dicens, habere folium rutæ proximum, candidius *Folium.*

Io. Leo. op. *Impug.*

tamen, & ſemper virens. Recentiores, vt Ioannes Leo inter Hiſtoricos celeberrimus Aſricanus deſcribens totam Africam optimo ordine dicit habere folia vitis: Non poſſum reperire aliquem, qui mihi in re Geographica, eo magis ſatisfaciat, quem voluit Deus fieri Chriſtianum: ſed non conſentio cum eo: quoniam omnes vnanimiter diſſentiunt. Theophraſtus probat ſententiam Dioſcoridis, addit enim eſſe multorum ramorum, & plurimis ſcarere ſurculis, ex quibus folia ſubalbida, id eſt parum excedentia folium rutæ in candore. Plinius omnia ſumit à Theophraſto, ſed candoris mentionem non facit. Per folium rutæ vnicum intelligimus folium, quoniam natura foliorum rutæ eſt, quod aceruatur tria, vel plura ſimul, non ergo totum aggregatum, verum foliolum vnum accipimus. Sed ego ſequor Pauſaniæ, & Strab. ſententiam. Inquit Pauſ. habere folium ſamſuchi, maioranæ. Strabo deſcribens plantam, dicit habere folium cytiſi, quod habet eandem figuram, ſitũ, & lanuginem cum folio ſamſuchi: & omnes ſcriptores conſentiunt habere lanuginem, folium balſami. Recentiores id etiam confirmant. Quidam enim Pedemontanus fuit in Aegypto in hortis Solis, vbi vidit balſamum. Moueor authoritate cuiuſdam Capitanei Poloni inſignis, qui circuit plurima orbis loca, & vidit Sanctiſſimum Chriſti ſepulchrum, atque plantas balſami in pomario Cairi: & affirmauit habere effigiem ſamſuchi: & ideo venio in hanc opinionem, quod planta ſamſuchi folium habeat, quamuis folium rutæ ſimile ſit folio ſamſuchi: excepto, quod oportet addere lanuginem. Nec miremur de Theoph. & Dioſco. quia tranſtulerunt ex aliis. Poſtea Dioſc. prodit loca, in quibus naſcitur, quæ duo ſunt. Iudæa ſcilicet, & Aegyptus. Vnde deceptus Plin. qui inquit tantum reperiri plantam in Iudæa: fallitur etiam Solinus: cum falſum ſit tantum in Iudæa prouenire. Sciatis tamen, quod iſta planta non proueniebat ſua natura in Iudæa, quoniam iam naſci deſiit: ego enim credo ſemper homines tales fuiſſe, quales nunc ſunt, ita dico de plantis, quæ proferuntur à regionibus ſibi propriis: Habeo & authoritates: nam hi ſcriptores, qui in Solinũ commentaria ediderunt, referunt ex ſcriptoribus Hebræis, quod inter illa aromata, quæ dedit Regina Sabæ Salomoni. fuit planta balſami, quam Salamon collocauit in hortis propriis Regis: & ita cultu ferax facta eſt in Iudæa: igitur aduenticiam dico plantam illam. ſed demus, quod etiã prouenerit ſponte in Iudęa: habemus tamen ex hiſtoriis iſtis, non ſolum in Aegypto, & Iudæa: ſed in Arabia etiam oriri: ſi non vultis credere innominatis autoribus: credite Straboni dicenti naſci in Sabæis. Addit Pauſanias naſci in Arabia, & cuſtodiri à copia Serpentum, & draconum: an vero hæc vera ſint, vel non: iudicate vos. ego dico tria eſſe loca: prima eſt Arabia, ſecunda Iudæa, tertia Aegyptus. In Iudæa dicit Dioſc. prouenire in quadam valle. dicit Theoph. in valle geneſſeritide naſcitur hæc planta, & hanc dicunt eſſe circa lacum genezareth. Strabo ait, naſci in hortis prope Ierichonem, in quo erant duo viridaria, de quibus ſacra pagina mentionem facit: & hi vocabantur horti Regis. Et quando capta eſt Hieroſolyma, cum viderent Iudæi plantam illam nobilem, noluerunt, vt ad impios deueniret Romanos violantes templa, theſaurus hic. tandem capta ſunt loca, & factus ex balſamo prouentus maximus: & adeo creuit, vt vilis deuenerit planta illa. De ea autem, quæ naſcitur in Aegypto Dioſcorides non facit mentionem loci: ſed Auicen. dicit in hortis Solis naſci: ſed eſt in Cayro, vbi eſt hortus, in quo eſt puteus, habens aquam dulciſſimam, qua irrigantur vniuerſæ plantæ, & vocatur hortus magni Regis: ab Auicenna hortus Solis. Noſtri Chriſtiani, & Arabes dicunt miraculo ſubortum fontem. Nam cum MARIA mater Domini Herodem fugeret, voluit lauare Puerum, & ſic miraculoſe factus eſt puteus. Refert Petrus martyr, cum perueniſſet ad locum illum vidiſſe hortum, & plantam balſami perquiſiuiſſe, eamque non inueniſſe. Retulerunt Arabes cauſam ad corruptionem Putei, quoniam mulier Hebræa menſtruata minxit in puteum, & ſic aqua vires amittente, exiccata, & arida facta eſt planta. Multa referunt Hiſtorici, quæ nec ipſi credunt. Quod mulier omnium bonorum deſtructioni intendens id facere potuerit, credo: ſed quod fons amiſerit vires, non credo. Accedit quod multi poſt Petrum Mart. viderunt plantam illam, vti Polonus ille comes Palatinus. Poteſt tamen eſſe, vt Petrus non viderit, aut quia fallaces illi Arabes impoſuerunt ei: aut quia non eſt naturalis Planta Aegypto: quoniam retulit ille Polonus, ſe vidiſſe miniſtros plantantes eam, qui referebant delata germina Mecha, quæ eſt nobiliſſima ciuitas Arabiæ: Dicuntque quod Arabes deferunt ex ſterilibus locis ad arcam Mahometi, ſacerdotes colligunt, & mittunt in Aegyptum ad colonos Regis, propterea quod in Arabia non profert lachrymam, ſed in Aegypto: cuius dimidia pars ſeruatur pro Principe Turcarum: aliud dimidium Mecham mittitur pro inunctione partis Templi. Vnde ego colligo huiuſmodi plantam eſſe propriam Arabiæ: & quod fuerit primo delata in Iudæam, vltimo in Aegyptum, vbi liquorem profert. Sed notate, quod Luſitanus

refert

Marginal notes: *Pauſania, & Strab. opinio.* — *Recentiorũ opinio.* — *Vid. Seb. Munſte. lib. 5. ſuæ geog. in deſcrip. Ierichu. item lib. 6. cap. prop. item lib. 1. cap. 31.* — *Vbi naſcitur balſamum.* — *Plin. error.* — *Solini error.* — *Quomodo naſcitur.* — *Anno poſt Chriſtum natum 73. quando Titus expugnatam vrbem deuaſtauit.* — *Horti Solis.* — *Horti magni Regis.* — *Fons miraculo ortus.* — *Petr. Mart. opinio.* — *Impugnatio.* — *Opinio propria.*

refert in Indiis occidentalibus oriri plantam balsami, quæ habet similitudinem pini. Nescio quomodo hic semihebræus voluerit assimilare balsamum pino, cum nemo scriptor mentionem pini fecerit? sed quidam liquor ex orientalibus defertur Indiis, quem Lusitani afferunt: sed reuera balsamũ non est: glutinat tamẽ vulnera, fragrantem odorem spirat, & alias multas notas habet balsami. Ex occidentalibus Indiis affertur liquor styracis calamitæ, qui non habet multas notas balsami: ideo tenete non esse verum balsamum. Balsamum ergo crescit ad hominis magnitudinem, aliquando habet figuram vitis, sustentat se se: frondes perpetuo virent, pilosæ, ad similitudinem sampsuchi, odorem spirantes. profert fructus, qui habent similitudinem terebinthi. Polonus ille referebat se non vidisse in planta.

Lusitani error.

Epilogus.

[Balsamum plantam vocat & succum, ex planta confundens tamen, ideo sciatis, quod balsamum arbuscula est: opobalsamum succus est. nam ὀπὸς succus dicitur: xylobalsamum lignum balsami, ξύλον est lignum. Carpobalsamum fructus est balsami. καρπὸς enim Latine fructus.] Dictum est qualis forma, altitudo, & facies totius plantæ: quibus in locis reperiretur, in tribus scilicet, in Arabia, in Ιericonte, & in Aegypto: addebam talem plantam aduenam in Aegypto, & Iudæa: Indigenam Arabiæ, vbi non profert lachrymam: sed oportet deferri in aliam regionem, & hoc non mirum, cum habeamus plurima similia variantia propriam naturam ratione regionũ, veluti est persica, quæ in Perside venenatos, in Aegypto esui aptos, profert fructus: ideo non est mirum, si balsami planta in ea regione, in qua nascitur, non proferat lachrymam, & alibi proferat. dixi habere folia aut sampsuchi, aut cytisi pilosa, odorato ligneo, folio, cortice, & fructu. Vnde coloni conficiunt balsamum, quod communicant Principibus: quia sapit naturam veri balsami. ex quo colligatis vos, nos habere verum balsamum antiquorum, & non habere. non habemus: quia non circumfertur lachryma illa: nec est aliquis aut Rex, aut Dux qui de hoc possit gloriari: quia cautum est vita, ne gutta communicetur alicui: Tamen nostri Principes habent illud arte factum, ex eadem materia cocta, & elicitum arte, non ab ipsa natura. Accipiunt enim folia, & ramos viridiores, quos in vase æneo aqua pleno incoquunt, donec absumatur aquæ magna portio, & in suprema superficie aquæ inueniunt liquorem succretum odoratum & iucundum. & hoc habetur in Ecclesiis nobilibus pro oleis sacrandis: & apud Principes, & hoc est eiusdem ferme notæ cum vero. Nam vt referebat quidam Pedemontanus, (& vt ego vidi) talis est naturæ, vt terebinthinam, vel oleum abietinum referat: color ex albo in luteum: quod si attingitur digito, hæret: sed non ita, vt terebinthum: odorem habet: sed sapit quid inueteratum, rancidum, atque nescio quid mixtum habet. At si quis vellet conferre: non inclinat in resinosum, quia proprium habet odorem, sed non ita iucundum, vt alii testantur.

Adulteratum balsamum, quod circumfertur.

Sed præter hæc scire deberis, quod nostris temporibus circumferuntur gemini liquores, qui habentur pro balsamo: alter ex Orientalibus Indiis, alter ex occiduis. balsamum occiduum oritur in regionibus repertis ab Hispanis: de quo loquens Amathus Lusitanus dicit esse lucidi coloris, & manare ex arbore similitudinem habente cum Pino. Quæ omnia credo falsa, quoniam semper assueuit dicere falsa: doctrina eius bona est, sed audacia istam meretur pœnam. in Centuriis eius tot sunt mendacia, vt vix credam tantum hominem potuisse illa dicere. De Historia plantarum, Deus scit, quæ dixerit. sed etenim Gonzalus Ferrandus vir celeberrimus, qui scripsit oculatam & mirabilem Indiarum historiam ad Imperatorem Carolum, dominũ illarum regionum, lib. I, suæ hist. cap. 3. loquens de isto balsamo refert, quod sit liquor pinguis, vt oleum crassius substantia, quod arte educatur, non natura erumpat. Nam accipiunt lignum illius arboris, & incoquunt in aqua, & concrescentem liquorem supra aquam colligunt. hic autem coloris est subnigri, vt videatur sapa. Balsami nomine donatur ob miras, quibus præditus est, vires. nam præter quod in frigidis adiuuat, adeo conglutinat vulnera, & sistit sanguinẽ, vt mirum sit: & tanta est vis, vt tardius imponendus sit liquor iste, ne iterum oporteat aperire vulnus, vt defluat materia. Arbor huius ligni est ad piri magnitudinem, scabiosa, & squalida, ita vt sicca videantur folia, æmulantur mali punicæ folia, sed tenuiora sunt: lignum odoratum est, & in taleolas diuiditur: ita pingue est, vt videatur lignum ex tæda: Vnde Indi vtuntur ad piscationes nocturnas loco lucernarum, & candelarum. Talis est historia balsami huius, cuius nunquã portiunculam vidi. attamen credo huic viro. [Scribit Gardan. lib. 8. de subtilitate, ex Insula Hispaniola deferri genus balsami colore iuiubarum, splendens, ac tenax, odoris suauitate admirabili. arbor autem, quæ oleum istud parit Goacomax, punicæ forma, & magnitudine ferme similis, sed folio paulo maiore, & ideo, quamuis huic compareat Theoph. non propterea crederem esse verum balsamum.]

Balsamum non verum ex Indiis occidentalib. delatum.

Lusitanus mendax.

Gonzalus Ferrandus.

Balsamũ occidentale quomodo paratur.

Arboris ex qua balsamum Indum descriptio.

Balsamum orientale. Est & balsami orientalis vsus etiam, quod affertur à Lusitanis. nigrum est colore, odore præditum suaui, æmulans stiracis fragrantiam; vnde aliqui stacten esse opinantur. Dedit mihi huius portiunculam mercator Mediolanensis, qui referebat in Calecutio accepisse; sed nil aliud potuit extrahere. habet mellis spissitudinē, & ostendam vobis. Deus præstet, vt solers simul & vafer Guilandinus, qui iam capescit iter ad Indias Orientales, redeat ad nos incolumis; quoniam cum & doctissimus, studiosorum omnium gratia pati paratissimus sit, atq; oculatus adeo, vt linceos oculos habere credatur, istius balsami veritatem nobis afferret, quod erit studiosis omnib. vtilitatis immodicæ. Nam cum peragrauerit Arabiā, communicauit mihi multa aperta, & conculcata. etenim hucusq; incœpit scribere commētaria, & imposterum, si fœlix succedet ei reditus, prosequetur, atq; optatissimo suo labori coronidem imponet.

Hic est ille Guilandinus, qui Theonem scripsit, in quo centum Matthioli errata deteguntur.

De Balsamo artificiali. CAP. XVII.

Balsamum artificiale. HÆc habeo quæ dicam de balsamo. Quibus addatis balsamum artificiale, quod est chaos quoddam; omnes enim fere teniarunt. habemus compositionem apud Mesuem in libris chymistarum. Habemus Io. Baptistæ Rom. descriptionem; quare ego omitto, ne hunc vel illum offendam. Hoc etiam habetis apud excellentissimum Matthiolum: sed sciatis, quod omnia sunt figmenta [habes descriptionem balsami artificialis apud Gardanem libro 10. capite 50. de rerum varietate. Item apud Philippum Vlstadium in lib. de secr. nat. cap. 21. Magister Arnaldus de Villanoua huiusmodi oleum vires balsami habere contendit. Recipe oleum terebent. olei communis antiqui, olei laurini ana lib.i. cinnam. vnc.iiij. eufragiæ, garioph. ana vnc. ij. baccarum lauri, gummi, hederæ ana vnc. i. ladani, thuris, masticis an. vnc. i. omnia prædicta pone ad destillandum. Hoc oleum est maioris virtutis quam balsamum ipsum. valet contra morsum scorpionis, canis rabidi, serpentis, & contra illos qui multum dormiunt, & venenati sunt, bibendo illud cum vino calido, valet contra tremorem membrorum, contra morbum caducum, strangutiam, dolorem dorsi, scrophulas, lachrymas oculorum vngendo tribus vicibus supra frontem. Item contra illos, qui non possunt loqui, ponendo de eo super linguam cum bombice. Valet contra dolorem dentium, matricis; dissoluit sanguinem congelatum, purgat matricem. valet contra calculos in vesica, si bibatur cum succo saxifragiæ, millefo. & semin. maluæ. patiens debet sedere in balneo ieiuno stomaco. contra dolorem iliorum, pectoris, cordis, stomachi, & aliarū partium. Cōtra crassos stomachum grauantes humores, atq; totius corporis mirabiliter conferre putatur. Alii alio modo parant. Recipe terebent. veteris partes duas, masticis nouæ partem vnam, opoponacis, & corticum granatorum ana modicum: pone ad destillandum, & serua vt supra. Est præterea oleum mirabile scorpionum, de quo in tract. de bubone pestilenti fusiorem habetis explicationem. Inter arcana autem nostra inuenimus oleum Nicodemi appellatum, quod mirabiles supra modum vires habet, atq; isti voluissent oleum balsami nuncupare, & est eius descriptio isthæc. Recipe semin. hiperic. lib.i. vini albi optimi lib. iiij. tereb. antiquæ lib.i. croci vnc.i. olei antiqui lib.ij. litarg. drach. vi. aloes hepat. tutię, alex. an. drach. iij. bulliant omnia simul in duplici vase, donec quarta pars consumatur: demum sepeliantur in arena in diebus canicularibus per dies decem. postea per pannum candidum cola, separa vinum ab oleo, & vtranq; separatim serua. curat omnem dolorem, & omnia vulnera sanat. consimilia multa sunt, quæ breuitatis causa consulto omitto.

Oleum Nicodemi.

Balsami species. Redeamus ad Dioscoridem: prosequitur hic post descriptam balsami historiam nunc eius species, & dicit, aliquas esse scabrosas, & duras, aliquas valde eleuatas, nonnullas delicatiores, & tenuiores. istas tres species nouit Plinius loco citato: posteriorem autem vocat eplucriston, quam dicit deteriorem cæteris; quia cum sit nimis iuncea, non potest copiosum liquorem, & bonum emittere. sed illa aspera, quæ vocatur trachi, est in primo gradu bonitatis.

Modus & tempus collectionis. Descripta planta, descriptis speciebus, docet modum, & tempus collectionis liquoris. & dicit oportere, vt fit æstiuis temporibus, & vt scarificemus corticem. Notat Plin. vt adhibita diligentia, & librata manu scarificetur. quoniam si profundius descendunt, truncum interiorem tangunt. addit Plin. vitro, vel lapillis, vel osseo cultello scarificandum. & Solinus confirmat, reddit rationem, quia si tundatur ferro, siccatur planta. Diosc. & Theophrast. dicunt vnguibus ferreis: sed cum nemo eorum viderit: ego credo, quod dum librata manu fiat, optimum est vtrunq;: Ad quem vsum? vt balsamum lachrymam habeamus, quæ magno erat in pretio.

Hic autem ſuccus, qui ex inciſione & ſcarificatione effluit, dicitur opobalſamum. Balſamũ colligimus (inquit Dioſc.) in pauca quantitate, ita vt ſingulis annis tempore Roman. non niſi 54. vel 63. libras colligerent, quæ duplicato argento pendebant, ita vt ſingula libra duabus argenteis venderetur, id eſt, viginti aureis ſcutatis: totus ergo prouentus 63. lib. erat, ſcutatorum 1260. Noſtris temporibus ſingula libra venderetur 1000. aureis. *Quantitas & precium.*

Ponit Dioſcorides notas optimi ſucci, quas non explico, quia clara ſunt verba Dioſcoridis, & iſtæ notæ conueniunt terebintho, & ideo dico ego, quod poſſumus vti oleo vel abietino, vel ex terebintho loco balſami in medicinis; ſed oportet deſtillare oleum ex his, vt fiat tenuior ſubſtantia. Ego prius eram in hac hæreſi, vt ſumeremus oleum nucis moſcatæ, quo infunderetur piſtillum, ſeruiens in Mithridatica confectione loco balſami: at poſtea mutaui ſententiam: & vellem, vt acciperemus terebinthum, vel oleum abietinum in duplici vaſe deſtillatum. Et quod me mouet eſt; quoniam balſamum præſtans eſt in vulneribus: hoc autem oleo in capitis vulneribus præſtantius fere nihil; & expertus ſum feliciſſimo cum ſucceſſu. *Nota opobalſami.*

Sed varie vitiabatur, admiſcebant aliqui terebinthinum, vel ciprinum, vel lentiſcinum vnguentum: ecce quod erant hæc ſimilia balſamo, & notis ſenſibilibus, & viribus, textus Dioſcoridis, iacet cipria cera humida, caſtigate cerato ciprino, vel cerato myrtino humido: quoniam Antiqui vocabant ceratum mixturam factam ex oleo, & cera, cætera ſequentia clara ſunt. *Adulteratio opobalſami.*

Antiqui vtebantur etiã ligno & fructu, ideo Dioſcorides eius notas ponit, & vult, vt ſit fuluum & referat odorẽ balſami: hoc autem non habemus in officinis, oſtendunt ſeplaſiarii ligna vlmea; & dicunt eſſe balſami: nullum habent odorem: dimittite ergo, & vtamini potius ligno ex terebintho, vel ex lentiſco, vel eo, ex quo reſudet materia ſimilis, vt reſina tereb. reſina abiet. reſina larici. poteſtis accipere & plantam maſticis, quæ eſt lentiſcus: vel terebinthum, quam copioſam habemus in noſtris montibus. Antiqui habebant ſemen in vſu, quod Theophraſtus facit ſimile fructui lentiſci. Dioſcorides de eo non facit mentionem. in officinis habemus carpobalſamum falſiſſimum. ſciatis tamen, quod communis inualuit opinio, nos poſſe vti pillulis, quæ cubebæ vocantur, quæ ſunt ſemina odorata, parua, magnitudine piperis, & ſuauia. Non ſunt cubebæ veræ Arabum; ſed poſſunt ſubſtitui pro eis: Nam cubebæ Arabum ſunt carpaſium Græcorum: nos habemus cubebas, ſed non ſunt cubebæ Arabum. ego ignoro qui ſint iſti fructus, quos accipio loco fructus balſami, quia habent omnes eius vires. Fructum deſcribit Dioſcorides, & vltimo concludit efficaciſſimam vim ſucco ineſſe. Reliqua ita nota ſunt, vt explicatione non indigeant. *Xylobalſamum & carpobalſamum.* *Semen cubebæ.*

Hic autem, vt anſam præbeamus aliquibus veritates rerum intimius perſcrutandi; referamus id, quod nobis videtur in hac materia de balſamo addendum. ſcribit Card. libro octauo de ſubtilitate, ex Inſula Hiſpaniola deferri genus quoddam balſami colore iujubarum, ſplendens, ac tenax, odoris ſuauitate admirabili, adeo vt quiſquam exiſtimare nequeat, quam iucundum ſit, vulnera & ipſum recentia celerrime ſanat, & rugas tollit. Iulius Cæſar Scalig. refert eſſe apud ipſum liquorem hunc inter alia Indiæ monumenta. Balſami vires æmulari: non apud omnes expertum eſſe. Arbos, quæ oleum iſtud parit (inquit Card.) Goacomax, punicæ forma, & magnitudine ferme ſimilis, corticee quaſi arido ligno, quod ardet, vt tæda, fructus vt vuarum racemi: Ex qua deſcriptione facile quis conijcere poſſet hoc Indicum eſſe verum Syriacum Balſamum, quoniam Theophraſtus illius ſimilem plantam facit punicæ, fructus lentiſci, quæ comas quaſdam parit pilulas, quaſi vuæ referens. in viribus poſtea conueniunt, at in aquam ſtillatum ſyriacum diffunditur ita, vt aqua referat lac, fundum petit, non ſupernatat, & lac ipſum cogit, quæ tria Indico deficiunt. atque hæc experientia docentur, nec poteſt eſſe, vt lanæ infuſum maculam non relinquat, quia balſamum verum, in qua diſſoluitur, quia non adeo pingue eſt, vt ſupernatet, fundum petit, quia graue & terreum eſt, & ideo non ingreditur lanæ poros. an vero mortuorum conſeruet corpora, quum illinitur, an linguam pungat, videant alii. *Additio de balſamo.*

De aſphalato. CAP. XX.

Apud Medicos Græcos, & Hiſtoricos naturales eiuſdem gentis geminæ voces ſunt ſimiles, Aſphaltos, & Aſphalatos, cum tamen diuerſam materiam medicã diſtinctiſſimam natura, & genere ſignificent. Aſphaltos bitumen eſt, quod inter inanimata connumeramus. Aſphalatos eſt materia animata. hanc vocem corruptã legimus in libris barbarorum. *Aſphaltos.* *Aſphalatos.*

apud Rhasim assalanum pro asphalato legitur: apud Simeonem Ianuensem aspatium: apud pandectarium aspalanum habemus. De hoc locuti sunt Arabes darsisaham vocantes, vt clare videre possumus in Auicenna, vel darscifcahan: & in Serap. capite 16. quam vocem, cum interpres Serapionis non intelligeret, interpretatus est arboris granati syluestris plantam: cum illa habeat similitudinem cum granato. Plantam hanc habebant in vsu vnguentarii ad conspissanda vnguenta, bono prædita est odore, & non rancescit. nam vnguentarii ad hæc duo oculos habent. primum, ne materiale malum odorem habeat: secundo, vt illud materiale non rancescat, non corrumpatur. Et ideo quamuis infinita opportuna in vnguentis, tamen, quia rancescunt, non sunt bona. Cum igitur reciperetur asphalatus inter vnguenta, quod est munus aromatis ex Theophrasto, merito noster Dioscorides tractauit in isto loco inter aromata connumerando. Dioscorides loquens de hac planta primo declarat faciem eius: secundo loca, vbi nascitur: tertio notas: quarto vires enumerat. Scholiastes Theocriti dicunt, quod vocatur asphalatus, quia si quis vulneratur hac spina, non ita facile potest auelli, nam inter spinosas plantas numeratur, & ideo asphalatos. i. non vulsibilis dicitur. varias habet appellationes. Plin. vocat medisissetron, alii adispadon, alii dipsacon, quæ sint occasiones harum vocum non satis patet. Gentilis tenet esse darsisan Arabum.

lib.2.trac.2. cap.210. — *Asphalati vsus apud vnguentarios.* — *Lib.9.c.7.* — *Lib.12.c.24. lib 24.c.13. Auic.lib.2. cap.31.*

Descriptio. Frutex est surculosus, in codice græco legimus lignosus, non surculosus. fruticem appellamus arborem paruam, sed durantem veluti arbores magnæ faciunt, sed fruticum quidam lignosi, & duri, quidam nec duri, nec lignosi. Ideo dicit Dioscorides, hæc planta est dura lignosa, ramis duris constans. Nota quod hæc pars desideratur apud Oribas. in cap. in quo secundum Diosc. describit hanc plantam: sed hæc descriptio legitur in Græcis, & antiquis codicibus Latinis, idcirco credimus esse legitimam Dioscoridis. Hæc planta spinosa est: confirmatur ex Plin. Theophrast. Auicen. & Serap. verum debetis notare, quod habemus à Plin. propositam geminam asphalatum, alteram delatã ex oriente, quam dicit habere in vno loco iustæ arboris magnitudinem, in alio minorem, & ita iste non erit frutex, & de hac orientali loquebatur Auic. cum dixit: darsisan arbor crassa est, & reuera cum nos habeamus asphalatum orientalem, possumus credere hoc. alteram (dicit Plinius) asphalatum esse fruticem, & arborem humiliorem, & nobis describitur à Dioscoride. dicit autem Plinius. hæc arbor crescit in syluis, est alba, vltimo flore rosæ. Describit postea secundam asphalatum, & conuenit cum Dioscoride. Hæc planta ita spinosa est, vt videatur comã habere spinarum: Theocr. testis est in 4. vbi ait, comã fert spinosam. *Flos.* Florem habet rosæ secundum Plinium: illa orientalis, reliqua secundum Serap. habet florem croceum, secundum Auic. candidum, & hic concordat cum Diosc. & sunt candidi veluti flores prunorum. producit cadente flore siliquas breues, & pilosas, quæ aliquando gemina, aliquando trina semina parua lenticularia continent. *Semen.* quum nascitur, tria folia producit, quasi rutæ. Hinc cum ex Græcia afferrem hanc plantam, credebam esse secundam acaciam Dioscoridis, quæ habet folia rutæ: deinde inueni in Hetruria, & misi ad Petrum Andræam Matthiolum, vnde ille in loco acaciæ descripsit & posuit in acacia pontica. *Locus.* Sed ego diligentius perquirens reperi hanc plantã veram esse asphalatum, vnde opus est, vt pro me, & pro illo doctissimo viro palinodiam canam. Et in omnibus tractibus Græcis asphalatus vocatur. *Locus vbi nascatur.* Nascitur hæc planta non solum in Istro, sed Pisis in monte nigro, vbi maxima est huius, & aliorum medicamentorum copia: nascitur quin etiam in insula quadam, quæ Nisyrus dicitur prope Rhodum, & Coum insulam, & à Strabone inter sporadas numeratur. *Lib.14.* Nascitur in Syria, & hæc erat ob caliditatem regionis præstantior. *Vsus.* Postquam Dioscorides enumerauit loca, docet vsum; & dicit: quod vnguentarii vtuntur, quia est planta adstringens. sed Plin. ait, quod vnguentarii vtebantur cortice astringente, & Fullones ad inspissandos pannos, & hoc erat in vsu in Hispania. Vnde Amatus Lusitanus dicit, quod cortex istius plantæ habetur sub nomine bugiæ in Valentia. *Amatus suspectus.* Amatus est suspectus apud me, ideo ei non credo. citat authorem me rerum, quæ dicuntur falsæ: citat Brasauolum suorum mendaciorum testem. radices vocabantur apud Hippo. radices nigræ, vti testatut Galenus, vbi d. radix nigra est radix asphalati. *In lib. qui de linguis Hipp. inscribitur.* Describit postea Dioscorides lignum, & ait, optimus eligendus est, grauis, si accipiamus lignum, & corticem eripiamus, erit subrubeus in purpuram vergens, quia nigredinem habet quandoque admixtam, est amarum. ex Gal. dicit esse acre, & adstringens, & in adstringentia omnes consentiunt. *6. de simp. med. facul. cap proprio.* sed ego credo vtrunq; bene dixisse. Galenus loquebatur de eo, q; in suis oriebatur regionibus. Dioscorides de præstantiori in Syria nascente: nam proculdubio hoc habet amaritudinẽ, sed in Græcia, & in Italia repertum acredinẽ: in Græcia odorẽ, in Italia nullum profert odorem, ideo non est mirum, si variat secundũ diuersa loca. Galen. dicit asphalatus *8. de comp. med. loc. cap.7.*

nostris

nostris in locis nascens adstringentẽ facultatem habet: ex quo loco colligitur, quod cum loquitur de asphalato, loquitur de eo, quod suis in locis nascebatur, odor eius non dicitur à Diosc. sed est orientalis rosæ. Plinius inquit habere odorem castorei. sed testatur vnum miraculum, si arcus cœlestis inclinatur in asphalatũ, quod habet odorem asphalati. at hoc numerate inter miracula Plinii. sed ego inuenio hanc plantam habere occultam facultatem, quia solo eius ictu percussæ ceruæ eius spinæ moriuntur. ex quo, capitibus sagittarum adaptari possunt maximo eum venatorum prouentu. Est alia asphalatus Itala cæteris deterior, & colore, & odore vacans, & Plin. dicit, non vbique tamen odorata. Ex hoc colligemus, tria esse asphalati genera, vnum orientalem Plinii, quod nos habemus: alterum descriptum à Diosc. fruticis nomine, foliis tribus, veluti rutæ, cum flore &c. quod diuiditur in duo: alterum subrubrum sub cortice, odoratum, quod nascitur in Rhodo, & Syria, alterum est in Italia (& hoc tertium erit) inodorum nascens in Hetruria. Noster Ruellius, cum vidisset hanc plantam oriri in Rhodo, finxit historiam, in qua sunt figmenta multa: confutatur à Matthiolo, Amatus carpit Matthiolum, sed in Apologia impugnatur, & expugnatur ab eo. Vnde decipitur Ruell. fallitur Amatus. Alii voluere esse sandalum rubrum, nam in officinis habemus ligum vocatum sandalum, à Græcis σάνδαλον, de quo loquar infra. sed decipiuntur. confutatur hæc opinio à Matth. cum quo ego consentio. Aliquando inclinaui in opinionem illam, vt sit lignum, quod vocatur Albacan ex autoritate Bellunensis, à nostris vulgo verzinum, à quibusdam lignum virgineum dictum, eo quod ex huiusmodi ligno conficitur fucus, quo virgines faciem inficiunt, qui belletto, vel pezzuolo vocatur, appellatur etiam brasilium ab Hispanis, vnde loca, in quibus hæc copiosa planta abundat, vocant brasiliam terram. ego decipiebar; quoniam reuera, vt postea comperi, & ex nauigationibus multorum veris, veni in hanc sententiam, quod lignum quoddam delatum à Ioanne Baptista Pedaldo Florentino (qui nauigauit in Indias Orientales, & detulit secũ integras arbores spinosas, & ego vidi truncos satis magnos) esset vera asphalatus. in hac planta inueni omnes notas asphalati. hac planta donatus eam communicaui omnibus volentibus conficere trociscos cyphi. habeo frusta, quibus orbiculos, id est pater noster confeci, quos vobis ostendam. Hic igitur erit primus asphalatus; secundus ex Græcia defertur, qui pingitur apud Matthiol. in capite de acacia, tertium non habeo, sed potestis habere ex Pisanis collibus. cætera clara sunt.

Plin. miracula.

Tria asphalati genera.

Matthioli laus.

Non est Verzinum.

De Santalis. CAP. XXI.

QVum loquebar de asphalato, dicebam quorundam fuisse opinionem, asphalatum orientalem Plinii esse santalum rubrum, quod est in officinis, & in vsu apud Arabas, quorum nullam mentionem apud veteres habemus. confutari diximus hanc opinionem apud Matthiolum. sed ego aliquid dicam de santalis. ab Arab. santal dicuntur, à nostris santalum vel santalus, à Græcis, qui suffurati sunt ab Arab. santalos, Serap. 346. cap. loquitur de hoc. Auicen. etiam loquitur de hoc. Res est ignota antiquis Græcis, quamuis Auicen. non sine nota adducat autoritatem Gal. consentiunt omnes cum Auer. quod sandal ignota fuerit Galeno. Fortasse Auicen. legit librum spurium Galen. Lignum hoc affertur iam ex semiorientali regione, & est trium generum, rubrum, citrinum, & album. & ita nostri indicant tria genera lignorum; & cum in receptis inuenietis: Recipe santalorum omnium, intelligitur horum trium. Verum, vt veritatem sciatis, duo sunt tantum genera santali: alterum rubrum: alterum album: & quamuis seplasiarii citrinum ostendant etiam, tamen citrinum, & album vnum sunt, nam est pars exterior, & interior. nec hoc mirum videri debet. lignum enim Guaiacum circumquaq; pallescens, intus vero nigrescens conspicitur: & ego sum testis oculatus in santalis, qui maximos vidi eorum truncos. hinc est quod vos apud Auicen. non reperietis factam mentionem santali citrini. Hoc confirmant Historici recentiores; nam qui scripsere itinera ad Calichut, & viderunt syluas, vbi santala proueniunt, semper meminere rubri, & albi, nunquam citrini. Hæc fuit impostura, & summa diligentia Medicorum, vt diuiserint vnum lignum in duo. & ita ego sum istius sententiæ, quod santali duo sunt genera, & quod album, ratione illa, quia in vna parte sit citrinum, in altera album, distingui potest. Mirum est, quod Historici describentes syluas, vbi sint santala, omiserunt fructus, frondes, & figuram. Frigidum est in 3. siccum in 2. vti referunt Arabes. sed cum colligam suauitatem odoris, & acredinem cum aliquo amarore, sciam præterea lignum non esse lachrymam concretam, neq; mucum, neque terram, non possum consentire cum clarissimis Arabibus, quod sit frigidum in 3.

Nomina varia.

Lib. 2. tract. 2. cap. 656.

De Dynam.

Tria genera sandalorũ

Temperatura.

Vires. & cum decoquam, non inuenio tantam frigiditatẽ. Vnde credo, quód sit frigidũ in primo, vel saltim in 2. consentio, quod sit siccum in 2. cordialis est medicina, & ita in omnib. medicamentis, quæ faciunt ad cor, recipitur. Nam odore fragranti discutit fuligines, & temperat aerem, quo refrigeratur cor. Habemus vnguentum santalinum, & Antidotum recentioribus notum.

De Musco arborum. Cap. XXII.

Antiquitus hic erat in vsu ad conficienda thymiamata, & inspissanda vnguẽta, & nunc habetur, (credo quod iuuenes norunt) puluis Cypri dilutus aqua iucũdus, & etiã siccus, & inspersus cibariis maximam suauitatem affert. Hic puluis conficitur ex musco in illa insula. cum ergo ad inspissanda vnguenta, & ad thymiamata conficienda valeat muscus, ideo Dioscorides describit eum hic inter aromata. Primo autem declarat, quomodo nascatur, & dicit quod est ex illis plantis, quæ in aliis plantis nascuntur, quamuis nascatur etiam in terra.

Bryon quid significet. Dicit autem Bryon. Hæc vox non solum muscum significat, sed alia multa. apud Theophrastum significat pilulam quandam spinosam, quæ oritur in quercubus loco floris.

Lib. 3. de hi. plan. cap. 6. illæ plantæ non proferunt flores, sed spinosas pilulas loco eorũ, & bryon à Theoph. dicuntur: quia est quædam conglomerata lanugo ex materia lanosa, & spinosa. Aliud est bryon apud Medicos, de quo Gal. Discor. in quarto, qui dicitur bryon marinus.

Lib. 6. de simpl. med. facult. Et hæc est planta Auicen. lib. 2. tract. 2. cap. 459. & ab eo dicitur sua lingua Thaleb, & moschus interpretatur. non autẽ est moschus ille odoratus, sed bryon, & est illa materia medica, quam corallinam vocamus. Hæc est parua herba, quæ oritur in fundo maris, quæ

Corallina. aliquando fit saxum & habet similitudinem coralli, & ideo plantam hanc corallinam vocarunt, quæ si recens assumitur, soluit ventrem, & vtilis est vermibus puerorum. Est tertius muscus, qui solet nasci in fundo riuulorum aquę dulcis, qui ascendit, & est lanugo, quę dicitur spongia, & à Plin. conferrum appellatur; quia est opportunum ad conferruminanda ossa. Nascitur in saxis quartus muscus, quod licha vocatur à Diosco. in 4. lib. vulgo hepatica vocatur, & figatella, quia vsus eius est in excalefactione hepatis. Quintũ genus est,

Vsnee. de quo loquitur hic, & de hoc loquamur, quod Arabes vocarunt vsnee; Serap. c. 93. Auic. lib. 2. tract. 2. cap. 720. vocatur quin etiam ab Arabibus Asne. in officinis repetietis vsneam, quam bryon vocabitis, sed legimus apud Auicen. vsnee, vel vsnem, de qua Auicen.

Cap. 722. & Serap. 257. capite loquitur. & est illa planta, quam Kali dicimus, & est planta marina, ex qua conficitur cinis vitrarius. & ideo distinctissimæ sunt bryonis species. sed estma-

Lib. 12. cap. 23. xima differentia inter moscum, & muscum, vt audietis infra. At de musco iam prosequamur, quod à quibusdam splanton, tragonon, & spagnon vocari dicit Plin. teste Aetio lib.

Lib. 24. c. 6. primo vocatur ipnon. Hæ itaq; voces idem significant. Non explicat Diosc. huiusmodi plantam, sed dicit, quibus in arboribus nascatur. describitur autem à Plin. 16. lib. cap. 8. & 12. cap. 13. vbi ait esse villos canos arborum, prætereà adiungit esse pannos arentes villoso musco, & canos, qui arescunt, & concrescunt in trunco. consentit Auic. qui dicit esse veluti tenuissimos cortices plantarum, non sunt cortices, sed videntur cortices. verum ex

Bryon duplex. isto bryo, duplex est genus; vnum, quod est veluti pannus concrescens, alterum veluti lanugines, pannum non cognouerũt recentiores, quod sit bryon. sciatis tamen, quod Diosc. loquitur de hoc, quod non nascitur in omnibus arboribus, sed villosum nascitur in omnibus arboribus, & lapidibus. Quæro ego, quęnam sit vsnea, quæ videtur veluti pannus: est,

Fuchsius taxatur. quę pulmonaria à Fuchsio dicitur, & est veluti lichen hepatica lapidũ. & ista, quę nascitur in plantis vocatur muscus, & hanc nominauit Fuchsius, sed non cognouit. Nascitur autem

Loca. (inquit Diosco.) in cedro, quercu, & populo. Loca, vbi optima nascitur, est Cyrenaica regio, est Cyprus, Phœnicia teste Plin. & tandem Galliæ, & Ægyptus, Plin. addit nasci in Licia cedro, quæ est cedrus magna, nam habemus cedrum paruam, acutam, & magnam.

Cedrus est larix. in magna altissima nascitur muscus. quid sit cedrus magna, disputatur à Petro Bellonio in lib. de mirab. & est arbor laricis. Et mandate hoc memoriæ. cedrus arbor, & cedrus libani, ex qua facta est cõtignatio templi Hierosol. est larix arbor, vbi nascitur suauissimus hic

Larix ignota antiquis fuere. muscus, & bene in hoc sentit Matthiolus. Antiqui non cognoscebant laricẽ sub nomine laricis, & cum loca Germaniæ non essent peruia, in quibus erat copia magna laricis, Medici nesciebant, nisi hortum in Libano monte, quem vocarunt Libanum cedri, & hæc fuit causa, qua noster Galenus loco musci cedrini substituit muscum ex picea. Primum quia ex materia lignosa odorata nascitur, secundo quia ex ligno resinifero; veluti fert resinam cedrus licia, & nostra larix. subdit Diosc. quod nascitur in populo arbore alba, cuius copiã

Lib. 12. c. 28. habetis, & credo quod vos noueritis huiusmodi bryon. Notate tamen apud Plin. qui lo-

quens

quens de populo alba dicebat: bryon vua populi albæ, ex quo loco colligimus populum *Lib. 12. c. 28.* ferre vuam, quæ bryon vocatur. Hoc falsum est: nigra populus affert vuas, quæ disrumpũtur, & effunditur lanugo magna, populus alba non facit lanuginem, in agro Mutinensi dicitur albarazza. *Plin. impugnatur.* Non credo tamen errare Plini. sed locutum metaphorice, in populo alba nascitur lanugo, & corticosus pannus, qui datus populo albæ loco vuæ concessæ populo nigræ. *Defenditur Plinius.* Tres sunt arbores muscum Diosc. proferẽtes, prima est nostra larix; secunda populus alba: tertia est quercus: vos addite quartam piceam arborem, quæ potest substitui loco laricini musci. Sed per quercum non intelligite omne genus glandiferarum, sed de quadam specie quercus, in qua pannus iste reperitur. *Quercus.* Et ista est, quæ Ægilops à Plinio dicitur, & vocatur vulgo Cerro, & à Latinis Acerus, vel Cerrus, & valde laudatur à Galeno. *Lib. 16. ca. 8.* Dioscorides mox primum locum adscribit cedrino musco, secundum locum picino adscribit, at Plin. dat primas populeo nato in Gnido, secundas dat cedrino ex Lycia. Fortasse Gnidus dat populos ita nobiles, sed ego consentio cum Galen. primas dando cedro, secundas pici, tertias populo, quartas quercui. *Lib. 12. c. 22. Electio.* Eligendus autem candidus, & est qui nascitur in cedro. Plinius laudat altissimum, id est natum in ramis altioribus concoctum à Solis calore, & minus offensum à frigore. Postea Dioscorides explicat facultates, & d. esse adstringentis facultatis, habet tamen in se nescio quid temperati, ita vt vim habeat molliendi; *Facultates.* Notate tamen, quod emollit vsus musci ratione diuersitatis partium. est frigidus, & siccus in primo ex autoritate quorundam. Auicen. restatur frigidum in primo; siccum in secundo. Galenus vult esse parum siccum, & parum frigidum, ideo non est mirum, si accedit tantum temperato.

De Moscho. CAP. XXIII.

MVscus plantarum, præcipue quarundam arborum, antiquitus seruiebat ad vsus medicos, & ad varia odoramenta, & conspissanda vnguenta, quia non facit ea rancida. Nostra ætas habet suum moschum, quod facit ad Medicos vsus, & ad odorata vnguenta. Quæ materia tanto præstantior moscho Diosc. quanto nos viui mortuis: ideo cum similitudo vocis trahat nos, atque idem vsus de hoc nostro à Diosc. & antiquioribus nondum cognito tractare instituimus. Nullus inuenit apud antiquiores factam moschi mentionem, sed à Græcis recentioribus, vt ab Aetio, à quo moschos appellatur; *c. & 16. lib.* Græci habent moscon proprium, qui est pediculus, quo substentantur flores oleæ. Moschos Aetii, Simeonis, & Actuarii est ista sanies, hoc virus de quo memini. vocatur sanies, quia Arabes vocant misch, à nobis vulgo muschio dicitur. Huiusmodi medicamentum superat omnia aromata: adest quoddam aliud, cui cedit suauitate; sed nullum habet se maiorem vehementiam iunctam suauitati, quædam vehementiam, non suauitatem habent, sed nullum est, quod æque iuncta hæc habeat. reperitur odoramentum suauius, & est ambra, sed non ita validum est. Aliqui describentes moschum dicebant esse carnes maceratas putrescentes: *Quid mosc. Prima opin.* Autor est quidam scriptor populorum orientalium, hoc falsum est. non enim videmus habere carneas fibras. *Amatus huius est sententia* Simeon Sethi dum loquitur de hac materia (vt testatur Matthiol.) opinatur esse concretionem sanguinis circa vmbilicum cuiusdam animalis. *2. opinio.* Hoc mendacium est. Vnde oportet nos sequi sententiam Recentiorum, & Serap. capite 185. & Auicen. 2. lib. tract. 2. cap. 461. & Odoardi Barbessæ, qui scripsit nauigationes Orientales: *Ruellius id opinatur ex Serapione & Aetio.* proferunt enim concorditer historiam verisimilem, Tempore Arabum in regione Tumcasina, & Senina oriri solebat. nunc ex Sina insula, & ex aliis locis Indiæ Orientalis. *Propria opi.* Credo quod audiueritis à me, & ab aliis, quod nascuntur in corio hominũ quædam tubercula, quæ habent vesicam, in qua continetur sanies, quæ est aliquando liquida, aliquando crassissima veluti substantia lardi. Ita in quodam animali Indico concrescit aliquando gemina, aliquãdo multiplex vomica in corio, in qua colligitur sanies crassior, subnigra, inclinans in rubedinem, & hanc vocamus moschum. huiusmodi vomicam solent ligate filo, vt concidat, & integrum seruetur animal, & ita separant corium recisum, & huiusmodi corium cum moscho; vulgo vocamus vesicam moschi, id est particulam corii illius animalis. Sunt istæ vesicæ magno in vsu apud mulieres ad seruãdas vestes à carie, nam hoc opportunum est, & omnia etiam odoramenta corrumpunt tineas, & sunt in causa vt dentes earum pereant, *Vesicarum moschi vsus.* Sed ex his vesiculis aliquæ sunt ita vetustæ, vt nullum odorem feruent, aliquæ odoratæ sunt, & recentes, & sunt illæ, in quibus adest folliculus, & membranula, vbi continebatur moschus. Ideo videte, quando emitis scalpite digito, si adest pellicula, ematis; sin minus linquite, quia odorem amittit citius, non ergo negligatis pelliculam internam. Talis est sanies, de qua loquimur. locus est circa ventrem, & circa pectus.

Op. eorum, qui tenent Gazelam esse animal moschi. Impugnatur ab Auic. cap. 461.

Aliqui voluerunt Gazelam esse hoc animal. Vnde multa isthæc animalia videbitis in nobilium Ædibus: sunt capræ paruæ, quæ incedunt per domos, & domesticæ fiunt. Decipiuntur, quoniam quamuis animal illud simile sit gazelæ, tamen gazela non est, quæ faciat moschum. est simillimum gazelæ cornibus, & vellere differt, quoniam gazela habet dentes ea ratione, qua reliquæ capræ; huiusmodi animal habet prominentes dentes, & rictos, quasi suis duos illos, & elephanti. Illa vomica, necesse est vt putrescat, & constringatur: Vnde aliqui volunt, quod quandoq; hoc animal prurigine affectum se fricet, & sic è petris colligatur moschus: sed quæ dixi, certa sunt. ista materia solet corrumpi, & ita apud chymicos infinitæ habentur descriptiones conficiendi, & multiplicandi moschum. Accipiunt humanum sanguinem, suspendunt in cloaca, in vesica, admiscent postea moschum, & aliis rationibus vitiant. Sed probatio in nulla ratione consistit, nisi in hoc: quum apetitis vesicam, admouete naribus, si excitat sanguinis fluxum, bonus est: hoc facit etiam, si quis in toto vitæ curriculo sanguinem non emiserit. si autem volueritis extra vesicam cognoscere, non potestis, nisi ex odoris vehementia. Facultates huius medicamēti sunt, vt sit calidus & siccus, in tertio ex autoritate Simeonis, calidus in secundo intenso, & siccus etiam in secundo ex Auicen. cum quo ego consentio. videtur calefacere, quoniam vaporoso odore incalescunt spiritus. Nam cum odoramenta calefaciunt caput, etiam quæ fridida & temperata sunt: non nisi quia odoratus vapor attactus ad cerebrum nutrit, & miscetur cū spiritib. animalibus; si calidus est, facilius penetrat, faciliusq; spiritus ponuntur in calefacto esse; quia agitantur, & edunt effectus summę caliditatis: & est cum veluti quis pręter modū comedat vel bibat, quoniam concitatur feruor in corpore propter nimiam copiam alimenti subministrati partibus, hinc fit sudor. Ita facit æstum, & perturbationem capitis omne odoratum. Est tenuissimum hoc medicamētum, oculos detergit, roborat omnes spirituales partes, vt sit mirum: & ideo cordialis, & capitalis est medicina. si inungamus pudēdas partes hoc, auget Venerem, quia augentur spiritus. Idem præstat si in pauca quantitate assumatur in cibariis; ratio est, quia vaporosa est materia, auget spiritus, concitat, & facit tensionem. & hæc ita de moscho,

Multiplicatio moschi. *Modus detegendi moscum purū à mixto.* *Facultates.* *Odorata omnia calfaciunt caput.* *Ad Venerē.*

De Ambra. CAP. XXIV.

IAm properemus naribus apertis ad Ambram, vt tam suaui odore cerebro bene affecto, de aromate ita pretioso discurrere possimus. Nos habemus duo genera Ambrarum: alterum, ex quo fiunt orbes, & tubercula, quæ excipiuntur filo, & collo, aut manibus alligata gestantur ad ornatus Mulierum; alterum est, quod venditur pari pondere cum auro, imo magis; ita vt vna vncia eius valeat 35. scutatis aureis, nunquam minus 25. & tamen vna vncia auri non edit nisi decē aureos: ideo duplo, & triplo venditur, tantū est pretium istius. Prioris quædā nigra, quædā russa, quædā citrina, quędam alba; ab Arabibus carabe dicitur, à Græcis electrum, à Latinis succinum, de quo loquar, quum agam de electro. nos autē agemus iam de aromate illo, quod ambra vocatur, ab Arabibus ambar, à Græcis recentioribus ampar: apud Simeonem Sethi, ampra etiam, vti ab Aetio, apud Mercatores ambarcaninum, vel ambra canis dicitur. Vocatur ab Hermolao succinum orientale. habebat mentem propheticam ille homo. Ioannes Leo, dum loquitur de hac materia ignota antiquis (nam nemo antiquorum nouit hoc aroma, quod superat omnia, exceptis aliquibus gemmis) in historia de rebus Aphricanis dicit, quod reperitur piscis in locis marinis Aphri. vocatus Ambra, qui eiicit sperma, vel stercus, & hoc est ambra. Odoardus refert, quod sunt aues quædam, quę stercus emittunt supra saxa, & quod pisces comedunt, ex quorum ventribus colligitur hæc ambta. Nugæ sunt. Serap. refert, quod est fungus nascens saxis. Auic. & Auer. 5. collig. cap. 56. & Simeon rectè loquuntur de hac re: dicunt enim quod est bitumen nascens in Oceano, & scatens in gurgitibus altissimis eius; & est veluti camphoræ species; quæ comeditur à piscibus, & cetis, & illos interficit; est quoddam genus succini, & bituminosæ materiæ; & ita Domini non habemus Ambracanem, nisi quem colligimus ex piscibus. si cetus interficiatur à piscatoribus, ambram colligunt. & est genus distinctum ceti, quod in quibusdam maribus reperitur, non in omnibus, sed in littore occiduo Galliæ, qui dicitur Cetus ambræ, & ista est ambra, quam habemus. & quod sit bituminis genus, videte: si apponatur igni, eliquatur veluti resina &c. si apponatis flammam accensam, eliquatur vt cera, bitumen, & cætera pinguia. Vnde colligo, esse materiam oleosam: ista aut est species pinguedinis ex animali, vel ex plantis, vel ex terra: quia eliquatur, est quid oleosum & pingue. non est pinguedo animalis; quia friabilis est: non habet naturam seui, nec adipis: quia cōuertitur in pollinem. non ex arboribus; quia impossibile esset, vt tan-

Lib. 1. & 16. *2. lib. tract. 2. cap. 63.*

vt tandem nauigatio non inuenisset huiusmodi arbores, cum habeatur satis copiosa circa Gallias, & terras Aphricæ; præterea omnes fere autores consentiunt ex pisce desumi: quas arbores vultis, vt pisces volantes cetæ, & balenæ ascenderint, cũ hoc non sit, opus est, vt dicam esse pinguedinem terrestrem: hoc autem inducit me ad credendum istud, quoniam si ignoramus prioris alterius ambræ, vbi sint fontes, non mirum si latet fons istius in profundis maris scaturiginibus. Adulteratur quum extracta est ex ventre animalis. solent isti *Adulteratio.* corrumpere, vt faciant griseam. accipiunt ladanum nigrum, & gipsum, & bene simul cum ambra miscent. Deprehenditur adulterium hac ratione. eliquate supra ferrum calidum, statim fit coloris subnigri, & non relinquitur nec punctum nigrum, nec punctum album, quando vera est ambrę tota massa. si hæc apparent, adulterata est. In Oriente habetur triũ *Tres species.* generum, vna dicitur grisea, quæ habet puncta alba, & nigra, & vocatur porrambat, alia est citrina, quæ nunquam apparuit, nunquam eam videre potui; sed ego credo, quod sit illa subnigra, quę eliquata relinquit citrinitatem quandam. hæc vocatur puambat, apud Indos. tertia pessima est, & nigra vetustate corrupta, & vocatur minambar. Facultates: *Facultates.* est calida, & sicca in secundo, ex Auer. & Serap. Auicenna autem d. calidam in secundo, siccam in primo. Dicit in secundo incipiente, id est in primo intenso. Roborat cor, ce- *Vires.* rebrum, vterum: promouet menstrua; Vnde habemus in officinis medicamentum compositum, quod diambra nuncupant.

De Zibetto. CAP. XXV.

VLtimo est zibettum. Cœptum est vehi animal ex Ægypto, quod habet similitudinem cum taxo melle Plin. Hoc animal in Ægypto facit partum copiosum, & vocant gatto del zibetto. Ferum & agreste est, armatum dentib. serratis, & difficilime tractabile etiam à domesticis suis; vincitur tamen hominis industria; Habet loculum, bursam in parte posteriori intra fœmora in extrema parte abdominis, siue fœmina, siue masculus sit: huiusmodi cauerna habet anfractus, & cauitates quasdã, in quib. colligitur sudor, & sanies quędam, quæ cibettum vocatur. Hæc materia in principio alba est, successu temporis primum fit sublutea, deinde flaua, vltimo nigrescens. Habet grauem odorem cum aliqua suauitate admixtam, sed non multa: Myropolæ capiunt eam pro mixtura, & materia, & miscent cũ moscho, & ambra. Ego præter odorem carnis tostæ, non sentii odorem hoc suauiorem, & preciosiorem. Nutriuntur magno sumptu hæc animalia; comedunt enim dulciaria optima, orizam eum ouis &c. & quanto nobilius eis datur alimentum, tanto nobiliorẽ materiam emittunt. Vires huius Zibetti non ita patent, sed maxime venerem proritare inuentum est. Et si præputium inungatur hoc zibetto, maxime incitat mulierem ad coitum, qui in ea ingentem excitat delectationem.

FINIS Tractatus secundi.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS, MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI; DE LVXATIONIBVS,

Tomi II. Tract. III.

De Partibus, quæ ossibus colligantur, & de luxationis natura & causis.

Capvt Primvm.

Ossium vsus.



Vm ossa animalium facta sint à natura, vt dicit Aristoteles lib. 2. de partibus animalium cap. 8. & 9. vt mollia corpora, quæ quidem requirũtur ad sensum & reliqua munia, fulcirentur, & vt illa formarentur, ita vt illa cõformatio, quæ requiritur, dependeat ab ossibus, sicuti experientia docet, & etiam autoritas Galeni lib. 1. de administr. anatom. cap. 2. cumque vnum sit animal, de necessitate requirebatur vna figura & cõformatio partium inter se, & ideo os, quod sustentaculum & firmatio erat illarum, vnum esse debuit, vt asserit Arist. loco cit. vti venæ omnes sunt, eo quod omnes compactæ sunt, & ab vno oriuntur principio, ita vnum esse ossium principium oportuit, vnaque figura & formatio, tanquam si vnum tantum esset os. Principium itaque vnum positum est, à quo reliqua oriuntur ossa corporis, ita tamen vnum esse os, quod animalis partes componit, non est, sed videtur. Sed quia non tantũ natura respiciebat ad hanc conformationem & vnitatem, sed etiam ad motum, ob quem etiam animal est: & secundo quia plura sunt corpora adlatentia intus, quæ debent communicari externis, vt membranę cerebri internæ cõmunicant cum externis. Tertio ipsa dispathia, id est robur & fortitudo considerata, quæ difficultas patiendi consideratur maxime in capite, ideo quod vnum esse debuerat, in plura fuit separandum; & hac ratione manus ossa ita sunt frangibilia, quia inter se disiuncta sunt. Primo itaq; fuit considerandum substentamentum mollium, secundo motus, tertio communicatio internarum partium cum externis, quarto vero robur. Quibus de causis factum est, vt vnum os, & non vnum fieret. Cum enim plura sint, fecit vnum esse, & cum vnum, plura. Hac enim ratione vnum tantum os nunc multiplex, quo inseruiat illis ossibus dictis: hoc vt faceret, accepit plura ossa, & copulauit cum externis adiunctis, vt dicit Aristoteles, vt illud, quod ex duob. adiunctum est, & complicatum, vnum esset os. Verum postea partes illæ, cum non penitus sint integræ, patiuntur hoc, vt possint moueri & flecti. De his itaque, si de harmoniis istis & complicationibus loquimur, quibus colligatis recta sit colligatio, & hæc sunt de quibus loqui intendimus, & de illis affectibus, quos solent pati partes istæ, non autem de natura ipsarum complicantium verba faciemus. Sed primo sciendum est, quod partes istæ, quibus ossa colligantur, variæ sunt, ac dicuntur ab Aristotele: nam lib. de animal. natura dicuntur flexus ac flexiones, quia in illis partibus, quamuis rigidum maneat animal, tamen flectitur & incuruatur, vt cum pede, genu, cubito &c. vocatur etiam κόνδυλοι: condyli autem sunt articuli, quibus colligantur ossa inter se: & sic vocat Hippoc. 1. de artic. text. 7. artus vero dicuntur communiori voce ab aliis, & ita etiam appellat Gal. lib. de ossib. & lib. de anato. admin. & de fracturis, sed improprie: nam apud antiquos per eam vocem non significatur tota compages, sed vnum ossium, quod proximius & in cauitatem alterius inseritur. Et hoc modo vtitur Hippocrates sæpe. Tamen inualuit etiam vsus apud Hipp. vt hoc nomine commissura duorum ossium ab eo q; est sustinere, vel ab eo quod est accõmodare, nostris vocetur. At Plin. vocat tales cõpages nodos, assumpta similitudine à plantis. commissura autẽ & compages nominatur ab his, qui rectius loquuntur: de his nos loquimur, qui etiam articuli vocantur, quo etiam nomine posteriores omnes vocarunt. Celsus tamen vocat articulum alterum os capitatum ab Hippocrate dictum, tamen quia isti articuli communius dicuntur, & nos articulos commissuras dicimus, sed quoniam de horum natura superiori anno, cum de ossibus pertractaremus, verba fecimus, sermonem nostrum perstringemus circa nõ naturales horum affectus. De affectib. itaq; non naturalibus, qui accidunt in his, tractabo. Vt autẽ sciatis, quinam sint, obseruare debetis, quę ipsius sint naturalia, & sic quę pręter naturam. Cognoscitur primo figura. Requiritur enim conformatio directa: nam si duo essent ora rotunda, & vellemus coniungere simul, non recte succederet. Secundo est numerus, vt

Partium colligantiũ varia nomina.

scil.

scil. tot sint, quot requiruntur ad conformationem. Tertio situs decens, vt scil. sunt in sua sede naturali. Quarto mediorum ipsorum contentorum vel continentium apta natura & secundum natura. Cum, n. hæc omnia recte se habent, & articulus bene habebit; si autem contra, male. Vnde quoad primum circa conformationem scil. siue figurã, hæc *1. Obseruandum, est figura siue conformatio.* solet morbum illum pati, quem diastrophin, vt lib. 4. de artic. cap. 15. ex Hippocrate vocant græci, & est quando vel in ortu, vel alia aliqua causa ossa ipsa veluti cerea sunt ac etiam tenera interius, dum eductus fœtus male tractatur, vnde sæpe fit, vt forma seu figura naturalis destruatur ac corrumpatur, & fiunt tunc malæ illæ affectiones, vt est distortio *Mancitas.* cruris in partem exteriorem, in qua contingit, vt pes intro conuersus & inclinatus vitiet conformationem, ita vt non sit tunc luxatio, sed distortus fit articulus, vt accidit vt plurimum in partibus inferioribus infantium, cum tenera & quasi cerea infantium ossa praue à nutricibus vel figurantur, vel figurata distorquentur. Quamuis si ad extra extorqueantur, valgi aut blæsi dicantur; si autem ad intra, vari, vt asserit Galen. lib. 6. de differ. morb. cap. 7. Fit etiam hoc quando porositas græcis dicta, id est, callositas fit; accidit enim quandoq; vt Galenus asserit loc. cit. quod ex duobus ossibus alterum patiatur additionem in extremitate ipsius, & repleat cauitatem ita, vt impediat articulum: & hæc quo ad primum. Secundum erat considerandum, numerus ipse, quo impeditur articulus, modo illo, qui *2. Obseru. Numerus.* dicitur σύνϑεσις, & est quando ex duobus ossibus vel tribus fit vnum, vt ex introductorii autore habetur, vt accidit in gibbosis, in quibus est vna tantum vertebra in parte illa gibbosa flexa. Additur tertio in loco situs, qui immutatur & facit tertium genus morbi, quando *Gibbositas.* accidit vt alterum os deducatur ab altero extra suum situm, qui morbus dicitur ἐξάρϑρημα à Græcis, à nostris vero luxatio vel exarticulatio: sed aliquando accidit, vt ex toto non *Luxatio.* labatur alterum ab altero, & tunc à Græcis dicitur παράρϑρημα & διάρϑρημα ab Hippocrate 3. de offic. medic. 29. Et à nostro Auicenna secunda quarti, declinatio vel torsio iuncturæ. Aliquando vero accidit vt os alterum non dimoueatur à sua sede, nec ad aliquem locum protrudatur, sed dehiscat alterum ab altero, ita vt elongetur vnum ab alio, vt dicit Celsus libro primo capite octauo, tunc genus hoc morbi dicitur distantia commissuræ; ab Auicenna vero elongatio commissuræ, & à nostris recentioribus relaxatio commissuræ. *Distantia seu relaxatio commissura.* Quartum genus morborum est ratione continentium: nam patiuntur quandoque ligamenta tumores, distractiones & contusiones, quæ stigmata dicuntur, à nostris vero distorsiones: Et est, quando articulus in sua sede manet, sed ligamenta patiuntur vel diuelluntur, ita vt suo officio fungi non possint. *Stigmata seu distorsiones.*

Aliud est ratione contentorum, quoniam s. quæ continentur, sunt præter naturam, vt cũ fluxerunt humores ad illa spacia, quib. nõ fieri potest motus, qui dicitur ῥευματισμὸς, effluxio articulorum, ratione etiam contentorum, & est, quando id, quod continetur, deest, vt cum mucus, qui natura in omni genere articulorum, præter vertebras continetur, deest, qui mucor dicitur mucus naturalis & ingenitus. Dicitur autem hic morbus, cum exsiccatur ille mucus, & tunc articuli nunquam possunt moueri, quia ex hoc sequitur etiam exiccatio omnium ligamentorum, quæ non potest corrigi vlla ratione, & tot sunt genera morborum articulorum, de quibus sum tractaturus. Vnde in propositis affectibus *De luxatione vel dislocatione.* articulorum primum locum luxationi ascribemus: quæ dislocatio à barbaris dicitur, quia os ab osse disiungitur, & in disiunctione suo loco proprio dimouetur, & hæc est affectio articuli, qua figura ipsa amittitur, & proprio loco partes osseæ dimouentur, vnde & in figura & in collocatione mala partium ossearum reponitur. Articulus autem iste est, *Luxationis natura.* qui in figura patitur: ipsæ autem partes osseæ proprium locum amittunt, vnde Gal. videns hanc varietatem lib. 6. de differ. morborum dicit, quod est in situ, licet hoc non sit ratione partium ossearum, ipse tamen morbus est in conformatione, quod etiam ex curatione patet, quia hæc fit per continuationem partium in propria conformatione. Causæ huius *Causa luxationis externa.* variæ sunt; aliæ externæ, aliæ internæ. Externæ euidentes sunt, vt ictus, percussiones, casus & distorsiones, vt accidit in his, qui appenduntur, in quibus chordæ torquentur. Recentiores, vt Guido & alii solent inter causas externas numerare extensionem & motum validum & ineptum partium; vt dum quis nimis aperto ore oscitat, vel voluerit in os accipere corpus aliquod nimis crassum; in hoc enim motu ossa nimis aperiuntur, & inde luxatur maxilla. Vidi etiam ego aliquos dum iacularentur hasta nimis intense in brachiis vel humeris luxationes passos; & hi isthæc inter causas externas numerant. Ego tamen inter internas numerarem, primo ratione motus, secundo autoritate etiam Galeni in lib. de natur. human. capite quarto & quinto, vbi inter causas internas numerat violentos motus. Externæ itaque causæ erunt tantum ictus, percussiones, saltus, motus violenti & contorsiones.

Internæ causæ. Internæ autem causæ sunt plurimæ, inter quas primo est humor copiosus tophaceus, crassus, gypseus, qui sua violentia luxare solet artus, quando multa copia huius ad articulum fluit, quæ incrassata extrudit alterum ossium, vt dicit etiam Galenus libro sexto, de differ. morb. cap. 7. Secundo sunt tubercula cruda oborta circa ligamenta, quæ ita intumescunt ab vna parte, vt abbreuient illius partis ligamenta, & ad aliam partem ossa detrudant: testis est Hippocr. 2. de artic. 3. & maxime hoc contingit in vertebris dorsi, in quibus fit gibbositas. Cum hac autem coincidit illa 2. de artic. 6. vbi dicit, quod abscessus & inflam mationes profundæ faciunt luxationes, quia tumores faciunt & contrahunt partes ita, vt ad contractionem ligamentis ipsis luxatio sequitur. *Laxitatis causa.* Sub hac etiam continetur luxatio ligamentorum, ex qua sequitur dislocatio spontanea partium. Laxitas autem fit tribus de causis, primo enim in vtero quandoque generantur ita laxa ligamenta illa, vt in extractione fœtus ex vtero distrahantur & elongentur, & sic fiat postmodum luxatio capitum ossium, quæ ab his ligamentis continebantur, & hoc ita fiat ex luxatione partium, vt in 2. de artic. text. 24. & 3. de artic. text. 93. Aliquando laxitas illa est præternaturalis, cum mucosus humor collectus humectat ligamenta, vt sect. 1. aphor. partic. 59. & 1. de artic. text. 24. 25. & 26. & apud Galenum 1. de artic. comm. 6. patet, ex hoc enim humectantur ligamenta, & laxantur. Tertia causa est habitus totius corporis, cum scilicet redditur nimis macilentus: ad hoc enim humectatio articulorum & refrigeratio succedit, & hoc Hippocr. probat 1. de artic. 24. & 25. dicens, quod boues luxantur facile tempore hyemis, quia macilenti fiunt. *Boum articuli facile laxantur & cur.* Et huius maciei ratio est, quoniam non possunt colligere herbam paruam, quia productum nimis habent labrum inferius ac obesam eius prominentiam; ex hoc enim sequitur, quod cum macilente fiant, vt eis accidit circa finem hyemis, refrigerentur & humectentur articuli, & sic laxantur facile. Quarta causa solet esse quorundam neruorum vel copularum fractura autoritate Celsi lib. 8. per neruũ autem intelligimus vel voluntarium vel copulas vel ligamentum: de neruo voluntario patet, vt cum in parte fracto vel læso neruo voluntario stupida fit pars illa, & sine motu vna apposita magis trahens luxet articulum. De ligamento autem declaro, quia cum in resolutionibus vnius lateris contrahantur oppositæ chordæ, fit luxatio, vel alio modo chordæ vnius lateris consumantur & lædantur. Tertio addiitur causa illa ab Auicenna proposita in tertia quarti, dum loquitur de fractura superciliorum cauitatum, quia aliquis est articulus, cuius alterum os cauitatem habet. In casu itaque, quod supercilium cauitatis illius frangatur, inde fit facile, vt alterum os de suo loco educatur. Causa autem fracturæ est ictus vel flexio. Vltimo addatis violentas extensiones, quam causam inter externas recentiores ponebant. Ad has succedunt species luxationum, de quibus in sequenti capite dicemus.

De speciebus luxationum, deque earundem signis & prognosticis variis.

CAP. II.

Luxationum species plures sunt: nam si primo consideremus naturam luxationis, cum sit mala conformatio, & sit ratione mali situs partium, procul dubio ab vtrisq; species elicietur. *Luxationũ species quæ & quot.* Nam quandoq; vix ex suo situ os alterum dimoueri contingit, sed manet in supercilio, & hæc est luxatio, sed non absoluta & integra, ideo distinguitur in magnã & paruam, & hæc dicitur contorsio, elongatio & Græcis παράρθρημα. Quandoque vero à suo situ penitus educitur os, & est vera ac integra luxatio, q̃ ἐξάρθρημα Græcis nuncupatur. Aliquando tantum fiunt per longum in elongatione articuli, vt cum non tantum cadunt luxata ossa, sed solummodo à se inuicem elongantur & dicitur proprie elongatio hiantiaque articuli, vt in cubito euenit, cum ossa illa aperiuntur, quia ligamenta tantum laxantur, os non cadit ad latera, sed tantum fit spatium inter os & os, & sic euenit in tibia, crure, femoris osse, & sic in humero: & in hoc solum situs variatur. Aliquando os dimouetur vel ad latera vel ante vel retro vel supra vel infra. Et hæ sunt species, quæ propria habent signa; & de his maxime solicitus est Hippocrates: nam ex varietate specierum fit etiam curationis varietas. Præterea sunt aliquæ species ratione simplicitatis & compositionis; aliæ enim simplicissimæ erunt atq; facilimę curatu, aliæ cũ fractura, aliæ cum vlcere, aliæ cum osse detecto; addatis cum inflammatione vel tumore aliquo, aliæ cum denigratione partiũ, vt gangræna, aliæ cum callo superinducto, aliæ cum tophacea materia. Effectus etiam ipsi variant species: vnde horum aliæ faciles, aliæ terribiles, aliæ vero robustissimæ, aliæ dolorosæ, & aliæ mites. Variant etiam ratione compositionis, nam alię recentes, alię inueteratę,

aliæ

aliæ ex recidiua, quod accidit ratione imbecillitatis partium, quæ facile laxantur; aliæ sanabiles, aliæ insanabiles, & hæ omnes species sunt considerandæ. Verum dicet aliquis, ego non possum cognoscere istas species, nisi signa sint aliqua, quibus ista distinguantur, quare de signis agendum est.

Signa luxationum.

Pro signis itaq; inuestigandis dicamus, quod aliquæ sunt luxationes ita manifestæ, vt etiam rusticis ipsis pateant: alię vero ita occultæ, vt exquisitissimis egeant signis. Ideo de signis agens dico, quod signa trium sint generum, vt dicunt recentiores: vel s. ab his, quæ essentialiter adhærent, id est, à natura partium & ossium adhærentiũ: nam cũ naturalis situs sit recta conformatio, si non adsit illa figura, sed cauitas in vna parte, prominentia vero in altera appareat, primum signum ad hoc sumitur, quod quandoq; visu nõ percipitur, sed tantum tactu & per impositionem digiti, vt in humero accidit: non enim visu accidit, sed apposito digito circa alam sentitur caput ossis, ad opposita autem cauitas. Etiam signa habemus à causis: nam cum conspicimus oborta esse tubercula circa coxendicem, si postea quis non potest illum articulum mouere, luxationem adesse sciamus: vel si defluxerint materiæ aliquæ, vel præcesserint torturæ, quæ laxare potuerint.

A natura partium & ossium adhærentium.

A causis.

Ab effectibus.

Ab effectibus etiam cognoscuntur, dicit Celsus: vt si videamus distensiones neruorum: ex casu enim succedit neruis extensio, necessario facta erit luxatio, vel si febris, vel quia gangræna sine causa successerit, luxatum necessario articulum coniicimus. Præterea si ictus præcessit, si dolor sit perpetuus, nam cum fit, & isti restauratores mali restituere volunt, nec possunt, succedit ex violenta illa agitatione & motione dolor ingens, vt ille, qui erat ante restitutionem, vnde hoc non restitutum esse articulum cognoscimus. Praeterea aliquando ad luxationes succedunt sapores, vomitus, deiectiones biliosæ, vt si luxetur maxilla in vtroque articulo, & aliquis accedat, qui non restituat, sed coarctet articulum & ligamenta, huic superueniunt illa, & ex his coniicimus, non restitutum articulum, fitque soportatione musculi temporalis, aliquando suppressio vrinę & fęcum, aliquando etiam succedit, vt in luxationibus coxæ, si enim hoc adsit, signum est restitutum esse os ipsum.

Analogia autem hoc magis indicat, vt dicit Hippocr. siue Gal. in 1. de artic. 34. vt s. conferamus membrum ęgrum cum sano, & hoc vt ex opposita parte sana cognoscamus ægram: & hoc, quia sunt aliquæ conformationes partium natura male formatæ: ideo si oppositum conspiciamus articulum, cognoscemus an à natura sic conformatus sit articulus nec ne, & hoc maxime iuuat in paruis luxationibus. His itaq; signis luxationis species cognoscemus, quibus addimus signa à coniunctis, quibus etiam luxationis species cognosci poterunt, & hęc pręuidenda sunt necessario, antequam ad curationem veniamus: nam morbus est grauis, quia situs peccat & conformatio: præterea adsunt solutio partium neruosarum & frigidarum, ideo sunt diligenter pertractãda. Quod autem ad prognosticationem, primo præuidenda sunt succedentia, & primo, an mors sit successura; vt cum fit luxatio cum fractione ossis, vt in capite vel parte potenti, mors succedit. Pręterea si luxetur vertebra vna, vt ad partes interiores, vel vniuersalis stupor vel mors succedit. Secundo præuidendum est, an sanitas successura sit non successura morte; & hoc multum facit; quia sæpe fiunt luxationes insanabiles, licet non succedat mors, vt quæ fiunt cum vlcere vel detectione ossis. Tertio præuidendum est, an possint articuli restitui, exceptis illis, in quibus sunt cauitates expletæ, vt in luxationib. cubiti, postquã mulier aliqua adstringente aliquo medicamento congregauerit & indurauerit materiã ad cauitatẽ fluentem, vt postea euacuati nõ possit: & vt plurimũ mihi visum est hoc in his, qui à nebulonib. prius sunt tractati. Prętetea luxationes, quę callo obducũtur, nunquã possunt sanari, hęcq; ligata appellamus, ideo in his non est tentanda restitutio. Praeterea siccati & luxati articuli non possunt restitui: *siccati* dico, id est, in interna cauitate cum casu aliquo egreditur propria humiditas, vt in vulnere articulorum. Postquam autem luxatus sit articulus, nunquam restituitur, nam ligamenta illa facta sunt sicca. Præterea partes illæ omnes, quæ trahi non possunt, sanationem non admittunt, vt vertebræ & caput; reliqua omnia possunt. Supponatur autẽ quod possit fieri, quia quãdoq; facile, quandoq; vero difficile restituuntur, prædicendũ est hoc, vt ignominiã fugiamus. Facile restituuntur luxata, quando facilis luxatio est facta, vel à luxatione ligamentorũ, vel in carne tenui emaciatoq; vel debilitato corpore: in his enim facilis est restitutio, vt Celsus lib. 8. c. 2. asserit. Difficilis autem est restitutio in his, quæ difficile luxantur, vt in fœmore & omnibus articulis siccis, qui s. labore sunt siccati & robore, vt baiulorum. Præterea si magna sit chorda articulo applicata. Etiam omnes, qui ad extensionem sunt inepti, difficulter restituuntur, vt articulus coxæ. Digiti autem facile restituuntur. Ratione etiã ætatis, vt in pueris & fœminis facile reponuntur, quia omnia mollia sunt, vt in adultis econtra. Quintũ pręuidẽdum est, an articulus restitutus maneat in loco,

Signa à coniunctis.

Prognostica.

præterquam ſi ſit facta luxatio ab emollitione ligamentorum, vt in coxa ratione iſchiadis, ex qua, facta luxatione, etiam qui reſtituuntur, cadunt. Secundum quod hic excipiendum eſt in diductionibus & hiatibus oſſium, cum per apertionem & diductionem dilatatur vnum os ab alio: in hoc enim poteſt eſſe, vt poſt reſtitutionem oſſa ſimul non maneant, vt in cubito accidit, in quo raro reſtituuntur & ſic accidit in iugulo & ſæpiſſime, non autem huius eſt, vt Gal. dicit de ſe, quia palæſtra ludens ipſe iugulus decidit: in hoc enim faſciæ ſunt apponendæ, & per 40. dies non auferendæ, ipſe quidem ſanatus eſt, quia patiens fuit, reliqui autem nulli, dicit ipſe, ſanari potuerunt. Vltimo eſt prę uidendum, quidnam ſit ſucceſſurum in reſtitutione, vel ſi nõ ſit reſtitutum; inter quæ primum eſt ſciendum, quod quando reſtituuntur in non opportuno tempore & quis aggrediatur reſtitutionem, ineptis inſtrumentis ſuccedere ſolent febres, ſopores, bilis eductiones, porri concretio ex materiis fluentibus: præterea inflammationes, quæ leuior eſt affectio, quæ poſſit accidere in malis reſtitutionibus, quæ quandoq; etiam ſuppurantur, Si autem fruſtrata ſit reſtitutio, primo ſuccedit deformitas articuli, ſecundo ablatio motus, vel diminutio, tertio membri luxati breuitas, gracilitas & effœminatio, vt in humero luxato, non potente reſtitui vel male reſtituto: in hoc enim breuius fit brachium & veluti ſtupacea caro, vt aſſerit Gal. in 3. comm. in lib. de artic. cap. 8. & ratio eſt, quia articuli non ſunt in loco ſuo, ſecundo quia partes ſunt in otio. Sed notandũ eſt, quod locus iſte ille eſt, in quo reprehenditur Hippocrates à Gal. qui rationem reddens dicit, quod vel quærimus cauſam mediatam vel immediatam. Si mediatam quærimus, hæc eſt luxatio: ſi immediatam, hæc eſt anguſtia vaſorum, vel otium cauſa propinqua omnium. Ego tamen non deero, quin dicam duo verba pro Hippocrate, quia leuis eſt accuſatio. Hippoc. enim non quęrit cauſas omnes, nec per luxationem communem intelligit cauſam, quia verum eſt, quod dixit, quod vaſorũ anguſtia eſt cauſa immediata. Sed hic Hippocrates accipit luxationem pro eodem cum ipſarum diſtractione. Luxatio enim nihil aliud eſt, quam corruptio conformitatis partium ad articulum pertinentium, & procul dubio per hanc etiã vaſorum diſtorſionem intellexit, quia & hæc vaſa inter partes ad articulum pertinentes continentur, & ob id Hippocrates non dixit luxationem, pro cauſa communi; ſed pro mala conformatione illarum omnium partium: otium autẽ addidit pro alia cauſa propinqua; quia ex otio emollẽſcit caro, & inepta fit ad motum articuli Dicendum eſt itaq; quod fruſtratis reſtitutionibus breuiores fiunt artus, graciliores & effœminatiores ex otio & diſtorſione vaſorum, quæ non ſubminiſtrant alimentum: vnde non errat Hippocr. vt vult ipſe Gal. Notandum eſt tamen, quod membro multiplices extenuationes ſuccedere poſſunt. Exempli gratia ſi luxetur brachium, extenuatur non tantum ipſum brachium, ſed humerus & manus. Aliud notandum eſt, quod aliqua extenuatio accidere ſolet propter deligationem, vt 1. de artic. 6. quæ reſtitui poteſt per inunctiones & lotiones, & illa, de qua Hippocrates dicit quod accidit, quia non ſit reſtitutus articulus, eſt immedicabilis. Tertio notandum eſt, quod non æqualiter omnes partes extenuantur. Superiores enim immediate aliquid patiuntur, ſed non multum; quia vt vult Hippocrates 3. de artic. 88. ſi fiat exempli gratia luxatio in genu, coxa extenuatur quo ad carnem, os autem creſcet: ſed clarioris doctrinæ gratia vide, quæ ab Hipp. loc. cit. & à Gal. etiam loci eiuſdem commento dicantur. Sed aduertendum eſt circa locum Celſi, quoniã ego credo eſſe corruptum, & eſt lib. 8. cap. 2. vel 17. in fine, vbi dicit, quod cum non reſtituitur aliqua pars luxata, pars immediate luxationi intra exiſtens creſcit quo ad carnem, immediata autem minus creſcit; ſed hoc eſt contrarium & rationi & rei & Hippocrati etiam ipſi: Ratio autem eſt hæc, in luxatione brachii brachiũ mouetur, licet ſuperior articulus humeri moueri non poſſit, quare potius humerus quam brachium extenuari debet, tamen quia motus adeſt in inferioribus, magis creſcere debent quam in ſuperioribus, credo itaq; ego corruptum eſſe locum, quia Celſus ad verbum recitat verba Hippocratis, quæ tamen ſunt contraria ipſi Hipp. Quare dicerẽ ego, quod loco verbi illius *creſcit* legendum ſit potius *decreſcit*, & loco *manus otio* legatur *manus macies*, & hæc ſatis ſint de prognoſticis.

De curatione ſimplicis luxationis & ante & poſt reſtitutionem, & quot ſint ſpecies reſtaurationis & laqueorum.

CAP. III.

CIRCA curationem autem ſimplicis luxationis, ſi habeamus iuuenem luxatum in humero ex caſu aliquo, & nulla adſit inflammatio, nullus dolor maximus, quid agendum eſt? Hoc à morbo indicatur. Luxatio enim eſt mala conformatio & malus ſitus articuli: quare bona conformatio & ſitus rectus reſtituantur: ſed hoc fieri non poteſt niſi reſtituto oſſe ad proprium locum. Verum notandum eſt, quod *Indicatio.*

vnum

vnum in his accidit, quod etiam in aliis chordis accidere solet; contrahitur enim chorda, postea autem laxatur & recurrit ad principiū suum, & si casu frangatur, similiter facit. Hoc idem fit in corpore nostro, omnes chordæ principiū habent ab vno osse declinantq; in aliud os, & manent extensæ, donec integræ sunt: cum autē franguntur, trahuntur ad earum principium, vnde fit, vt os à musculis oppositis ad partes superiores trahatur: hoc stante nobis indicatur, quod si volumus trahere os ad suum locū, extendamus ligamenta & musculos illos, vnde crescunt scopi, conformatio, restitutio articulorum & elongatio musculorum: vnde in his repositio ossis ad suum locū habet rationem causæ suæ, qua nō ad bonam conformationē deuenire possumus. Si.n. hac repositione ossis bona conformatio fieri nō potest, vt & elongatio similiter se habet ad restitutionē. Nam cū in hoc casu statim cognito affectu, primū quod agendū est, est elongatio membri & musculi, ideo elongatio hæc rationē habet causæ, sine qua nō ad restitutionē deuenire possimus. Elongatio autē facile fiet, si 4. attendamus: primo tempus, secūdo organa apta, tertio modū extensionis, quarto quātitatem. Quo ad primū, tempus ab Hippoc. proponitur 4. de artic. 64. vt statim post luxationē fiat extensio, quia adhuc calida est pars. Si.n. frigida esset pars luxata, dolores fierent maximi in extensione, & difficilis esset elongatio. Quare tempus elongandi membrū est statim post luxationem. Sed dicit quis, hęc difficulter admodum atq; raro accidere, vt ſ. eo tempore statim post luxationē possimus adesse ad procurandā sanationem per elongationem, quæro itaq;, quod tempus sit opportunum? Illi, qui sequuntur Hippocratem, vt Auicennas tertia quarti tract. 1. dicit, quod si hæc facimus prima die, vel secunda, vel tertia, nō autem reliquis sequentibus, hoc erit tempus opportunum, & dici potest, quod statim factum sit: & hoc confirmat etiam Galenus in lib. de ossibus, & ratio est ex Hippocrate: de artic. 3. vbi dicit, quod in quarto die fiunt rebelliones maximæ, id est, exacerbationes, compulsiones, ex quibus succedunt multa incommoda, & frustrantur multæ restitutiones. Sed dicet aliquis, si transactum erit hoc tempus, eoque non fuerit medicus vocatus ad restitutionem quo tempore est restituēdus? eo tempore, quo transit tempus inflammationis, quod constituitur ad extenuandum corpus ab Hippocrate, vt 4. de artic. 65. vbi dicit, quod extenuatus sit homo inedia vsq; ad septimam, quia tunc inflammationis periculum imminet. Quare septima dies erit pertranseunda. Si autem volueritis esse cautiores, obseruetis rationem Pauli lib. 6. c. penult. vbi dicit, quod obseruetur inflāmatio vsq; ad quartam diem. Quare cū prima die vel secunda vel tertia non potuimus restituere, restituemus septima vel octaua vel nona. Possumus etiā restituere in sequentib. diebus, sed non est tutum: quare in prima vel secunda vel tertia restituemus, nisi cogamur ab inflāmatione desistere, quæ prius superuenit. Si.n. prius superuenerit inflammatio, differre debemus post quartā. Et ratio est proposita in 4. de artic. 14. vbi dicit, quod restitutiones ante decimū recte succedant; & ratio huius est, quoniā ante tempus illud natura consueuit mittere multū nutrimentū ad partes, quæ prius inanitæ esse debent, vt dicetur. Post autē, quia multa fluit materia, non possunt ita bene restitui: ex his enim laxiora fiunt ligamenta in vna parte quā in alia, vel fluit aliqua materia, quę impacta capiti alterius ossis obuoluit ad aliū situ. Quare ante decimum facienda est elongatio & restitutio. Bene verum est, quod si neq; hoc tempus ante fuerimus vocati, non debemus desistere à restitutione, quæ quidem facienda est, sed sit cum maxima difficultate, nec ita recte succedit. Sed aduertendum est, quod ante restitutionem duo sunt facienda; vt si in prima die simus vel secunda vel tertia, in hoc primo præparandus est articulus ad indolentiam, vt dicit Hippoc. secundo præparabimus ipsum ad facilitatem restitutionis. Extensiones itaque hæ fient commode, si laxentur partes & emolliantur & calefiant; si enim mollitæ sunt, facilius trahentur & sine dolore. Emollitio autem fiet per humectationem: calefactio vero per frictionem vel per calefactionē affusa multa aqua calida, vt dicit Hippocrates 3. de artic. 49. & hoc etiam confirmat Paulus lib. 6. cap. 114. vbi vnum habemus à Paulo consideratione dignum, & est, quod non solum aqua calida, sed laxante lotione vti debemus, per quam lotionem laxantē ego intelligo hydroeleon vel decoctum de maluis & althea; hic ergo est primus modus. Secundus modus est ab Hippocrate propositus, & est præmollitio manibus facta, qua ego frequenter vsus sum in his locis, potissimum in quibus non possumus aptare & affundere aquam, vel vbi non adest aqua copiosa: frico enim tunc articulum & chordas & musculos inuncta manu oleo vel alio pingui, vt lardo vel axungia minime salita. Hoc factum, tertium proponitur, & est quædam leuis mutatio vel notatio dicta. Hippocrates enim vult, quod in luxato humero, cum præpolitus erit humerus & laxatus, mutemus leuiter brachium, quia laxantur chordę, & præparatur articulus ad indolentiam & facilitatem restitutionis. Huius autem restitutionis duo sunt genera, vnum palæstricum dictum, alterum vero Medico-

Elongatio membri quot requirat. 1. Tempus.

Difficultas de tempore elongationis.

Ante restitutionē duo agenda.

Restitutionis duo genera.

1. Palaestrica tum, vt habetur ex Hippocrate & Galeno in 1. de artic. 14. Palęstricum est restitutio illa, quæ fit à gymnasticis hominibus, qui exercebant iuuenes, qui solis partibus corporis resti- *2. Medica.* tuebant, & hæc restitutio restauratio palęstrica dicebatur. Medicorum autem dicebatur postea, quoniam cum non possint Medici solis partibus corporis vti in restitutione, alia vtuntur ratione, solis manibus s. quæ quidem si leues sint ac inualidæ, instrumentis vtuntur. Organa autem sunt lora quædam, fasciæ ac linteola plurima, quibus ligantur artus & extenduntur, quando facilis non est restitutio: quia si facilis sit manibus, manibus non administratur. De fasciis autem habetis librum pulcherrimum à Galeno & Oribasio. Præterea vtimur instrumentis aliis, vt scala, pilis variis, scamno etiam hippocratico, de quo 4. de artic. text. 29. tractatur. In pilis omnib. delicatam compositionē adhibere oportet. Quod vero ad instrumenta attinet, habetis librum Oribasii de machinamētis, & sic extendemus articulos. Modus autem extensionis habetur 1. de artic. Cum autem articuli vel artus conformari non possint, nisi os extra locum proprium positum ad locum suum reuocetur, quod fieri nō potest, nisi extendatur membrū, & attrahatur ad locū suum naturalem; vnde quamuis non primo indicata sit extensio, quia tamē rationem habet causæ sine qua non, ideo primum illud tractandum est: at quia de tempore opportuno iam egimus, nunc de *Secundum ad restitutionem requisitum sunt organa apta.* organis verba facienda sunt. Notandum est igitur, quod extensio fit vel simpliciter manibus, vel loris, vel organis: manib. vt Medici, vt si digitus sit luxatus, in quo sola Medici manus sufficit: at si valida sit facienda attractio, instrumentis est opus; vnde quando non sufficiunt manus, quia vel labuntur, vel quia cōtractio & validior requiritur vis, ad lora veniemus, in quibus figura primo est consideranda & compositio, quæ non potest à me vobis *Lora.* verbis exprimi, sed in actu practico vos docebo, & poteritis videre, & optime etiā ex Oribas. addiscere, & figurā eius appręhēdere. Ex qua aūt materia fiant lora, ꝓponitur ab Hipp. *Lori materia.* & Gal. in 1. de artic. 33. quæ sit tenuis, mollis & facilis plicatu. Aduertendū est tamen, quod materiam lori non explicat Hippocrates, nos tamen scimus ex corio fieri: quodnam autem sit & esse debeat hoc coriū, non explicat Hipp. neq; Galenus: Ego autē ceruinis semper sum vsus coriis & lineis etiā, quæ tamen sint macerata. Nam ex corio bubulo vel vitulino nimis sunt dura: tortores me docuerunt rem hanc, quoniā & ipsi ceruino vtātur molli, quo conficiuntur colletti, & his quidem maximo vsus sum cū successu. Crassum .n. est, molle, plicabile ac facile vnguentū, & pingue quodpiā admittit, nos tamē pomata solemus *Vincula serica.* ipsum invngere, quoniā recipitur in corii substantia, & mollescit coriū ex ipsa. Sed quoniā aliquando hæc nō adsunt, ideo antiqui vtebantur sericis vinculis & funibus, quibus etiam nos quandoq; sumus vsi. Sed tunc obseruandū est pręceptū Hippocratis, vt s. obuoluamus partes vinciendas pannis laneis vel lineis tenuissimis & mollissimis, cui superindemus fu- *Locus applicādi laquei.* nem, ne membrum à fune patiatur. Pertinet etiam vnum aliud ad vsum laqueorum, vt s. sciatis cui parti apponendi sint laquei, vt si luxatus sit humerus, cui parti brachii vel cubiti sit apponendus. Dico itaq; quod quanto remotior erit laqueus à membro collocatus, tanto erit perfectior; tunc .n. multæ partes elongātur, nec ita periculū est laxationis, & magis *Notandum circa vsum laqueorum.* partes illæ extendentur, cum omnes perfecte possunt extendi. Notandū est aliud in vsu laqueorū, quod obseruat Hippoc. Et est cū vult trahere articulū infra, cum duo sint articuli, vtrisq; apponit vinculum; quia quāto articuli sunt superiores, tanto difficilius reponuntur, quia sunt crassiores & carnosiores, quo fit vt maiori egeant attractione; vnde si vni tantum articulo applicetur, nimis trahetur & violentā patietur tractionē, exempli gratia, trahendū *Casus de brachio luxato circa humerum.* est brachiū ob luxationē in humero, adsunt infra hoc duo articuli, Hipp. in hoc casu carpo & cubito apponit ligamenta, vt tractio minus sit molesta, dum duo trahuntur, quam si vnus tantum traheretur. Si autem ligamenta satis non erunt, venietis ad organa, & præser- *Quando veniendum ad organa.* tim in luxationibus violentis & difficilimis & inueteratis, quę semper sunt difficiles. Inter *Scala.* organa autem primum est scala mechanica, de quia agitur 1. de artic. 17. Est enim scala illa, quam lignarii circumferunt. Oribasius etiam hac ad hęc omnia genera luxationum vtitur reponēdarum. Secundum locum tenet capsula, instrumentum in scrinii modum, de quo Galenus agit 2. de fract. com. 64. & Oribasius 6. de machinamentis. Tertium est scamnū Hippocratis descriptum 4. de artic. 49. et infra. Hæc tria sunt, quibus nos agere possumus, circa quæ habetis Oribasii librū de machinamentis, quæ etiam conueniunt, per quæ tandem ad extensionem omnia veniemus, vt optima fiat restitutio.

3. requisitū est modus extensionis. Tertium autem caput, quod requirebatur ad elongationem, erat modus extensionis, de qua nunc merito tractandum est, cum iam etiam de tempore & organis tractauerimus. Duo itaq; sciendum est esse genera extensionis apud Hipp. 2. de artic. 1. alia s. quæ per suspensionem fit, & alia, quæ per tractationem in diuersas partes agitur. Sed quoniam suspensio ista magis facta erat ad ostensionē, quam ad vsum, nec probatur ab Hipp. quare & nos

eam

eam dimittimus, de alia tantum loquemur. Circa extensionem ergo, quę per tractationem in diuersas fit partes, duo potissimum sunt obseruanda, facilitas s. & indolentia, quod fiet, si præceptum Hippocratis obseruemus 1. de fract. 1. dum dicit, quod Medicus luxationum & fracturarum extensiones rectissimas facere debet, quod quidem fieri debet ratione ossium, ligamentorum: ossa enim propter figuram obseruantur, ligamenta vero & musculi propter fibras, vt si, exempli gratia, luxatus sit humerus ad partes superiores ischidis, quod habet caput ad partes interiores, si trahamus ita, vt caput respiciat ad partes interiores vel exteriores, non recte traheretur, quoniam nõ tantum secundum rectitudinem, sed ad eam lineam in rectitudine est trahendus, quæ in sua natura manet: ratione ligamẽtorum autem, quia si rectè nõ facta fuerit, aliqua breuia, aliqua longa fient ratione musculorum; quia si non rectè trahamus, aliqui breuiores fient, & ad hoc difficultas succedet extensionis, & sic dolor, quia chordæ illæ factæ longiores diuellentur & laxabuntur, & hæc quoad modum extensionis.

Quartum caput continebat quantitatem extensionis, quam optime sciet Medicus, si capita illa ante oculos habebit, quæ 1. de artic. 6. traduntur, & primo vt sciat, ex quo loco exciderit os, secundo ad quem locum excidit, & qua via os luxatum sit, vt patet ei via ipsa: nam maxime facit ad repositionem cognitio viæ luxationis: vt in humero ad infra luxato, circa quem dicit Hippocrates, quod luxari non possit ad interna, quia ibi adsint ossa hoc impedientia: Gal. tamen dicit se vidisse quędã: ergo errauit Hipp. hoc non est dicendum, sed luxatio facta erat ad partem exteriorem, sed violentia musculorum tracta est ad internam partem: & ideo sciendum est, quod non deuenit primo luxatio ista ad partem istam, sed cum primum factum esset ad externam, violentia postea musculorum tracta est ad internam, & hoc maxime facit ad curationem ipsam. Hoc posito, reuocemus os ad locum suum, debemus itaque trahere, & in hac tractatione tantum est trahendum, quanto fuerit dislocatio, & etiam magis est trahendum, quia adsunt in ossium capitibus cauitates inæquales, vnde vlterius sunt, vt manibus postea in locum suum proprium trudantur. Sed aduertendum, quod in hac extensione adest semper maximus labor Medici & dolor etiam ipsius ægri: & quoniam sæpe accidit, vt nudus reperiatur æger, & Medicus præ labore detecto capite vestibusque demissis, ideo nunquam sinatis, vt sub dio fiant extensiones istæ, nam succedere possunt febres, catharri, dolores capitis & alia id genus. Secundum notandum est, quod aliquando ita difficilis est extensio, vt difficulter æger eam tolerare possit, sed in animi defectum cadat, quare in hoc casu curare oportet, vt æger extensus & decumbens maneat. Aliud etiam agendum est, vt antequam ad hoc deueniatis, vinum odoratum & offa madefacta exhibeatur. Tertio, vt non deficiatis animo, etiamsi cadat æger in defectum animi; nam sola aqua inspersa in faciem eius reuocetis ipsum, nec desistatis ab opere. Si autem magnum sit deliquium, restetque magna pars actionis, tunc dimittatis; & hæc de extensione. Secundus scopus est, vt ossa ad locũ suũ impellantur manibus vel Medici vel ministri: in hoc casu invnctas habeatis manus vel oleo rosato vel cerato aliquo. Impelletur autem duobus modis, vel per motationem siue motionem hinc inde factam vel per impulsum: per motionem, vt in humero, in quo per impulsum non potest fieri, sed circumducatis leniter, nam hoc modo reponitur in suum locum. Impulsione autem in oppositam partem illi ad quam prolapsum est, quod fit vel manibus vel pedibus, vel genubus, vel humeris, vel vinculis, ad quem succedit primus scopus, scil. conformatio ipsius articuli & situs restitutio, ac restituto articulo requiritur, vt conseruetur in suo loco & situ, quod in sequenti capite ostendemus.

4. Requisitũ est quantitas extensionis.

Notandum circa extensionem.

De conseruatione restaurationis factæ per fascias & alia instrumenta. CAP. IV.

Extendi articulũ, & extensum manib. protrudi invnctis in suum locũ debere diximus, quo facto plurima nobis facienda proponuntur: primo vt conseruemus articulum in loco, secundo vt inflammationem prohibeamus, tertio vt consolidationem ligamentorũ restauremus. Primum autẽ quod est conseruatio articuli in suo loco, fit his modis: primo figura optima partis, secundo addita ligatione, tertio quiete, quarto collocatione bona situs, quinto medicamentis opportunis. Figura naturalis procurabitur, si bene quiescat pars, nec sit cũ dolore, vnde postea non succedat inflãmatio. Deligatio autẽ cõueniens & sine dolore faciet, vt non defluant humores, nec efferuescant, & cum sit districta, nec ex loco excidant partes. Quies idem facit & collocatio conueniens. Hæc eadem medicamẽta facient; vltimo cõsolidatio ligamentorum fiet quiete & medicamẽtis cõglutinantib. & ideo opus est, vt ista omnia examinemus ac perpẽdamus. Primo ergo quoad figurationẽ,

Conseruatio articuli restituti, quot & quibus modis fiat.

Figuratio quotuplex. hæ geminæ sunt, figura scil: articuli restituti, & figura totius membri: exempli gratia luxatur articulus in cubito & restituitur.

Exemplum de genu. Restitutus debet ne flexus manere an rectus? debet equidem manere flexus, nam naturalis illius articuli est illa figura: quare tum remittendus erit articulus in cubito, statim ad figuram flexam reducatur. Cum autem fit in genu, quia rectum genu vt plurimum manere debet, ideo figura eius, cum iam repositum fuerit, instituatur recta. Totius etiam artus figura est obseruanda, exempli gratia luxatur humerus, restituitur, adiungatur ei figura articuli iam dicta: totum autem brachium constituendum est flexum, quia vt plurimum sic manet naturaliter: & ideo in superioribus partibus semper flexa maneant membra, in inferioribus autem recta manere debent. Vnum tamen obseruandum est, quod figura articuli, vel totius membri est apponenda ante deligationem, vt docetur 1. de fract. 1. Si enim primo deligemus, non poterit flecti: & si tunc flectatur, immutabitur deligatio & situs ossium, & quia adstricta erant, laxabuntur, & econtra. *Fascia quales esse debeant.* Quare primo est facienda ac instituenda figura, & postea sic instituta deliganda. Sed quo fiet deligatio? fasciis: laneis forsan? non, quia nimis laxæ sunt; nec stuppa: vt quidam faciunt, ideo fiet lineis fasciis, quia hæ optime constringunt: sunt autem molles, mundæ & æquales: molles, ne faciant dolorem: æquales, vt æqualis fiat deligatio: & mundæ, vt cognoscantur excrementa, quę quandoque solent educi. *Latitudo fasciarum.* Latitudo autem fasciarum, quænam esse debeat, non est semper certum, quoniam non eædem sunt partes: aliquando enim partes sunt crassæ, aliquãdo tenues: inde crassiores partes fascias requirunt latiores, tenuiores vero strictiores, vt si, exempli gratia, laxaretur vertebra dorsi vel costa, quia tunc totus truncus est aptandus, ideo lata est opus fascia: at in digitis luxatis duorum digitorũ latitudinem non excedat. In reliquis autem proponitur in 1. de fractur. 37. quod sit quatuor digitorum in crassioribus, *Crassa partes qua, item qua tenuiores.* in tenuioribus vero trium. Crassiora autem sunt femora & genu: tenuiora, tibia, humerus, brachium, manus. At notandum, quod cum dicimus latitudinem fasciarum esse quatuor vel trium digitorum, intelligimus hoc de digitis ægrotantis, & non alterius. *Numerus fasciarum.* Numerum autem fasciarum etiam obseruare debetis, quod primo in deligationibus his duo sunt genera, vnum est, quod ab Hippocrate dicitur subligamen; aliæ vero fasciæ exteriores dicuntur, & tot apponuntur: vnde sciendum est, quod primo ligamus articulum, postea quædam splenia apponimus, quibus deinde addimus etiam fascias exteriores dictas: illa autem subligamina sunt interiores fasciæ, & tot esse debent fasciæ. Aliqui vtuntur vinculis Hippocratis, Celsus, Galenus, Paulus duobus vtuntur, & etiam nos: Exteriores vero quandoq; sunt tres, quandoq; quatuor. Galenus autem vtitur, & ego quandoq; vna, quandoq; nulla, quoniam quandoq; istæ apponuntur causa spleniorum.

Longitudo fasciarum. Longitudo harum fasciarum describi non potest, quoniam differentia maxima est inter partes deligandas: ideo cum nulla detur proportio inter has partes, longitudo fasciarum, neq; sciri, neq; describi potest. Ego tamen obseruaui, quod antiqui volunt, quod longitudo fasciarum in deligationibus, sit quatuor vel quinq; cubitorum, trium autem in tenuioribus, quatuor in crassioribus. Et hoc etiam ego obseruo: mensura autem sit cubitorum ægrotantis, cubitum intelligendo ab apice digiti medii vsq; ad articulum cubiti, vel accipio cubitum per duos dodrantes ipsius ægri: vnde vt certiorem assignemus mensuram longitudinalẽ, fasciarum dicimus, quod cum membra corporis sint in triplici differentia, loquendo tamen de artubus, alia enim sunt maiora, alia media, alia vero minora, siue dicamus alia tenuia, alia crassiora, & alia media: in tenuibus articulis fasciæ, triplo minores esse debent, vt sint paulo maiores vno cubito: in crassioribus vero triplo sint maiores, in aliis medio modo, vt verbi gratia, in coxa deliganda fasciæ sint duodecim cubitorum, quia ad deligandam coxam requiritur, vt etiam ilia ipsa deligentur, ideo oportet, vt sint duodecim cubitorum longæ: in brachio vero trium cubitorum: in genu vsq; ad mediam coxam quatuor cubitorum: in digitis vero minus duorum cubitorum. *Inflammatio à quibus producatur in luxationibus.* His enim fasciis partes articuli & ligabimus, & conseruabimus in loco suo, & etiam inflammationem prohibebimus. Inflammatio enim primo solet oriri à dolore luxationis, secundo à dolore extensionis, cum sanguis fluit ad locum affectum, & humores, qui putrescunt, cum fluent ad locum, tumorem facient, atque calorem introducent, & sic inflammationem: vnde si exprimamus humorem fluxum, inflammatio prohibetur. *Humoris expressio à luxatione ad aliam partem.* Sed quoniam loca, ad quæ exprimuntur humores, sunt duo superiora & inferiora: sciendum est, quod vti loca hæc inter se differunt, ita & expressio non eadem, sed differens esse debet: vnde si sit luxatus in cubito articulus, adsintq; humores exprimendi, possem ego supra & infra exprimere, sed quoniam inferior artus breuissimus est, ideo humor, qui adhuc exprimi debet, paucus etiam esse debet: quia locus est paruus: superior autem artus, cum sit amplissimus, ideo ad illam

illam maiorem humoris partem exprimemus: hac enim expressione fit, vt sanguis, qui adhuc fluit, vel fluxurus est, impediatur. Sed quæret aliquis, an hoc sit tutum, cum Hippocrates in lib. de artic. & fractur. meminerit aliquando de tumoribus, qui fiunt ab expresso sanguine: vnde ex hac expressione humorum possunt fieri tumores ad inferiores partes. Præterea potest recurrere ad partes principales sanguis ipse, & ita interficere ægrum. Ego autem pro resolutione dico, quod est modus in omnibus, ideo moderate hoc est tentandum, & per moderata: & ideo dicebatur, quod id, quod infra exprimitur, sit parum: nã tumor quidem fiet, sed nullius momenti: quæ autem ad superiora siue ad superiorem partem detruditur, ac exprimitur materia, non detrudetur ad partes principales, sed partim ad cutim, cum fient liuores ac maculæ nigræ ac liuidæ, alia autem pars materiæ, quæ non est extra venas, ad cauiora detrudetur venarum. Etsi etiã detruderetur ad partes principales, nil damni afferret, quia sanguis bonus est, nec putrescit ita facile. Hoc constituto memoriæ mandandum est præceptum Auicennæ, fen. 5. lib. 1. vt scil. simus solliciti in fasciis, vt non imponantur calidæ & siccæ: quoniam ex Gal. in lib. 1. de fractur. 21. fasciæ calefaciunt, & calefaciendo humorem trahunt: secundo non cohærent inter se multo tempore, vnde postea dissolutis fasciis, articulus potest elidi iterum: frigidæ itaq; sint fasciæ ratione impediendi fluxionem.

Dubium, an expressio conueniat.

Fasciæ quales esse debeant.

Ad hanc autem euitandam monet Paulus, vt fascias madefaciamus, vt videre est in libro 6. capite 2. vel aqua, vel aceto, vel posca ipsa, id est, aqua & aceto mixtis: item vino pontico & austero: Celsus autem vino & oleo: Auicennas vero cerato infrigidante inficit fascias. Cum autem sint isti diuersi, quo humido sunt fasciæ ipsæ humectandæ. Ego libenter accurro ad vinum austerum, & præcipue album, vt fasciæ non ita inficiantur, & inde etiam facilius dignosci possunt, qui exeunt & educuntur. Si autem tale vinum non adsit, posca vtamini: aqua autem simplici non vtor ego, nisi æstatis tempore, quod facio, quia frigidius tunc requiritur medicamentum: hyeme vero vtor oleo cum vino austero, oleo scil. simplici communi, vel etiam rosaceo. Bene verum est, quod æstate frigidis, hyeme vero calidis his vtor. quamuis Auicennas moneat, vt vtamur frigidis. Ego tamen calefacio hæc ad humectandas, & madefaciendas fascias, quoniam obseruaui, quod si statim frigida apponantur, fit rigor & dolor, & etiam retractio quandoq; ligamentorum. Præterea licet hæc calida apponantur, statim etiam refrigerantur: sed quia sensim refrigerantur, non possunt facere rigorem illum, & melius conseruant restitutum articulum. Notandum est aliud, quod si vultis madefacere fascias, optimum erit, vt semper madidę maneãt, quia postea spatio duodecim horarum ad plus siccabuntur: vnde ego soleo mandare, vt decima quaq; hora aspergantur fasciæ ipsæ frigida aqua vel oleo cum vino mixto, at æstatis tempore sexta quaq; hora: si enim permitterentur siccari, succederent ea incommoda, quæ supra diximus. Notandũ est tamen, q͂ in ingentibus frigoribus non admittemus humectationẽ, vnde quia sæpe succedit affectio quędam semper durans, ita vt postea in mutationibus aeris frigidi, in tempore pluuioso, & in coniunctionibus, atque oppositionibus lunæ patiantur, ita vt etiam veluti, si astronomi essent, ista prædicere soleant, ægri dolore suarum partium luxatarum, quare quandoq; dimittendus horum humectantium vsus, quæ supra dicta sunt; vt fit etiam, quia quandoq; negligentes sunt ministri. Et ideo aliud ex Hippocrate 1. de fract. 21. notandum est, quod scilicet possumus etiam ceratum humidum apponere fasciis præparatis prius, quibus opus habemus: vnde primo madefacimus locum aliquo cerato arcente inflammationem ex Hippocrate, & quo potest fascia hærere: hæc autem plura sunt, dicit ipse Galenus in eo loco, 1. scil. de fracturis 21. aliqui autem vino & oleo, aliqui vero accipiunt bolum armenam, sanguinem draconis, acetum & album oui, quo illiniunt partes. Sed aduertendum est, quod omnia hæc pessima sunt, vt etiam sunt cerata & emplastra, quibus vtebantur antiqui, quæ omnia mala sunt nullaque bona: nam vinum & reliqui succi statim siccabuntur, & sic fasciæ siccæ manebunt: nec album oui est bonum, quia ita conglutinat fascias, vt non possint separari, & fit dolor maximus in auulsione, & ex ipsius siccatione. Acetum etiam, quia siccat, non est bonum, & si iterum affundatur, pruritus maximus exiccabitur.

Fasciæ quibus madefaciendæ.

Notandum circa madefactionem fasciarum.

Notandum aliud.

Ceratum cõmune pro arcenda inflammatione damnãdum.

De mixtura autem illa iam dicta, si loquamur, pessimum est medicamentum, quod credo ego non tantum deuenisse ab Arabibus, sed ex inferno, quia ipsi sunt nigri vt Diaboli: nam nimis siccat loca, & arripit vt Diabolus. Præterea si non potest hoc educi, qui collectus est, facit, vt congeletur humor ille, & induretur. Emplastrũ etiam non est bonũ, q̃a nimis durum, & excitat dolorem. Imponemus itaq; idem Hippoc. quod in fasciis imponebatur, diciturq; ceratum humidum. Hoc autẽ docet Gal. lib. 6. de comp. med. per gen. cap. 4. Est enim medicamentũ à cera ceratum dictum, & ab oleo humidum, & portio est

Cerati humidi approbatio & descriptio.

℥. ij. olei vel rosacei, vel violacei, vel ex oliuis. Sed consideranda est natura ceræ: quia si humidior est cera, tantundem capietis de vtrisque: contra vero, si durior. Sed notandum, quod duplex est modus conficiendi hoc ceratum, vt 1. de fract. 2. asserit Galenus: primũ est, in quo tantum ceræ erat, & olei, vt dictum est, & hoc dicitur album humidum, & de hoc etiam nos loquimur, de hoc Galenus 3. de artic. 7. & 16. Aliud habebat paucam picem admixtam, & hoc dicitur ceratum picatum, quod est nigrum, sed ipso non vtimur, de quo Galenus 1. de fracturis 21. Vt igitur fasciæ opus suum rectè perficere possint, id est partes optimè deligare, & deligatas in suo loco continere, opus est illas aliquo humido inungere, inter quæ illa humida à Galeno proposita non probantur, nec etiam illa recentiorum, quia nimis arida sunt, vnde refrigerant partem: quare ad ceratum Hippocratis est deueniendum, non tamen ad illud picatum, sed ad album, quod constat ex oleo, & cera, vt supra dictum est. Sed in hoc capite vnum monet Galenus, quod hoc medicamentum id habeat, vt inflammationem impediat vltra id, quod fascias contineat, quod fit à cera & oleo rosato, vnde aliud additur, quo loco huius vti possumus: nam cum molle sit, & inflammationem arcens, maxime conueniet: quod si non sit molle, dissolui poterit aliquo oleo: hinc fit, vt ego non semper illo iam dicto vsus sim, sed aliquando vnguento de cerussa sine camphora: nam etiam consistentia, idem est, & etiam inflammationem arcet: cerussa enim mitigat, cera idem facit & oleum, ac etiam repellit. Vel etiam vtor linimento simplici, & eo partem moderate inungo. Aliquando vtor vnguento magistrali dicto, cum rosaceo dissoluto, hoc tamen ante fasciarum inuolutionem partẽ inungendo: vel vnguento de thutia magistrali cum oleo myrtino, & rosaceo dissoluto: & vt dicit Galenus 1. de fract. 21. parum est inungendum, quia si copiosa additur, ex copia fasciæ dilabuntur: inuncto oleo, fascia obuoluatur: quorsum autẽ, dextrorsum an sinistrorsum? in hoc consistit maxima occasio erroris, vel bonæ actionis: vnde Hippocrates 1. de fract. 35. proponit irridẽs, quo sit vertendum, quod obseruandum est, quo inclinet membrum passum: vt si membrum post restitutionem in aliquam partem decumbat, in oppositam partem est facienda deligatio. Quare si genu, verbi gratia, ligetur, & crus, vel pes, in partem interiorem declinet, ad opposita fascia est deliganda: nam per hunc ductum fasciarum, cutim simul nobiscum ducimus, & consequenter carnes, & ab his trahuntur ossa etiam. Hoc facto, & obseruato bis aut ter articulũ deuoluemus, non semel autem tantũ, vt Hippocrates, Celsus, Galenus, & omnes antiqui boni Medici volunt, hocq; vt constrictio sit validior, non tamen dolorosa: quia si vna tantum deuolutione valde adstringeremus articulum, dolorẽ ligatura faceret, quare tribus laxioribus hoc est faciendum, & non ita arctè, sed sine dolore fiat compressio.

Medicamẽtum primũ quale esse debeat.

Deligationis modus.

Deligatione hac super articulum facta, ad superiora veniemus sensim & sensim, & dicit Celsus libro octauo capite secundo, quod veluti in cochlea vertatur fascia, & serpat, id est, eo modo in gyrum ascendat fascia, & hoc ex Hippocrate 1. de fract. 25. in qua multa sunt obseruanda, sed hoc vnum dico, quo ad superiora ligamus, vt defluxus prohibeatur, & humores fluxi exprimantur. Notandum tamen est, quod non sint nimis strictæ, sint crebræ & frequentes, id est, quod vna inuolutio alteri insideat, vt squamæ piscium, id est, vt posterior sequens anteriorem dimidio liget. Sed dicet quis, quousque ascendendum est? Celsus terminum ponit tres diuolutiones: sed tamen nimis angustus est terminus, quia quandoq; fluxus est arcendus, quod nõ potest fieri per tres diuolutiones, quousque itaque? dicit Galenus in multam partem membri sani, si potest tantum tribus reuolutionibus fieri, fiat, si non, pluribus. Deueniamus itaq; hac fascia ad superiora, & ibi finiemus: postea alia est adiungenda, quia etiam ad inferiora est exprimendum: ita eadem ratione præparata apponetur, sed hæc longior esse debet, nam munere duarum fasciarum fungitur, quia, vt dicit Galenus 1. de fracturis 30. antiqui tribus tantum fasciis vtebantur: sed ista vltima duarum munere fungebatur, vt scilicet prima deorsum, postea sursum iterum deuoluatur.

In deligatione quousq; sit adscendendum.

Longitudo itaque non explicatur à Celso, qui dicit, quod dimidio longior esse debet cum superiori dicta, vt si prima sit trium cubitorum, hæc sit quatuor cũ dimidio. Hæc fascia huius longitudinis parata obuoluemus, & omnes consentiunt, quod vna deuolutione articulum deuoluamus, quia non egemus tanta expressione, vt in superiori, secundo hæc iam facta est supra expressio: sed qua ratione ducenda est hæc fascia? aduersa ne priori an eodem modo? Celsus vult, quod sit priori aduersa: Galenus vero 1. de fract. 33. cũ quo etiam est Paulus, vult vt eodem modo cum superiori ligemus. Et ratio Celsi est, vt membrum maiorem habeat æqualitatem, quia in medio per hunc ductum contrarium consistit: Hippocrates autem relinquit hoc iudicio Medici, dicens, quod iudicet Medi-

Quo ducenda sit fascia secunda, an scil. aduersa priori, an vel eodem modo.

cus

eus,an in finistra, vel dextra, vel vtraque fit ducenda fafcia,quare nos,ne iudicio quorundam relinquamus,qui nihil aut vident aut cogitant,fententiam noftram dicemus: ego fæpiffime hac aduerfa deligatione vfus fui, & hoc quando non multum inclinatum effe mēbrum in aliquam partem vidi, vt Celfus,cum Galeno tamen ego fentio, quoniā cum ipfo nullus fieri poteft error,quare cum ipfo fum,& Medicus effe debet: Nam cum Galenus à natura rei dicatur, fuam maxime laudo fententiam, vt laude magis dignam, quia fi genu obuoluam,duco primo iftam fafciam extrorfum. Sed quare hoc factum eft? quia in illam partem membrum inclinare volumus: fi autem introrfum ducam fecundam,contrarium faciet: & ita quod prius intendebamus,non affequemur.

Quod fi etiam hæc nimis in contrariam ducat partem membrorum,non refert. Hippocrates enim dicit,quod aliquid etiam vltra eft ducendum in pueris,qui luxati atq; intorti nafcuntur,quare nihil refert. Ideo dico cum Galeno,quod femper eadem fafcia eodem ductu eft ducenda: quare hac vnica deligatione fuper articulum ducemus eodem ductu, ad inferiora poftea veniemus,non frequentibus deligationibus, vt nō nimis exprimatur, & præterea,vt fufficiat fafcia remouendo furfum,cum deuenimus ad partem inferiorem, iterum ad fuperiora veniemus vfq; ad partem illam,in qua incœpit prima: prima enim fafcia furfum,fecunda vero deorfum exprimit,quare vfq; ad principium primæ, ego cum fecunda deuenio,vt maior fiat furfum expreffio.

De Fafciis,quo ad earum conferuationem & ftabilitatem in loco.

CAP. V.

IMpofitis fafciis,quid agendum eft, vt ftabiles in fuo loco maneant ipfæ fafciæ? hoc fiet non,ficut faciunt recentiores,appofito filo deuolutionibus per acum, fed ex Hipp. per fplenia funt detinendæ. Splenia autem ex Galen. 3. de offic. med. com. 1. & Paulo à fplenis forma fic appellantur, quamuis hoc non dicat Galenus, fed additum fit ab interprete: & fplenis brutorum figuram tenent non humani,quia hoc modo non eft factus fplen humanus. Splenia autem fiunt panno, & ideo à Celfo dicitur pannus triplex vel triplicatus: folebat enim quandoq; effe fimplex,quandoq; duplicatus,quandoq; triplicatus, & aliquando multiplicatus. Vfus autem huius eft varius: antiqui ipfo vtebantur quandoque ad extendenda emplaftra, & vnguenta parti ægræ applicanda, & hoc etiam modo fępe vtitur Galenus in lib. 6. de comp. medic. Alter vfus erat ad explendas cauitates,loco plumaceolorum enim noftrorum ipfis fpleniis vtebantur. Tertius vfus eft ad deliganda membra, quandoq; enim ita erant longa, vt poffent his deligari partes. Quartus vfus eft, vt contineat fafcias in fuo loco,quo modo vtitur Hipp. Ex horum autem vfu vario longitudo itidem ipforum varia effe debet. Sed noftra qualia, & quāta effe debēt? non erunt fimplicia,quia nimis effent mollia,nec poffent continere fafcias,quare triplicata,vel quadruplicata erunt, vt dicit Galenus 1. de offic. med. 1. Longitudo fit maior latitudine, vt lien eft bruti, non fint ficca, quia dicit Galen. 1. de fract. 32. quod effent nimis dura, quia comprimerent, & comprimendo moleftarent partem affectam, quare ipfa eodem cerato dicto inungemus in parte exteriori,non tamen inungemus copiofe,fiue apponemus vnguentum illud, hoc autem fit, vt etiam diutius fafcia contineantur.

Fafcia quo modo redduntur ftabiles. *Vfus fpleniorum.* *Longitudo.*

Longitudo itaq; horum fit, vt dicit Galenus, tanta, quanta pars, quę occupatur à deligatione, latitudo quatuor vel trium digitorum, non tamen eft femper ęqualis, fed in digitis minor, vt in digitis vnius digiti, in manibus trium digitorum, in maioribus adhuc membris quatuor digitorum. Numerus horum fit tantus, quantus eft opportunus ad totum membrum occupandum. Locus a, applicationis eft per longitudinem partis affectæ: nam munus horum eft, vt fafcias contineant, ne membrum inclinet in aliquam partem, & ita funt apponenda, vt alterum tantum alterum attingat, non autem fuperequitet.

In his autem notandum eft, quod Celfus non vtitur his, fed accipit linteolum tantæ magnitudinis, vt eft membrum affectum: Ego vero probo modum Galeni, quia non æque bonum facit vnum vt plura. His appofitis deliganda funt hæc fafciis, quæ dicebantur ab Hippocrate fuperiores: fafciæ autem iftæ erunt duæ, quamuis antiqui tribus vtantur vel quatuor: Galenus vero tantum duabus vtitur, & Hippocrates & Celfus, non tamen femper, fed duabus vtuntur, Galenus 1. de fracturis: 36. vfq; ad feptimam, Celfus vfq; ad tertiam, quare à principio femper cum duabus, & cum prioribus eiufdem longitudinis & latitudinis præparabitis.

Notandum circa fplenia.

Vfus autem horum eft, vt fplenia comprimant & contineant membrum in ea figura, in qua conftitutum eft à primis deligationibus, quare opus eft, vt iftæ non magis inclinent

Vfus fafciarum fupra fplenia.

in istam, quam in illam partem, quod fiet si apponantur inter se aduersæ, vt vult Celsus; vel ab inferiori sursum, vt vult Galenus, quod non refert, & dextrorsum, vel sinistrorsum feratur. Quarta fasciæ huic contraria sit & ducta ex principio & fine. Primæ itaque fasciæ sunt obuoluendæ articulo & parti sanæ ex ductu, vt prior ascendat, secundus descendat, & splenia apponantur, vt dictum est, illinita, cerato intus & extra, totumque membrum amplexetur: hæc autem ligentur duabus fasciis, primis superioribus partibus ad inferiora descendant, altera ab inferioribus ad superiora contrario ductu. In hac autem deligatione vltima facienda, aliqua præcepta seruanda sunt. Et primum est Hippocratis, vt scilicet iis fasciis membrum exæquemus, per hoc Galenus intelligens, quod cũ membra in aliquibus partibus sint prominentiora, in aliquibus vero excarnia & excauata: Quare vt situs & collocatio sit commoda fasciarum, vult Hippocrates exæquari totum membrum: hoc autem fit, vt in fasciis pars caua pluribus deuolutionibus obuoluatur, vt æqualis reliqua fiat, non tamen hoc fiat vna tantum fascia, sed parum explebimus vna fascia, reliquum vero aliis. Aliud est notandum, quod hæ excauationes ita quandoq; sunt magnæ, vt fascia linteolo & splenio in his explendis vtendum sit, hoc autẽ fiet nõ per longitudinem apposito splenio, sed per transuersa; reliqua vero vt in prioribus spleniis fiebat, & hoc ad æquationem membri pertinet. Sed si aliquis dicat, quare hoc tantum fasciis exterioribus faciendum sit, non autem internis: ratio est, quoniam internæ fasciæ factæ sunt ad continendum & exprimendum. Si itaque hæ multum in parte interna deuoluentur, minus magnam in ea facerent expressionem & inæqualem: verum in secundis, quia laxiores applicantur, non succedit. Addatis, quod posteriores laxiores fasciæ sunt obuoluendæ, quam primæ, quia hæ non faciunt ad expressionem, nec continent membrum. Tertium præceptũ est, vt secunda harũ fasciarum laxior sit & imbecillior quã prima, quia maior fieri debet expressio ad superiora quam ad inferiora, & hæc recta fiet deligatio. Sed dicet aliquis, quomodo possum cognoscere, an bona vel mala sit deligatio, quia mala erit dissoluenda? Signa huius sunt, primo post deligationem interrogabitis ægrum, an nimis stricta vel comprimens sit fascia, & in hoc blandus sit Medicus, & pietate ac charitate artem exerceat. Si enim æger dicat strictum esse membrum sed sine dolore, bona erit deligatio. Si autem compressum sit membrum, maxime circa locum affectum, mala & iterum deliganda seu dissoluenda erit. Secundum signum erit, si in secunda die dicat æger, quod post deligationem prius sibi visum sit esse cõpressum magis membrum quam post, sed post addita compressione laxam esse compressionem, recte tunc facta erit deligatio, quia signum est, quod facta erit compressio à loco affecto, & ideo est facta laxitas fasciarum. Tertium signum erit, si secunda die easdem partes extremas illius membri tumorem habere videatis œdema scil. non scirrhosum sed laxum. Signum est enim quod compressum est quod satis est, atque compressionem factam esse moderatam: Cum vero duri fiunt tumores, plus expressum est quam deceat: quod si nullus adsit tumor, nimis laxa fuit. Et hæc satis dicta sint de deligatione.

Præcepta circa fasciarum obuolutionem.

Signa bonæ vel malæ deligationis.

De Inflammatione prohibenda & articulo in suo loco conseruando, per victus rationem & euacuationem.

Cap. VI.

Secundum caput erat vt inflammatio prohibeatur, & vt articulus in suo loco maneat & conseruetur, ad quod caput succedit tertium, ꝙ θέσις, id est, collocatio membri dicitur ab Hippocrate 3. de officin. medic. 17. Paulus autem ἀπόθεσιν lib. 6. cap. 100. vocat, & Galen. 1. de fractur. 1. Positio itaque fit tertio loco, cuius finis est quies: motus enim cum sit molestus articulis, quia fit attractio, & dolor, ideo situs optimus quietem facit. Trium autem generum est positio atq; situs, quorum primum est, vt quando deligamus membrum alteri parti, vt optime quiescat, vt facit Paulus in humero, qui ligat ipsum thoracem, vt quiescat, ne moueatur. Altera est species positionis, cum suspendimus partem de parte, vt in luxatione cubiti & manus, quas suspendimus de collo, brachium vel manus, & hæc est secunda positio ex 3. de offic. Medic. com. 17.

Positio quotuplex.

Tertia species est, cum partem in aliquo loco, vt quiescat, locamus, & ex his tribus speciebus, in articulis hac tantum tertia vtimur in inferioribus partibus, aliis autẽ duabus vtimur in superioribus; in his autem sint, quæcunq; volueris, quid obseruandum sit, Hippocrates dicit, quod plura requirit. Primum quorum est figura partis, nunquam enim recte collocatur, nisi figura partis siue membri sciatur: hæc autem nihil aliud est, quam rectitudo maxima partis, verbi gratia, suspẽdere volo brachium de collo, possum ipsum suspen-

Positioni quot requiruntur.

Exemplum de brachio.

pendere manu prona & supina: sed supina figuratio non est bona, quia non est naturalis parti nec indolens, quare alia requiritur, & hæc est prona figura. Pariter in crure, si volo ipsum collocare, possum ipsum flectere interius, & exterius, & recte, & flexo modo, sed figura optima est huius, quæ conseruat modum medium. Secundum quod requiritur ab Hippocrate 3. de offic. medic. 17. est, vt non fiat dolor & attractio, atq; itidem impediat, ne æger molestiam patiatur in perferendo partem affectam in loco: vnde fit, vt articulus immutetur, nec contineatur in sua sede & loco, quare mollis debet esse actio, vt autem hæc fiat, requiritur secundum Hippocratem 2. de fractur. 63. vt corpora subiecta sint mollia, & puluinaria plumaceola, itaq; impleta sint pura stuppa vel lanis: quod si ratione mollitiei velitis ipsa plena pluma, optimum erit: Longa sint autem ita, vt membrum totum contineatur. Et notandum est, si fieri potest, quod facta sint ex corio, at molli, vel si hoc non adsit, in sternatis aliquod corium, vel vt ego facio chartã membranosam, & hoc propter conseruationem humiditatis, ne putredo fiat: diximus enim iam humida esse debere splenia & fascias, sic enim non siccatur humiditas, nec absorbetur.

De crure.

Corpora positioni subiecta qualia esse debeãt.

Tertium, quod requiritur, est, vt sit locatio æqualis, quia si inæqualis est, aliquæ partes non tangent locum, in quo locantur ista, vnde extra locum suum decidere potest articulus: & reliqua nimis tangent, vnde comprimentur, & fiet inflammatio & dolor: & hoc maxime requiritur in suspensione brachiorum: maximum enim incommodum ex parua inæqualitate oriri potest. Quartum, quod requiritur, est, vt sursum repat: & hoc, si volumus suspendere brachium, non infra spectet membrum, sed supra: & sic in crure partes inferiores sursum spectent, quia si spectent infra, hoc facit ad fluxionem humorum, hæcque nobis circa collocationẽ obseruanda sunt, ne inflammatio fiat. Post hanc requiritur quies, quæ succedit ad positionem bonam. Hæc autem potest etiam ab ægro ipso tueri, & ita necessaria est quies, vt antiqui voluerint ægros ne tantillum etiam moueri: vnde dicit Paulus, quod aliqui perforant lectum & stragula, vt ęgri per illud foramen excernant excrementa, ne moueri cogantur. Verum in quiete notandum est aliquas esse partes, supra quas non naturaliter quiescimus, vnde vlcerationes fieri solent, quod notat Hippocrates 3. de fracturis 26. quia cum diu manent partes in eodem loco, incalescunt, & torpore aduruntur & inflammantur. Præterea solent stuporem contrahere, vnde priuatur locus caloreratione compressionis venarum, vnde succedit vlcus. Ad hoc etiam est aduertendum maxime, & ideo alternis diebus, vel parum tardius mutemus corpora subiecta ipsis partibus, variis enim suppositis molliora euadent. Præterea, si frigidum corpus supponamus, optimum erit, vnde ego soleo quotidie supponere lanam, vel gossipium veluti pilam mollem, quam inungo vnguento rosaceo, vel de cerussa: hoc enim prohibentur inflammationes. Si enim inflammationes, vel quid simile succedat, difficiles sunt ad remouendum, & maxime ob hoc, quia non habemus postea situm commodum. His suppositis & præmissis inflammatio etiam alio modo arceri potest, communibus scil. capitibus, quæ sunt victus ratio, & euacuantia: vnde victus ratio attenuans sit, ne humores, & potissimum sanguis ipse redundet ex 2. de fract. 17. & 4. de artic. 64. & ex Celso lib. 8. cap. 17. talis autem est ab Hippocrate propositus, qui non sit febriculosus, id est, non calefaciens, vt 4. de articulis 36. Qualis autem esse debet, exquisitus ne an mediocris? Procul dubio ad hoc consideranda est regula Hippocratis 2. de fracturis 57. vbi dicit, quod perspicuum sit, sicut ea, quæ parum prolapsa sunt diligentia minori indigere, ita quæ amplius excessere, & victum, & reliqua omnia exactiora requirere, quibus corpus attenuatur. Supponamus itaq; difficilem esse luxationem cum dolore vehementi, & etiam cum inflammatione, in hoc exquisitissimo victu & tenui vtendum est, vt solo oxycrato vel mulsa, vel alica, & hoc modo etiam fiet, si non adsit febris vsque ad tertiam diem, vt dicit Celsus. Quod si influxionibus adsit febris, vsq; ad tertium diem sine cibo seruetur æger, non tamen simpliciter intelligendum est sine cibo, atque penitus, sed tenuissimo victu. Si autem mediocris sit luxatio, mediocris itidem sit victus, quæ 1. de fract. 45. subuulgaris dicitur, vt est beta cocta, malua atriplex, cucurbita & similia, quæ parum nutriunt & refrigerant, & aluum etiam subducunt. Et his nos vti debere docet Hippocrates 4. de artic. 65. vsq; ad septimam diem, quia illuc vsq; proponitur terminus inflammationis. Et si cautiores esse vultis, vsque ad nonam & decimam vti possetis, vt dicit idem Hippocrates. Post autem plenior cibus exhiberi potest, vt vinum & carnes, in quo notat Auicennas, vt exhibeamus cibos facientes ad articuli firmationem & permanentiam. Et hæc sunt in communi vsu, videlicet extrema animantium & neruosa, vt pedes vitulorum capitaq; ipsorũ, vinum crassum, austerum etiam exhiberi potest, sed post decimum diem, sensim tamen ac sensim, ad hæc venientes & ascendentes.

Quies conueniens post positionem.

Obseruanda circa quietem.

Inflammationis prohibitio per rationem victus.

Victus subuulgaris differentia qua sit.

Somnus & vigilia.

Succedit somnius & vigilia, quæ moderatiora sint.

Aer.

Ambiens non sit præter modum calidum, neq; frigidum, vnde ęstate frigida, hyeme vero tepida sint loca. Sicut enim frigiditate frigent extremæ partes, & dolor fit: ita caliditate calescunt viscera, & succedit inflammatio.. Animi motus sint mediocres, quia agunt maxime, vt inflammationes succedant: calefaciunt enim humores, ideo spondeat Medicus semper citam sanationem ægro, vt hilari sit animo, & facilem promittat ipsi restitutionem, si forte primo non sit recte facta.

Animi motus.

Venus.

Venerea præter modum fugienda, quoniam maxime nocent tum calefactione, tum motu, & frigefactione etiam.

An in simplici luxatione secanda sit vena.

Euacuatio succedit, quæ est per sanguinis missionem, & per pharmacum: at in simplici luxatione est ne secanda vena? Nulli meminere de hac, nec Hippocrates, nec Galenus, nec Celsus, solus Albucasis libro suo chirurgico dicit, quod si adsit inflammatio, secanda est vena: sed hoc non facit ad nostrum propositum: quia non hoc supponimus nũc adesse: & hoc in omni inflammatione est faciendum. Sed quærimus modo, an in luxatione simplici sit secanda vena, vnde dico ego, quod si luxatio sit in articulo alicuius momenti, & difficulter facta sit repositio, tunc secanda est vena: quia primo hoc indicatur: nam magnum quid agimus, difficulter enim & cum dolore restitutus est articulus, morbus etiã magnus est, cum potissimum timeamus inflammationem successuram ab humore fluente sanguineo, ideo secanda est vena post repositionem statim, & quamuis hoc non sit ex proposito dictum à Galeno, dictum est tamen per accidẽs ab eodem in 4. de vict. rat. in acut: vbi dicit, quod etsi non adsit plenitudo sanguinis, tamen in omni luxatione secandam venam dicit, ne dolor faciat inflammationem ex defluxu humoris sanguinei. Si igitur fuerit digitus luxatus, leuiterq; restituatur, & sine dolore non secabitur: sin contra acciderit, vt scil: si fiat dolor maximus, & difficilis restitutio secetur, & hoc in omnibus luxationibus, in quibus hæc adsunt, præmisso tamen clystere: vena autem secanda venit ex opposito, vel superior, vel inferior, secundum rectitudinem tamen.

Euacuatio per pharmacum.

Succedit euacuatio per pharmacum, quæ probatur ab Hippocrate 4. de artic. 31. vbi dicit, quod si sit luxatio, & cutis frangatur, & os denudatum remaneat, vel restituamus, vel non exhiberi debet Elleborum timentes conuulsionem, quia multum patiuntur nerui, & conuulsio ipsa facile succedit, & etiam mors, vt habetur 2. de fracturis 37. vnde qui cadit ex alto, & os calcis luxatur, purgat per superiora Hippocrates Elleboro, timens gangrænam & conuulsionem, quare in his duobus casibus tantum expurgat Hippocrates per superiora, alibi autem non meminit Hippocrates neque Galenus, neque Celsus: quare colligo ego ex his locis non esse exhibendum pharmacum, nisi in magnis luxationibus, vbi sit periculum conuulsionis vel gangrenæ, secus non, & hoc ita ego sentio, sed tamen secandam venam dico, quia in leuioribus vel mediocribus luxationibus non timemus gangrænam, nec conuulsiones: ideo in his non debet exhiberi pharmacum purgans. In violentissimis autem exhiberem, non tamen veratrum album, quia non est in vsu, nec vidi vnquam exhibitum, nisi à mulierculis, in incantamentis earum, vnde postea multa mala succedunt symptomata. Bene verum est, quod Galenus exhibet ipsum cum radicula, & facilis est modus exhibendi. Hippocrates autem non docet modum. Galenus vero radices Ellebori nigri in radicula imponit, & permittit in aceto per noctem, postea radices illas comedendas exhibet.

Pharmacũ quibus luxationibus conueniat.

Dubium de exhibitione Ellebori.

Sed hæc nimis facilis est ratio: in periculosa itaque deuenire potest's & debetis ad scammoneata varia atque plurima ab autoribus descripta: attamen lenientia mihi magis probantur, ac maxime laudo cum immineat conuulsio violenta: & hæc facienda sunt prima die: secunda die quiescat æger, & conseruet hanc victus rationem, nisi aliud quid accidat.

De tractatione loci affecti per manualem operationem & lotiones, & de signis vlcerum sub fasciis latentium.

CAP. VII.

QVænam sint agenda pro inflãmatione arcenda, & per victum, & per alias res non naturales, & per sectionem venę, & per pharmacum, in pręcedenti capite diximus, in fine cuius his verbis vsi sumus, quod in prima die illa dicta sint facienda, in secunda a. quiescat æger, & obseruet victus rationem iam positam, nisi aliud contingat, & accidat: sed quænam illud est, quod accidere potest? hoc est, vt si casu tumor durus appareat in extremis partibus, quia constringentes ligaturas indicat, ideo dissoluere ligamenta oportet & reli-

religare, tumorique & membro aquam tepidam, cum oleo mixtam inspergere, & hoc pluribus de causis: primo vt reuocemus calorem in partem strictam, ne refrigeretur pars ipsa, & sic succedat gangræna, secundo, vt mitigetur omnis dolor, tertio, vt impediamus inflammationem in parte tumente, quarto, vt discutiamus materiam collectam in tumore illo, postea recte religabimus, vt supra dictum est, sed laxior fiat deligatio. Si autem accidat, vt non succedat nec bonus, nec malus tumor, signum est potius malæ deligationis, quia laxa fit, non tamen est dissoluenda, nec religanda, sed ita permittenda in tertium diem, quia tertio quoque die est religandum; tertio autem die resoluemus, & iterum aquam putam calidam affundemus pluribus de causis; primo quia talis perfusio mitigat dolorem, qui excitatur in dissoluendas fascias, vt qui remansit etiam post primam ligaturam: Secundo discutit omnes humores illos serosos, si qui remansere impressi ex ligatura: tertio soluit pruriginem, quæ solet fieri in deligationibus, quia eleuantur vapores, & excitantur à ligatura, qui postea non possunt educi, quia munita est cutis, & veluti obturati meatus, & porositates ipsius, vt vapores ipsi non possint exire, & ideo faciunt pruritus maximos, qui tolluntur ab illa aqua tepida, quia laxat cutim: addatis quartam causam, vt scilicet roborentur ligamenta, quia calida valde aqua siccat ligamenta, & ipsa robusta reddit.

Notate tamen vnum ex Galeno 1. de fracturis 38. & 40. quod aliquando nos deducit ad deligationem vsque in quartam & quintam diem, quod etiam se fecisse dicit Galenus, & ponit indicationes, seu conditiones, quæ hoc indicant; quarum prima est, si sit hyems, & aer frigidus, quia noctis ambiens frigidus est; præterea quia eo tempore non tam facile humores & articuli, & ideo producuntur omnes actiones naturæ, vnde Hippocrates dicit, quod tempore hyemis expectandæ sint inflammationes vsque ad quartam diem, æstate autem vsque ad septimam tantum. Secunda conditio, si sit corpus durum, robustum & rusticum, quia corpora ista non tam facile patiuntur purgationes: non enim abundant tenuioribus humoribus. Tertia conditio est, si corpus sit assuetum quotidianæ ablutioni, vt antiquus mos erat: in his enim tertio die dissoluendum est, quia diutius ligationem non perferrent; si autem non sint assueta, in quintum produci possunt. Nostro autem tempore in omnibus viris ferme, vel robustis corporibus maxime, si sint in frigidiori aere, vel medriocri, soleo ego ad quartam, vel quintam etiam producere. Si autem sit æstas, mulier vel delicatum corpus, tertio die resoluo. Facta autem hac deligatione, aquæ affusione iterum inungendum membrum erit, deligandumq; , vt supra: sed obseruandum est Hippocratis præceptum, vt si prima ligatura non fuit dolorosa, vt supra vnum notat Celsus, vt fasciæ numero augeantur: Primæ enim erant duæ, & secundæ duę; at in his casibus tres sint vltimæ fasciæ: & quamuis has non enumeret Hippocrates, attamen ipse augendas esse affirmat, de fract. 4. Notandum est tamen, quod non adsit inflammatio, quia tunc duæ tantum accipiantur, quarta die quiescat, quinta resoluatur, vt supra, religeturque vt supra, & fasciæ sint quatuor extimæ. At notandum, quod Hippocrates vult, quod in eodem consistamus numero, Galenus autem interpres huius loci dicit, quod consistendum est, si adsit quid inflammationis: sed si non adsit ex toto inflammatio, quatuor erunt exteriores, & ita sex erunt numero fasciæ. Si autem quid doloris adsit, & inflammatio in septimam diem vsq; , bis vti, quartam dimittemus, & iis tribus vna agemus: sexta quiescat, septima religetur: & quia septima dies est primus terminus inflammationis, in hac in primo religabimus atq; affundemus, & inungemus vt supra, sed fortioribus agemus medicamentis, quæ glutinent & roborent chordas, & ligamenta laxata, quibus prius non vtebamur ratione inflammationis, quare adstringens & siccans imponemus medicamentum, quorum varia proponuntur ab autoribus: ego tamē aliqua tantum proponam, inter quæ primū est illud, quod lib. 2. de comp. med. per gen. c. 8. proponitur medicamentum moschionis dictum, & optimum est, aliud est lib. 5. de comp. medic. per gen. cap. 5. Emplastrum Icesii dictum, quod à me non describitur, quia à vobis ipsis ibi potest inspici: notate tamen, quod in eo inuenietis terram ampelitidis, quam inuenietis apud illos, qui vendunt colores, vocaturq; terra nigra, & est bituminosa, & vera terra ampelitis.

In quibus casibus prætrahenda sit dissolutio ligaturæ.

Notandum est etiam, quod cum non habetis bitumen iudaicum in medicamentis, loco huius ponere non debetis pisaphaltum, vt faciunt aliqui, quia nimis acre est, & suo acri odore cognoscitur, sed loco eius ponatis hanc terram, loco autem aluminis scissilis ponatis alumen rochæ combustum: loco chalcitidis vitriolum semitostum: & ceratum barbarum mea quidem sententia poterit cum his omnibus conferri. Quarto & vltimo sacrū est præstantissimum, ex his itaque imponatis aliquod septima die. Quod si cautiores esse vultis, cum septima dies sit terminus primus futuræ inflammationis, transeatis vsq; ad no-

Notandum circa Emplastrū Icesii dictum.

Terra ampelitis.

nam, in qua facta solutione fasciarum, abluto membro per aquam affusam calidam medicamentum immutabimus, & eodem modo ligabitis, vt supra, inter quæ medicamenta primum erat vniens, & consolidans solutiones in ligamentis, & articulis factas: solidandæ enim & vniendæ sunt partes solutæ: hoc autem varium est, vt diximus, vel enim erat moschionis vel Icesii, vel barbarum, vel sacrum, quæ tamen dura nõ sunt imponenda, sed cerato aliquo dissoluta, vt myrtino vel rosaceo. Proportio autem talis sit, vt ad vnam Emplastri partem addantur duæ vel tres cerati, prout duriora, vel molliora erunt corpora, post inunctiones etiam ligabitis, vt supra.

Quatuor autem apponetis fascias exteriores contrarias, quæ deuoluetis, vt membrum in eodem seruetur loco, vnde in mollioribus corporibus capietis partem vnam emplastri vel cerati, in durioribus non duas tantum cerati, sed aduertendum, quod cum hoc apponetis, prius tamen fricabitis optime membra, quia vt dicit Hippocrates primo de articulis tertio, articuli sunt fricandi, quia frictio laxat & indurat: laxat mollis frictio, indurat autem maxima, quare maxime fricandus est articulus, non tamen vt doleat. Post hoc præterea mouendus est articulus, antea autem immobilem seruabitis articulum, nunc autem leui motu mouendus est: hoc enim modo, si quis est humor collectus, eliditur, & ad latera truditur, nec ligare poterit articulum. Præterea motu hoc incalescit articulus, quo materia illa discuti potest, quia dissoluetis primum, postea inungetis, tertio fricabitis, quarto mouebitis, post deligabitis fasciis, vt dictum est: arctior autem fiat deligatio, non tamen sit dolorosa.

Nunc autem noscendum est, quousque consolidandus sit articulus, quia ab hoc die vsque ad consolidationem non est soluendus: vnde termini huius sunt ponendi: & in hoc video tres gradus articulorum: primo enim sunt faciliores articuli luxati, secundo mediocres, tertio, qui sunt maximi momenti, & difficiles ad luxationem: tres itaque pariter sunt termini, primus est decimusquartus, secundus vigesimus, tertius autem quadragesimus dies, vnde dicit Hippocrates 4. de art. 64. vel 65. digitorum articuli decimũquartum diem habent, pro termino suæ integritatis, & consolidationis: quare à septima vel nona die vsq; ad hunc terminum quatuor dierum non dissoluetis.

Termini consolidationis articulorum.

Secundus autem terminus constituitur 2. de fract. 11. articuli ossium pedis præter eum, quo iungitur pes cum tibia, viginti dierum enim spatio ei adiungũtur, & consolidantur, addatis vos ossa manus eadem proportione.

Tertius terminus est quadragesimus dies, terminus scilicet consolidationis articulorum magni momenti, vt manus cum cubito, humeri, coxæ & pedis cum tibia: Hi enim ad quadragesimum diem ascendunt, vt secundo de fracturis 15. textu & 58. habetur, vbi vult Hippocrates, quod articulus tibiæ cum pede quadraginta dierum spatio restituatur, quod etiam vult Paulus. Sic de genu & coxa quoque est dicendum: in his enim non est soluendum vsque ad quadragesimum diem, nisi aliqua superueniant, quæ impediant, vt si adesset pruritus maximus, qui solet aliquando succedere: debetis enim hoc scire, quod hoc perpetuum non est post nonam, vti in primis illis diebus ex primo de fracturis quadragesimo primo, quia in illo principio plurimæ humiditates continentur in illo membro siue articulo, quæ fluentes faciunt pruritum, quæ humiditates post nonam non adsunt, vnde post nonam non fit pruritus, vt plurimum: Si tamen adest, non est producenda deligatio vsque ad propositum terminum, sed tertia quaque die est deligandum, in hoc autem, vt supra dictum est, conficiemus, dissoluendo scilicet, affundendo, mouendo, inungendo & deligando. Secunda conditio est, quia quandoq; suboriuntur vlcuscula, quæ quandoque scimus per signa, vt per humiditates, quas videmus collectas in fasciis: hæc autem si sint, vel suspicemur adesse, fasciæ sunt soluendæ, & inungenda seu medicanda vlcera, & iterum deligandum. Tertia conditio est, si timemus, ne nimis cito crescat porus, vel callus osseus, quia sunt aliqui articuli, qui semper bene se habent, & non adest inflammatio, & nihilominus concrescunt per se optime: aliqui vero sunt contra, in quibus materia, quæ concrescens facit callum, vt in cubito: testis est Celsus libro octauo, capite vigesimo secundo, & Hippocrates tertio de fracturis sexagesimo tertio. In hoc autem casu, cum materia adest, quam timemus, ne crescat, religetur articulus: in hac autem religatione non est postea persistendum aut permittendum vsque in proprium terminum, sed sæpissime monet Celsus aperire, & aqua copiosissima tepida perfundere, vt tertia quaq; die, vt resoluatur materia illa. Nec hoc satis est, sed monet, vt oleo cũ sale vel nitro mixto fricemus articulum, inungamus & fricemus: sic enim attenuatur materia illa, & ad cutim trahitur. Hoc facto sacrum emplastrum imponatis dissolutum chamomelino cerato, vel myrtino, vel masticino. cum peruenerit dictus terminus, ex sententia

Terminus consolidationis, à quibus impeditur.

Vlcusculorũ sub fasciis latentium signa.

Hippocratis, & omnium aliorum aperienda est deligatio, abluendus locus mediocri aqua non multa, vt potius aliquid trahat ad locum, & laxetur quam discutiatur: & ratio est, quia in his deligationibus membrorum internis solent attenuari, & demutari membra subsequentibus diebus, licet in principio videantur intumescere. Vnde si quærat quis, an opus sit, vt membrum nutriatur maxime per se, dico, quod non est necessarium; vt præcipitetur alimentum copiosum, & faciat tumorem: Ideo iterum deligabitis fasciis laxioribus, quæ impediant præcipitem transitum alimenti, non ita tamen, vt impediant operationes; tertia die religabimus, & paucioribus fasciis vsq; ad aliam tertiam diem, in qua penitus sunt abiiciendæ, & satis frictionibus moderatis vtendum, reuocandumq; membrum ad consueta munia, sensim tamen hoc est faciendum, & hæc de simplici luxatione curanda cum præseruatione ab inflammatione dicta sunto.

De Luxatione cum inflammatione vel ante vel post restitutionem.

Cap VIII.

Accidit multoties, vt in luxatione reperiatur etiam inflammatio, & etiam antequam Medicus manum apponere possit luxationi restituendæ, vel post restitutionē intumeat articulus, & partes circumpositæ, fluorq; succedat. Si inflammatio succedat ante restitutionem, duæ sunt indicationes, altera luxationis, & altera inflammationis. Sed quia magis vrget inflammatio, illi prius est attendendum: nam si prius rentaretur restitutio, procul dubio sequeretur conuulsio vel gangræna, & inde mors: causa autem, quia succedat conuulsione in extensione existente inflammatione, docetur à Galeno, quia musculi tenduntur ab inflammatione: ideo si tentatur restitutio, duplex fit extensio, & ex restitutione, & ex inflammatione, & sic fiet conuulsio, quam non poterit æger sufferre. Primo itaque attendendum est inflammationi, ad quod primum requiritur, vt optime collocemus partem affectam, in situ, scilicet non doloroso, vel suspendemus eodem modo, & ea arte, vt dolorē vitemus, vel subiiciatur aliquid parti affectæ, quod accipiat irrigationes, vt corium vel plumaceolum seu quid simile, quod partem commode sustinere possit. *An præsente inflammatione tentanda sit restitutio.*

Statim deinde secabitur vena lenita tamen prius aluo, etiamsi non adsit plenitudo, modo vires consentiant, & ætas. Secta vena, si corpus purgatione indigeat, purgabitur & potissimum si sit in parte dolorosa, & maximi momenti, & si adsint cætera. Notandum tamen est, quod quamuis caleaneo conuulso Hippocrates medicamentum purgans in principio exhibebat, tamen Galenus aliquid attenuans potius exhiberi vult, vnde secunda & tertia die aliquid ex oxymelite vel melle rosato, vel decocto attenuante debetis exhibere. Post medicamentum purgans, si tamen adsit aliquid, quod illud requirat, quia aliter ego maxime abhorreo ab hoc, quia motum maximum facit in corpore & dolores. His ita constitutis habetis rationem victus attenuantem ratione paucitatis cibi solis sorbitionibus, vt ille qui constat ex alica vel ptisana. Postea his recte constitutis, & cæteris non naturalibus bene dispositis, medicamentum apponendum est parti, quod erit ex aqua & oleo, hydroeleon scilicet & partibus affectis apponatur. Hac enim ratione aqua calenti dolor mitigabitur, & aliquæ materiæ discutientur, & laxabuntur partes: Oleo autem rosato adstringentur partes, & roborabuntur; per succidas lanas etiā mitigabitur dolor, & adstringetur locus, & inflammatio prohibetur, & his ter vel quater in die vtamini, vel puro etiam potestis vti oleo communi, vel rosaceo cum lanis illis succidis. Aluus clysteribus laxa & aperta seruabitur. Interea dum cœpit inflammatio cessare, si humores collecti duriores fiunt, dum hoc fit, impedire debemus, ne indurentur, sed sensim discutiantur materiæ. Monet autem Auicennas & Albucasis, vt tunc in declinatione inflammationis inungamus partes loco eorum, quæ dicta sunt, decocto ex maluis & althea, fœnugræco, & seminibus lini cum oleo communi dulci, vel oleo amygd. dul. & hoc infundamus inflammationi ipsi. Præterea debemus vti aliqua frictione, quia agitare non possumus locum, hac enim discutiemus materias illas. Post hæc nobis imponendum est super locum affectum emolliens, & discutiens medicamentum, quale est illud, quod est descriptum lib. 8. de compos. med. sec. loc. cap. 5. sub nomine malagmatis, & aliud etiam eodem capite descriptum, quod Nilei malagma dicitur, quoniam hæc præstantissima sunt medicamenta, inclinante inflammatione; nam ceram, oleum, ammoniacum, crocum & acetum continet, quibus nil præstantius. Hæc autem cerato dissoluetis, vt chamomelino, masttichino vel picato, & hoc apponetis vel splenio, vel alii, vel vti potestis aliis, quę in officinis habentur, vt quod dicitur oxycroceum Nicolai, quod emollit, discutit, & vim habet attrahentem ex alto, vt si qua sint in profundo, illa adducat ad cutim, & discutiat. Hoc etiam dissolua- *Vena sectio, Purgatio.* *Malagma ex optimis en Galeno declinante inflammatione.* *Oxycroceum Nicolai quibus conueniat.*

tur cum cerato aliquo; & optimum est, si vtamini declinantibus inflammationibus, pessimum tamen est in aliis luxationibus & fracturis, quo tamen semper vtuntur isti mali restauratores tanquam bracca communi. Superata autem inflammatione, extendatis membrum, & reponatis articulum, quod eodem fiet modo, vt dictum est in simplici. Si autem succedat inflammatio iam restituto membro: quod fit crebro, tum ratione extensionis violente, tum aliorum, hic statim dissoluenda est deligatio, & membrum liberandum à deligatione, etiamsi sit tantum secunda dies vel prima, & vt laxior fiat deligatio, perfundatis, posteaquam deligationem dissolueritis, membrum ipsum copiosa aqua, & oleo præsertim rosato tepidissimo, donec iuuamen ex hoc persentiat æger, & cerato dicto post illinitus, postea laxum ligetur membrum, & paucioribus fasciis. Prætera affundetis fascias hydrœleo rosato: Tertio frequentius dissoluetis, & affundatis hidrœleo: in hoc enim non excedetis tertiam vel quintam: etiamsi hoc quotidie fieret, non esset nocuum. Celsus monet imponi lanam succidam, ex aceto vsq; ad quintum diem, quia mitigat, roborat, repellit, & inflammationem prohibet: & hoc potissimum, si corpus sit robustum, & potest vim ex aceto perferre: tunc enim hoc maxime laudo, & præsertim in principio inflammationis: at si illa non adsint, & simul in principio inflammationis, & corpus sit molle, non laudo.

Si inflammatio succedat post restitutionem

Ceratum cyprinum cum nitro.

Transacta quinta, Celsus imponit ceratum cyttinum factum cum nitro, nitrum imponens, quia transacta quinta sumus in declinatione: hoc enim discutit humores: sed ego hydrœleum affundo solum vsq; ad declinationem in imbecillioribus, post quam quidem Celsi medicamento vti possumus, sed etiam regula Hippocratis simplici aqua purissima, copiosa prius infusa, & frictionibus, & vt moueamus membrum, vt supra dictum est: poteritis etiam oleo cum sale, vel nitro vti. Ablata inflammatione vtamini illa ratione dicta in simplici luxatione.

De luxatione cum osse erumpente extra cutim.
CAP. IX.

SI luxatur articulus cum fractura ossis agendum est aliquid: sed quoniam hoc magis pertinere videtur ad tractationem de fracturis, ideo cũ de fracturis agam, de hac specie luxationis optime pertractabo. Si autem cum luxatione os detrudatur extra cutim, affectus est lethalis, & maioris periculi, si curetur ac restituatur, quam si non curetur. Si enim non curemus eum, vt verbi gratia, si in cubito promineat os cubiti extra cutim, periculum est, ne superueniente inflammatione fiat conuulsio, & mors sequatur: non tamen semper fit; aliquando tamen succedit, imo & frequentius, vt 4. de artic. 28. & 29. Secundo, si non restituatur, aderit turpitudo semper ipsius membri: istæ tamen luxationes raræ sunt. Tertio solet relinqui in parte affecta vlcus insanabile. Quarto si cicatrix obducatur, ita mollis est, vt leui de causa excidat, & remouet vlcus, & sic varia incommoda succedunt, si non restituantur articuli. Si autem restituantur, dicit Hippocrates 4. de artic. 16. 17. & 18. & Galenus cum eo, & Paulus libro septimo, quod maior pars moritur, quia in his adest vehementissima conuulsio, quandoque in ipsa restitutione, ad quam sequitur mors, vel saltem succedit gangræna membrum: hæc autem quamuis ita se habeant, attamen authores distinguunt inter articulos, quia licet in omnibus adsit difficultas, non tamen eodem modo succedit omnibus, quoniam aliqui non sunt maximi momenti, quia non habent neruos magnos, nec magna vasa, & ideo nõ sunt valde difficiles, vt sunt illæ digitorum. Illi autem, qui habent magnas venas, & arterias, & ligamenta, semper habent periculum & difficultatem. Hac diuisione facta proponitur articulus huiusmodi luxatus, si non sit momenti maximi restituatur, quia Hippocrates restituit articulos pedis, & manus etiam. Addit Celsus, quod hæc intelligimus quo ad ossa prima & secunda manus, non autem quo ad tertia, prædicendum est tamen periculum & conuulsio, non tamen erit necessaria. In reliquis omnibus articulis, cauete à restitutione, vt in carpo, cubito, humero, talo, genu & femore. Dicet autem aliquis, quod Celsus libro octauo capite tertio dicit, quod aliqui restituti sunt, quin imo Paulus libro sexto capite penultimo dicit, quod si præsto possumus adesse ante inflammationem, debemus tentare restitutionem, & in omnibus aliis: quia si post restitutionem fiat conuulsio, iterũ debemus luxare, dummodo hoc commode fieri potest, quia si incommode fiat, non debet tentari hæc restitutio: sed quia raro euenit, quod non accidat conuulsio in his, quia conuelluntur chordæ, ideo ego moneo ex Hipp. vt non tentemus restitutionem in illis, nisi vrgeamur ab astantibus, qui, cum dixerimus illis, non posse ægrum vnquam in futurum vti membro illo, vo-

An curari debeat hic affectus necne.

Obiectio.

lunt

ſunt membrum reſtitui, tunc reſtituatis cum prędictione, vt monet Paulus & Celſus, quoniam hoc modo Medicus non videtur ignorare curationem, ſed maxime callere praxin & methodum. In his autem, quos non reſtituemus naturaliter, attamen collocabimus ſine extenſione & deligatione membrum, ea ratione, vt cubans non ſentiat dolorem, vt dicit Celſus, ſemper tamen eodem modo collocanda eſt pars, vt immobilis maneat, coriumq; habeat ſuppoſitum ad ſuſcipiendas rigationes. Facto hoc veniamus ad medicamenta indicata ab iſtis ſcopis, quorum primus eſt mitigatio doloris, & conuulſionis prohibitio pro ſecundo ſcopo: primo itaq; ceratum ſpicatum eſt imponendum atq; tepidum, vt ait Hippocrates 4. de artic. 6. quandoquidem frigus in his affectibus conuulſionem prouocat. Ceratum autem picatum ſimplex imponitur, quia vt dicit Gal. 3. de fract. 3. mitigat dolores, pus mouet & concoquit. Modus autem imponendi, eſt per ſplenium madidum vino non admodum frigido, neq; etiam nimis calido.

Non reſtituti quomodo collocandi.

De Luxatione cum detectione oſſis, quia vlcerata vel vulnerata ſit caro & partium circumpoſitarum tractatio.

CAP. X.

SVccedit luxatio cum vulnere carnis oſſi ſuperpoſitæ, quando ſcilicet luxatur os, & ſtangit partes & ligamenta, ita vt os ipſum detegatur: & eſt morbus compoſitus in mutatione ſitus oſſis, & vlcere, ratione cuius detegitur os ipſum: quod genus affectus, vt ſupra dicebamus, periculoſum eſt, ſi reſtituatur, & etiam ſi non reſtituatur: ſi enim reſtituitur, maximum eſt conuulſionis periculum & gangrænæ, ad quam mors ſuccedit: ſi vero non reſtituatur articulus, ſitque alicuius momenti affectus, periculum eſt etiam mortis, vt dicit Hippocrates 4. de artic. 28. & 29. vel inſanabile redditur vlcus, & ſi vlcus ipſum obducatur cicatrice, ita leuis atque tenuis eſt cicatrix, vt leuiter ac minima quaque de cauſa, iterum rumpatur, vlterius adeſt ſemper membri turpitudo, ideo diligentes requirit Medicos. Cum itaq; tanta ſit difficultas, obſeruandum eſt, quod non omnes articuli detecti ſunt vnius generis, ſed ſcriptores normam dant, dicuntque quod aliqui articuli ſunt viſceribus magnis propinqui, & venas & arterias habent coniunctas, & ſic ſunt periculoſi, nam in inguine, cubito & humero, ſi luxaretur articulus cum detectione oſſis, vt ait Galenus, Celſus, Hippocrates, & omnes alii, eſt magis periculoſa luxatio, quam aliæ longinquiores, vt digitorum pedis & manus.

Qui articuli reſtituendi ſint & qui non.

Hac itaque ſtante diuiſione proponitur articulus luxatus, cum detectione oſſis, quod tamen non promineat, ſed tantum detegatur. Haliabbas dicit, quod ſi tales articuli ſint digitorum manus, & Celſus addit etiam pedum, poſſunt reſtitui, ſed cum prædictione & præfatione, quod periculoſus ſit affectus, quia ſcilicet poſſit ſuccedere conuulſio. In aliis autem articulis circa manus, cubitum, humerum, & genu monet Hippocrates deſiſtendum eſſe ab horum reſtitutione, licet Celſus libro octauo capite trigeſimo aliquos dicat fuiſſe reſtitutos, & etiam Paulus monet, vt reſtituantur, ſed dicit, quod ſi ante inflammationem adſumus, reſtituamus audacter, quia ſi poſtea ſuccedat conuulſio, vel quid aliud momenti, iterum luxare poſſumus, & omnia ceſſabunt, quod ſi non facile ſperemus luxationem futuram, deſiſtamus. Sed ego ſemper dico deſiſtendum eſſe à reſtitutione horum articulorum, vel ante vel poſt inflammationem. Sed quid debemus agere? Circa totum corpus verſari debemus per capita vniuerſalia ſiue communia. Sed quo ad locum affectum, omnem extenſionem & deligationem omittemus, etſi Hippocrates dicat, quod in aliquibus conueniat quandoque deligatio, aliquando tamen cum non ponat rationem, & raro ex hoc ſanari contingat, ideo non deligabitis, ſed in lecto maneat æger cubans ita, vt dolorem non ſentiat, corium parti affectæ ſupponatur, ob irrigationes humorum infundendorum, vel ſaltem loco huius membraneas chartas. Hoc facto proponitur ſcopus, vt curemus luxationem & vlcus, ſed primo periculum conuulſionis & inflammationis eſt tollendum, & vlcus tunc negligendum, & luxatio; vnde Hippocrates ſemper habuit oculos intentos, vt impediretur & inflammatio & conuulſio: quare medicamenta ſint lenientia, concoquentia & adſtringentia: vnde primo ponetis ceratum picatum tepidum ſuper vlcus, & ratio eſt ex 1. de artic. 21. quia calidum nimis attrahit, frigidum vero conuulſionem prouocat.

Quando iterum luxare conueniat.

Sententia propria.

Cur autem non imponamus illud commune album, Galenus monet reddens cauſam 3. de fractutis 3. quia in cerato picato adeſt oleũ & cera, quæ concoquunt & leniunt, quoniam pix concoquit, & ſiccat, quæ omnia quam optime conueniunt in hoc caſu. Ceratum autem tepidum eſt imponendum ſuper ſplenium vinoſum, vt inde

inflammatio prohibeatur: vinum enim austerum repellit, & adstringit, vt dicit Galenus 4. de artic. nigrum autem sit, sed non mordicans, non admodum calidum nec frigidum, dicit Hippocrates, quia calidum attraheret, & inflammationem faceret, frigidum autem conuulsionem pareret. Tecto hoc medicamento vlcere, habenda est postea ratio partium circumpositarū, ne inflammentur: hinc Hippocrates duo respicit, primum ne fluat humor; sed quia fieri non potest, quin aliquid effluxerit, illud discutit, ponens medicamentum, quod digerat moderate, siccet, repellat, atque refrigeret, & ideo capit ipse folia tussilaginis, & betæ, & coquit in vino austero ad dimidium coctionis illorum, & hæc ponit in partibus illis; sed quia Hippocrates addit hæc verba, *vel quid simile*, ideo quærendum est, quid loco huius possit apponi, viridia capit folia, quia tunc siccant, & digerunt moderate, sicca magis sunt acria ex lib. de simpl. medicam. facult. cap. propr. quia viridia habent humiditatem sibi coniunctam: folia betarum etiam nitrosam habent facultatem, viridia sed sicca nimis hoc faciunt, vino autem vtitur austero, vt frigidum, & repellens faciat medicamentum, semicocta autem imponit primo ob commoditatem medicamenti, ne conficiat emplastrum: semicocta enim sunt tractabiliora: quia si plene cocta sint, sunt contundenda, & faciendum emplastrum: secundo quia vt non ex tota substantia sua illam amittat, quia cocta vim tantum terrestrem, & facultatem illam acciperent, & vim vini adstringentem, ideo semicocta sumit, vel alia loco illorum, vt sunt brassicæ folia semicocta cum vino austero conuenienti, folia etiam hederæ, vel folia vitium albarum, vel nigratum eodem modo coctarum. Aliquando ego facio emplastrum ex iis, farinamque hordeaceam addens, mali citonii, carnes palustremque lenticulam, quam coquo cum vino austero, & impono, vel supra picatum illud ceratum; succidam lanam; vino austero madentem pono.

Partium circumpositarum tractatio.

Sed quoniam quandoque non potui habere ceratum picatum, nec folia illa, ideo ad alia deueni laudata ab Hippocrate, qui dicit, quod supra vlcus aliquod medicamentum, quod ponitur cruentis vulneribus, ponamus, quorum infinita habemus in Gal. lib. 2. de compositione medicamentorum per gen. & à Paulo Aetio, & aliis, quę etiam alias à me dicta fuere. Sed notandum, quod in vsu horum medicamentorum aliqua præcepta sunt obseruanda, & potissimum quatuor: vnde quo ad primum præceptum aduertendum est; quod cum ista medicamenta sint siccantia, oportet, vt non multum siccent, ne contrahāt partes, & conuulsionem inde faciant: ideo in hoc casu non conuenit illud dictum medicamentum, quamuis cruentis vulneribus conueniat, vt dicit Galenus 4. de artic. 26. & Hipp. 3. de fract. 23.

Præcepta circa applicationē medicamentorum.

Secundum præceptum, vt medicamentum hoc diu perduret, & non facile dissoluatur, quare gummata habeat, atq; metallica robusta recipiat & resinas, vt vis illorum diu duret, quia quotidie non est aperiendus & detegendus locus. Tertium præceptum proponitur ab Hippocrate 3. de fract. 23. vt cum nutriantur irrigatione, nam sciendum est aliqua reperiri medicamenta, quæ si apposita sint vulneribus, irrigataque sint, & postea diluentur, hæc talia non sunt bona, vt ea quæ abluantur ab irrigatione. Quartū præceptū est, vt sint consistentia molli, nec dura medicamenta imponantur: vnde inter hæc diuinum est illud medicamentum à Galeno barbarum dictum: sed quoniam durum est, emolliatur aliquo cerato molli, vel myrtino, vel rosaceo, vel simplici oleo. Quare statim collocato ægro vino imbutum linteolum medicamento obductum imponetis: circa autem partes sanas lanis succidis solis vino austero imbutis vtemini: Succidis autem ego vtor ex Hipp. 4. de artic. 24. cuius rei causam Galenus etiam reddit, quoniam in lana succida primo est corpus lanæ, deinde est humiditas illa, quæ dicetur œsypus, constans duabus qualitatibus, adstringēte scilicet & digerente, & etiam calida, vt dicit Galenus, & vt ego etiam dixi in tractatu simplicium medicamentorum, in quo est maxima difficultas, quia primo videtur adesse contradictio: præterea mendacium deprehendo, quoniam lib. 6. de fac. med. nihil reperio, bene quandoque loquitur de hac, sed nihil dicit de hoc: præterea in loco proprio in 8. cap. vlt. totum oppositum dicit, & in vndecimo capite de lanis loquens nihil dicit. Contradictio autem hæc est, quoniam lib. 7. de compositione medicamentorum sec. gen. cap. 4. inter emollientia enumerat œsypum, quod scil. facultatem habeat calefacientem, & exiccantem moderate. Præterea in eodem ponit œsypum inter emollientia primi ordinis: præterea lib. 14. de meth. med. cap. 7. vbi docet modum conficiendi medicamenta varia: ad inflammationes musculorum ponit hoc inter illa, quæ concoquunt & simul adstringunt. Præterea lib. de simp. med. fac. loquens de œsypo dicit, quod hoc habet vim concoquentem, butyri scil. calefacientem & moderate siccantem. Paulus pręterea, & Aetius, & omnes qualitates illas attribuunt, sed hic 4. de artic. dicit constare adstringen-

Lana succidæ qualitas.

Difficultas de œsypo an concoquat.

ſtringenti facultate:ſi autem hoc eſt,non poteſt concoquere,nec butyri vires habere,non tamen ſcio, quomodo poteſt tolli & ſolui hæc contradictio, nam reuera maxima eſt, hoc vnum tamen ego dicerem, quod nō adſtringit,ſed concoquit & laxat, nec ratione inflammationis hunc accipit Hippo.ſed ratione conuulſionis:præterea ponitur vinum auſterum ad aſtrictionem, & quod hoc ſit verum, videatis generationem œſypi; hæc enim nihil aliud eſt quam pinguis euapotatio & pinguedo ipſa ouium, ideo habet vires pinguis ouis, hęc autem laxat,mollit,concoquit,non autem adſtringit,vnde cum Galen.tot in locis iam dictis dico eas habere vires,non autem adſtringentem, ſed dicet quis, quod habet puluerem commixtum, vnde adſtringere poteſt; ſed dico, quod modus conficiendi huius nos docet hoc eſſe falſum, quia lauatur lana, & terræ pars deſcendit: imo Dioſcorides docet adhiberi matinam aquam,vt infra trahatur puluis,& pinguedo ſola ſupernatet. Sed ſi quis replicabit,quod Dioſcorides docet inſtare œſypum,cum confectum eſt,an leuiter adſtringat,ego reſpondeo verum fatens,quod neſcio,quid per adſtrictionem ipſe intelligat, quia etiā in ſequenti capite dicit,quod pinguedo hircina adſtringit, vnde repræhenditur à Galeno, quia adſtringentem vim pro ſiccante poſuit, vnde non eſt fidendum codici illi, qui dicit in œſypo adeſſe vim adſtringentem,nec dicendum eſt,quod velit dicere œſypum adſtringere,quia poſtea addit,quod emollit,quod facere non poteſt,ſi adſtringit. *An œſypus adſtringat.*

Præterea dicit quis, œſypus laudatur in defluuio pilorum & palpebrarum: ergo eſt adſtringens: dicatis quod facit ad cauſam, quæ proponitur à Dioſcoride, vbi dicit quod œſypus valet ad pilorum generationem, cum genæ fiunt ſcabroſæ & oppilantur, ciliorū defluuio opitulatur,quia ſcil.cutis tunc eſt exiccata & obturata ita,vt excidant pili, vnde œſypus cum humida ſit, poteſt laxare & fuligines emittere: vnde colligo etiam ego, œſypum eſſe laxantem & concoquentem, vnde poteſt remittere conuulſionem. Addit ipſe poſtea vinum, vt repellens fiat medicamentum ſimul etiam, quare repellens & concoquens erit medicamentum. Lana itaque ſuccida in vino auſtero madefacta ponatur, quia partim leniens eſt & partim adſtringens medicamentum: & his vtendum eſt æſtatis tempore ſecundum Hippocratem: hyeme vero loco vini œneleo vtemur: nam præter lanas ſuccidas magis mitigatorium medicamentum requiritur, ideo ex Hippocrate oleo etiam eſt irrigandus locus: ſed aduertendum, quod hic plura obſeruanda ſunt: quorum primum eſt, vt lanæ eouſque irrigentur, donec incipiat exiccari vel incaleſcere, tunc enim iterum ſunt irrigandæ. Secundo calidiores quandoque fiant irrigationes, & hoc agendo per irrigationem cum oleo & vino vel vino ſolo. *Dioſcorid. correctio.*

Capita autem diſtinguentia materiam hanc proponit Galenus varia,& primo, ſi aer ſit frigidus, irrigatio ſit calida; ſi autem calidus, ſit frigida. Secundo ſi æger eſt adoleſcens, frigidis; ſi ſenex, calidis vtemur. Tertio ſi ſit regio calida, frigida fiat irrigatio; ſi autem frigida, calida. Quarto ſi temperatura calida & ſicca ſit, frigida ſit irrigatio; ſi autem frigida, fiat calida. Præterea conſuetudo multum facit ad hoc, vt ſi quis frigido vſus ſit aere vel aquis etiam frigidis, frigida conueniet irrigatio; contra vero, ſi calida. Alternis diebus mutabimus medicamenta, mouebimuſque omnia deterſo vlcere, & hoc vſque ad ſeptimum vel nonum diem.

Interdum autem communia capita ſunt obſeruanda. Vnde quoad victum Hippocrates 3. de fract. 12. in omnibus fracturis cum vulnere victu vtitur admodum tenui, vnde in luxatione hac multo periculoſiori etiam, quam ſint illa, vtemur tenuiore, vt etiam Celſus inquit libro octauo, capite 30. vnde ſolæ ſorbitiones ex hordeo vel pane caſo. Sed vnum notat Hippocrat. 3. de fractur. 49. dicens obſeruandum eſſe,ne etiam victus hæc noceat, quia ſi quis vellet hac ratione victus in picrocholo vti credens conferre, maxime nocebit faciens bilem: vnde non eſt ſola exhibenda hæc ſorbitio, vel aqua ſola cocta vtendū, ſed aliquid addendum, ne remaneat in hypochondriis: nam ibi manens, cauſat vt bilis maxime effrenet ac inflammationem faciat, & de hoc habetis Galenum 3. de ratione vict. in morb. acut. 40. vnde exhibeatis, vt dicit Hippocrates oxymel,ſi picrocholo auxiliemini, hoc enim eſt medicamentum, quod ſit ex melle & aceto ſimul coctis; vel capiatis fauos mellis coquendo cum aceto, dicebat etiam quod poteſt vti oxymelle & opomelle, in quo admiſcendo vnum monet Galenus, vt ſ. non ſit valde acidum, ſed dulce; vnde ſi habeamus oxyſacharū & oxymel in officinis,hæc poſſunt miſceri, Ego tamen in corporibus biilioſis hoc nō vtor, ſed potius ipſum euitando acetoſum adhibeo in talibus affectibus & corporibus, ſic.n.neruos nō petit:vel admiſceatis aliquid aquæ, quod ad penetrationē facit. Tēpus huius victus duplex deſcribitur ratione febris & inflāmationis:vnde ſi febris ceſſet, Hipp. 7. ꝓponit diē,& ſic ſi inflāmatio declinet. Poſtea procedem⁹ ad victū mediocrē, vt ſunt olera & piſces ſaxatiles & alia quę humectent atq; refrigerent. *Victus ratio.*

Si autem quarta die succedat febris hæc longa erit,& tunc victus præscribitur vsq; ad quadragesimum diem,vel donec duret febris:& hęc de victu. Curatio autem est facienda statim per sectam venam post medicamentorum applicationem. Nam si ex Galeno 4. de rat. vict. in morb. acut. in simplici luxatione secatur vena, multomagis in hac sectio est facienda,licet Hippocrates nihil dicat. Celsus enim hoc monet lib. 8. cap. 17. & 30. Itaque si consentiant vires & ætas,venam secabimus; si autem non consentiant,euacuabimus, vt dicit Hippocr. 3. de fract. 48. qui exhibet veratrum, sed veratri mollioris potionem eodem die, quo fit repositio in fracturis. Sed quoniam ibi Galenus in dubio ponit, quid per molliorem veratrum intelligat, & se id penitus ignorare fatetur,ad aliud deueniemus, vt est cassia cum confectione hamech, vel electuarium rosatum,vel diaprunum vel aliud opportunum ad curationem & euacuationem humorum calidorum. Ego autem habeo hoc peculiare,vt secem venam primo lenita aluo. De motu & quiete patet quod omnimoda esse debet. De ambiente mediocriter se habeat: Venus fugiatur, & alui excrementa clysteribus altero die sunt cienda & euacuanda, & hæc vsque ad nonam, in qua dicit Paulus, quod tentanda sit restitutio cum præfatione. Ego tamen non consentio cum Paulo, sed cum Celso & Hippocrate, qui monent, vt ad eam solam sanitatem, quæ potest haberi in hoc casu procedamus & attendamus, ideo neque post nonam est imponendus atq; restituendus articulus, sed vel consistemus in eodem medicamento vel mutabimus: & hoc fiet secundum Celsum,plagulas ponentes aridas,super quas aliquod medicamentũ ponatur non vnctuosum, siccans & reprimens; quare vel ponatis idem barbarum vel plagulas aridas, nec etiam partes sanas irrigabitis, sed loco irrigationum super vlcus & plagulas illas aridas diapalma in vino austero coctum ponemus, & hoc vsq; ad finem vtemur, id tamen aduertendo, an os squamam sit emissurum, nec ne: nam si squamari debet, alia agenda sunt. Hoc autem primo cognoscetur, quia turget os,secundo quia non est rectũ; tertio quia labia separantur, quarto quia egreditur quantitas puris. Vtitur autem Hippocrates voce quadam, *turgor ossis*, per quod dicit Galenus in comm. quod intelligat nescio quid iudicium,quod habemus ex parte,quod os expulsionẽ tentet, & ęgri in intimis partibus nescio quid sentiunt, quo intelligunt separationem aliquam tentari: cum hoc itaque adest,& etiam labia turgent,tunc sciendum est squamã emittere tentare naturam, & tunc cephalica sunt imponenda, quæ constant ex iride, peucedano, aristolochia rotunda, farina orobi & similibus, quæ faciunt ad remotionem ossis, quibus ipsum tegemus; postea ceratum barbarum ponemus, & super hoc diapalma.

Vena sectio. — Motus & quies. — Ambiens. — Venus. — Si os sit squamam emissurum. Signa. — Medicamenta ad squamationem.

De curatione luxationis articuli cum prominentia ossis. CAP. XI.

SI os non solum detectum sit, sed etiam promineat, plura sunt obseruanda pro eius recta curatione, primum enim obseruandum est, an hoc os possit restitui, secũdo an multum extet & possit deradi sine læsione neruosarum partium; tertio an aggrauet illas partes & pungat, quarto an possit à natura separari cito: nam dicit Hippocrates 3. de fract. 44. quod aliqua ossa cito, aliqua vero tarde recedunt: tarde enim recedunt ossa magna & dura; contra vero cito separantur mollia & parua. Quis autem sit terminus vtriusq; recessus, incertum est: nam dicit Hippocrates aliquando 40. esse diem, aliquando 60. aliquando 80, quo egreditur os.

Hoc stante, si os ita detectum ac prominens sit, quod possit sine periculo secari, sitque pungens, ac tale, vt à natura tarde separari possit, excitatur scalpris excisoriis duob. aduersis positis, malleoq; adacto fiat, vt cadat os ipsum, & vsq; ad carnem est excidendum, vel hoc fiat serra, vt dicit Galenus in 4. de artic. 35. in hac enim actione nullum est periculum, nisi hæc succedant, ad quæ maxime est aduertendum: primo si dum secamus os, æger in deliquium animi cadat, tunc enim maximum est vitæ periculum. Quare dum vultis agere, eo modo collocetis ægrum, ne videat actionem, quam Medicus ipse teneat. Secundo si superueniet 4. die febris: nam ex deliquio animi torpescunt ita partes, vt conuulsio sequatur; ad febrem vero sequitur inflammatio & inde mors. Quare primo incommodo per positionem ægri commodam occurremus, febri autem per bonam victus rationem & venæ sectionem. Supra vlcus barbarum vel sicca linimenta ponemus, postea cum irrigationibus & foliis illis supradictis vsq; ad septimam vtemur vel nonam, & deinde alia curandi ratione iam supradicta, & hæc de maioribus articulis luxatis cum osse detecto vel prominente. Succedunt parui articuli luxati vel pedis vel manus: hi enim quandoque luxantur, & cutim rumpunt, & ossa deteguntur. Et hic consentiunt omnes cum Hippoc. 4. de artic. 3. restituendos esse prima aut secunda die: Paulus etiam & Celsus hoc volunt,

Terminus recessus ossis prominentis. — Os quando sit excidendum & per quæ. — Excisionem impedientia. — Luxatio paruorum articulorum.

sed

sed cum præfatione faciendum; cum Hippocrates dicat, quia periculosa est conditio: Tertia autem vel quarta die nequaquã restituemus, sed potius vltra septimam, octaua scil. vel nona restitui debet. Addit tamen Hippocrates, quod si ante decimam diem restituantur, solent recte colligi hi articuli. Restituto articulo super vlcus barbarum ponemus vel aliud eiusmodi, vel aliquod cephalicum medicamẽtum, hæcq́ue sunt dicenda, vt breuissimis me expediam, pro quibus vos legatis Galenum lib. 2. de compos. med. per gen. à cap. 16. vsque ad 20. ibi enim & leuiora & robustiora tradit medicamenta cum ex mente propria, tum aliorum. In hoc itaque etiam circa articulum vel barbarum vel aliud ex dictis applicabitis, obuoluetis fasciis, vt in simplici luxatione, nec vlla est differentia: Eadem enim est applicatio fasciarum & eodem modo & iisdem spleniis. Notandum tamen est, quod in simplici luxatione magis stringendum est, in hac autem laxiores sint fasciæ & frequentior loci apertio: nam tertius dies non est prætereundus. In reliquis eadem est curatio. Sed quoniam quandoque & sæpe superuenire solent conuulsiones, in quibus casibus hæsitant Medici, sciendum est, quod dicit Hippocrates in 4. de artic. 34. quod statim articulus luxandus est iterum, copiosamq́ue aquam vel oleum tepidum superfundendum loco affecto. Sed hoc sat non est; nam etiam totum corpus calefaciendum est ita, vt etiam sudor excitetur, & omnes articuli calefiant, quia omnes consentiunt inter se. Si autem vos cautiores esse vultis, inungatis partes principes neruorum medicamento aliquo ad conuulsionem faciente, vnde illud oleum, quod balsamum dicitur à Mesue, vel ol. liliorũ alb. cum aromatib. vel itinum cum aromatibus optima sunt, his inungendo partem detectam, axillas, inguina & totam spinam ac nucham: nam his conuulsio auferetur. Hac ablata reliqua sunt apponenda iam dicta in maioribus membris luxatis cum osse detecto vel prominente.

Si conuulsio superueniat.

Olea ad conuulsionem.

Si autem succedat inflammatio, vt solet quandoque superuenire, post restitutionem, Hippocrates iubet esse bono animo, quia os decedet, & aliud vltra non erit, quare nihil est agendum, nisi frequenter locum inuises; reliqua omnia debito modo erunt facienda, bonus victus instituendus, bonaque euacuatio facienda. Si autem superueniat gangręna, hoc est maximi momenti. Solet autem superuenire vel culpa Medici vel alia ratione quæ succedit & luxatis cum vlcere & etiam sine vlcere, vt dicit Hippocr. 4. de artic. text. 31. vbi dicit: Superuenire vel ratione sanguinis extravenati & concreti, vel ratione deligationis nimis strictæ & à medicamento nimis siccante & adstringente; præterea ob ingentem inflammationem: quæ ob difficilem restitutionem vel ob summum dolorem causatur: addatis quia solent fieri conuulsiones vehementes, quæ gangrænam faciunt. Cum itaque adest gangræna, reuocanda est in memoriam curatio gangrænæ & sphaceli, quæ primo consistit in victu siccante & attenuante: secundo secetur vena, tertio vt loco huius etiam pharmacum exhibeamus, quarto vt veniamus ad rectã aliarum rerum non naturalium institutionem. Veniamus modo ad locum affectum, quoniam integram curationem tradere volo, cum sit gangræna maximi momenti. Primo itaque scarificabitur locus profundis scarificationibus in parte incipienti; postea locum lauabimus aliqua decoctione, vt ex lupinis ex lolio & ex orobo addito oxymellite vel ægyptiaco vel aceto & sale: vel fiat emplastrum ex farina lupinorum, lolii & orobi: Præterea potestis addere his supradictis trociscos illos putrefactionem impedientes. Postea ad causticum deuenien dum est: non tamen in principio venietis. Si autem totum membrum corrumpatur, nec impediri possit gangræna, recentiores & autor introductorii monent, vt in confinio partis sanę & corruptæ adactolaqueo secemus, postea curemus cum succo porri ad sistendum sanguinem, vel calcanium ipsum ponamus, & os etiam ipsum secandum dicunt. Hippocrates tamen monet aliter, gladiolo scil. omnes partes corruptas auferendas, cauendumque esse à sanis, quia causat dolorem, vnde deliquium animi maximum succedit facile, & inde est mors. Si autem totum membrum sit auferendum, secandum est membrum ipsum circa articulum, vt si luxato osse in genu gangræna succedat, emoritur tibia & pes, non est secãdum membrum hoc circa articulum, nec in parte superiore, licet aliquid sit corruptum: quia os esset secandum, & tempus nimium requireretur, ideo carnem tantum secabimus: si quid autem superest carnis corruptæ, siccantia illi applicabimus & vremus postea totum quod superest. Curationis autem scopus in bona positione membri collocatur, quæ est, vt pars inferior eleuata sit parum, vt fluxio sanguinis vitetur, dum optime purgetur vlcus & caro bona; postea in declinatione est etiam membrum locandum, deinde apponenda illa, quæ conueniunt in gangræna, dum sanatur, vel etiam quæ cephalica sunt. Sed aduertendum est, quod amputata aliqua parte symptomata & incommoda aliqua succedere solent post sanitatem, & primo sanguinis eruptiones per aliquas partes, vt per nares vel in-

Si inflãmatio succedat post restitutionem.

Si superueniat gãgræna.

Gangrænæ causæ.

Victus.

Loci affecti tractatio.

Si fiat sphacelus.

testina vel peripneumonia vel pleuritis accidunt: quia sanguis genitus ab epate non tam consumitur vt solebat. Quare tunc monemus ægrum, vt minus comedat,& vacuantibus medicamentis quandoq; vtatur per aliquot annos, vel singulo vere secetur vena, exerceatur corpus, lauetur, fricetur sæpe; vltimo lauacris vtatur aquarum digerentium & bituminosarum nitrosarumque.

De callositate superueniente luxatis articulis & impediente motum & quomodo ea sit tollenda. CAP. XII.

Solet vnum frequenter accidere,& maximi momenti, quod vt plurimum euenit, cum mali restauratores medentur luxationibus istis: hi enim ita male tractant luxationes istas, vt callus superueniat. De hoc itaque callo tractans, quo vel restitutus sit articulus, vel non sit restitutus, attamen impeditur actio & motus articuli illius, dico quod callus iste auferendus est.

Callus quotuplex. Hic autem callus duorum potest esse generum, vel scil. lapidosus vel durus: Lapidosus ille est & dicitur, quia ita durus est, vt lapidosam naturam & materiam acquirat: Durum vero illum ego voco, qui quidem durus est, non tamen ita durus, vt lapidosus. Et isti duo calli solent crescere in omnibus articulis male tractatis, & præcipue circa cubitum: vnde in hoc maxima est habenda cura, cum potissimum sæpissime & in pluribus accidat: hoc autem restatur Hippocr. 3. de fract. 63. Articulus etiam in genu & in pede solet hoc pati, reliqui autem articuli solent & possunt quandoque idem pati, sed non ita facile, quia carnosiores sunt. Si itaque adsit hic callus, primo cognoscendus est, an durus sit vel mitior, an scil. lapidosus sit, vel durus simpliciter. *Lapidosi calli signa.* Signa durissimi ac lapidosi sunt primo, vt conspiciatur, articulus hic tenuissimus & siccissimus erit: Secundo moueri non potest apposita manu medici, magna etiam addita violentia: tertio si adsit diuturnitas temporis, quo luxatus sit articulus. Quarto si sint apposita medicamenta constipantia & maxime astringentia, vt ex aceto, albo oui, sanguine draconis & similia, significant adesse callum. *Signa duri simpliciter.* Mollior autem callus vel durus simpliciter cognoscitur à diuturnitate temporis, nam hic recens erit affectus; dum enim antiquatur, fit lapidosus. Secundo quamuis non adsit motus voluntarius, tamen si Medicus manus suas apponit vel genu nitatur mouere, motu aliquo mouetur & flectitur. Tertio aderit tumor aliquis in parte durus quidem, non tamen osseus: Quarto si medicamenta idonea atque conuenientia fuerint apposita, qualia supra dicta sunt.

Lapidosi nõ est sumenda curatio. Cum itaq; distinxerimus inter hos, durum callum curare non sitis solliciti, per durum hic intelligendo lapidosum, quia nihil fiet: vna enim est ipsius curatio atque sola, sed ita periculosa, vt ego nunquam voluerim tentare, licet Celsus moneat tentandam esse audacter; & hæc est, vt detegatur locus duobus locis oppositis, & tophus scalpris educatur, postea curetur locus modo conuenienti: nunquam tamen ego hanc tentaui nec tentabo, neque etiam credo, quod tophus ille educeretur, partemque illam carne posse repleri & cicatrice obduci; quare meo iudicio non est eius curatio tentanda, quoniam non succedet. *Callus curationem admittens.* Si itaque callus sit simpliciter durus, hic curationem admittet,& quandoq; digeritur & aufertur ita vt articuli proprium motum acquirant. Quo itaque ad curationem, primo euacuabitur corpus optima victus ratione instituta: secabitur vena si sit plenitudo; si non sit, euacuabitur per pharmaca. Præterea reliquis rebus non naturalibus institutis recte, ad localia veniendum est.

Localia. In hac autem tractatione loci duo proponuntur scopi, primo vt emolliamus, quod durum est, & contractum relaxemus, secundo vt digeramus materiam facientem tophũ. Cum itaq; durus sit, primo ad emollientia veniendum est. Si articulus itaque durus est, ratione calli medicamentum liquidum, quo irrigetur articulus, parabitur relaxans & emolliens: hoc autem triplex mihi proponitur, quorum primum & simplex est oleum ipsum maturum, quo perfundatur pars illa, vel in oleo ipso articulus bis vel semel in die per mediam horam collocetur; si autem hoc vti volueritis, fiat sic

Emollientia. Recip. capit. veruecis num. j. fol. malu. atriplic. & rad. altheæ ana ℥. ij. nucleor. pin. ℥. iij. bulliant in magna quantitate aquę ad coctionem capitis, coletur hocque calido foueatur locus; vel vapore huius elato foueatur articulus callosus, vel hoc decoctum præpara, vt Recip. rad. alth. malu. ana m. iij. sem. lini, fœnugr. nucl. pin. an. ℥. ij. rad. cucum. asin. brioniæ, an. ℥. ij. s. aquæ q. s. misce: Et bulliant, coquanturq; vsq; ad consumptionem tertiæ partis, & coletur, & hoc vtemini: Accipiatis itaq; vel primum vel hoc secundum, vel oleo *Frictiones.* puro maturoque vtamini, quoniam optima erunt omnia. Facto hoc balneo ad frictiones

venia-

veniamus; nam maxime digerit frictio, manibus autem inunctis mollior fiat frictio, quę tamen fit diuturna per tertiam horæ partem. Inunctio autem, qua manus inungendæ veniunt, talis sit: Recip. ol. amygd. dulc. pingued. anser. rec. an. ℥ s. sal. alb. nitri an. ℥j. ducantur in mortario diligentissime, & ipso inungantur manus, & deinde fricetur manibus ipsis inunctis locus. Facta frictione imponemus medicamētum aliquod ex his, quæ dicta sunt imponenda esse in fine inflammationis luxationi superuenientis, quod educat ex alto, vt illud, quod dicitur Nilei malagma vel illud, quod dicitur oxycroceum. Aduertendum est tamen, quod aliquid est addendum, vt mucilaginis altheæ vel fœnugræci, vel pinguedinis anseris vel gallinæ vel humanæ recentis, quæ habeant vim laxantem: vel etiam hoc vtemini. Recip. mucilag. alth. fœnugr. sem. lini an. ℥j. pingu. anser. recent. gallin. ol. amygd. dulc. an. ℥. s. olei resolutorii ℥j. ammon. præpar. styracis pinguis an. ʒ j. cer. citr. q. s. coquantur hæc ad mellis consistentiam. Post hæc tribus vel quatuor diebus emolliendum iterumq; digerendum, & iterum ad emollitionem & ad discussionem veniendum: Quare post hanc primam emollitionem ad fumum aceti venieris: vnde Gal. lib. 14. de meth. medend. cap. 5. monet, vt accipiamus lapidem pyritidem, & ipsum ignitū faciamus, & postea aceto perfundamus, in quo macerata sit portio ammoniaci, vt non solum attenuet & siccet, sed etiam emolliat: ab hoc enim vapor attollitur, quo fumigetur locus affectus. accidit tamen, vt lapis hic non habeatur, & tum loco huius accipiendus est lapis molaris, vt dicit Galen: quia scopus ipsius est, vt lapis habeat vim attenuantē & discutientem: & hæc sunt in pyritide lapide. quod si neq; hic adsit, alium capiemus durum, ne facile desiliat, in lapidemque dissecetur ab aceto & igne: inter hos est præstantissimus molaris lapis, suffita parte eius fumo per tertiā partem horæ; quoniā omnes illas, quæ conueniunt, facultates habet. Attenuatione facta apponemus medicamenta primo ex furfure & oxymellite, quod est leuius, & ego quotidie suffitu illo vtor: medicamentū hoc singulo quoque tertio die renouans, & iterum ad resoluentia, sed valentiora deuenio, & primo vtor illo suffitu, postea accipio ammoniacum aceto dissolutum & styracis pinguioris portionem, & facio medicamētum, q; impono loco affecto, & ipso tribus vel quatuor dieb. vtor: postea iterū mollientibus dictis, deinde ad validissima discutientia accedo, inter quæ vtor primo eodem suffitu, postea emplastrum pono porolyticum dictum, quasi dissoluens callos secundum hanc formam: Recip. caric. pingu. lib. 1. stercor. columb. lib. s. oxymel. q. s. misce & in mortario mundo fiat vnguentum bonæ consistentiæ, & pone calidum super locum, vel vtor loco huius medicamento illo Gal. descripto in lib. 8. de simpl. med. fac. ex caseo vetustissimo modo hoc. Recip. casei vetustiss. macerati vel cocti in iure carnis porc. salit. vel farciminis porcin. salit. & caric. pingu. an. lib. s. oxymel q. s. m. fiat medicamentum robustissimum. Si autem vultis, potestis addere portiunculam pinguedinis resudantis ex carne suilla salita, ex ossibus scil. illius, quo ego vtor tribus vel quatuor diebus, si quid relinquitur, ad eadem emollientia reuertor, postea iterum ad hoc.

Si autem hoc non superatur, ad sacram anchoram deueniemus, quod est lutum metallicum in agro montis ferrati, in quo balneum est & lutum quod ex testimonio multorum, qui eo vsi sunt & scriptorum etiam autoritate multum valet in hoc casu. Nos autem habemus aliud præstantissimum in hoc agro Patauino Sancti Petri lutum dictum, quo adhuc præstantius illud S. Bartholomæi, quod ita efficax est, vt si non prosit, neque prodesse potest, sciatis immedicabilem esse affectum. Notandum est tamen vnum interdum vtimur his medicamentis, vt semper æger, si sit restitutus articulus, illum flectat breuibus motibus non dolorosis, sed quantum fieri potest validis, hoc enim fit, vt callosa materia, si qua est, elidatur & digeratur. Quod si nū sit restiturus articulus, post emollitionem restituendus est.

De articulo ex sua sede cadente post restitutionem. CAP. XIII.

ACcidit quādoq; ut articuli ex sua sede cadāt, cadentes restituantur, restituti curentur, & curati suo loco maneant, & sic æger omnia sua possit agere munia. Euenit etiā quādoq; vt cadant, & si restituantur, non tamen in sua sede maneant, sed recidant & recidiuæ hæ luxationes dicuntur spontaneæ, & sunt curatu difficiles, licet etiā non possint facile restitui, & ipsi ægri hoc ex se facere possunt. Vnde restituuntur, sed difficultas adest maxima in eorum conseruatione. Solet autem hoc tribus euenire modis, primo præcedente quadā violenta luxatione, vt in humero non bene restituto nec bene siccato. Solet. n. articulus hic recidiuare, & similiter in aliis violentis luxationib. & præcipue circa humerū hoc accidit teste Hipp. de artic. 2. Solet hoc etiam accidere ratione tumoris in eo oborti, ita vt non

possit articulus in sua sede contineri, cuius rei testis est Gal. 6. aph. 59. & 60. nempe quotiescunque ad articulum femoris cadit aliquis humor, ita facile luxatur, vt sponte cadat, & licet facile postea restituatur, non tamen permanet: quare his tribus de causis solet accidere, primo scil. à violenta luxatione non bene restituta & curata, secundo ab inflammatione & tumore oborto: tertio ab effœminatione ligamentorum sine aliqua illarum causarum oborta. Hic vnica est curatio ab Hippocr. 1. de artic. à text. 41. vsque ad 48. proposita & hæc est curatio per vstionem facta. possumus quidem multa tentare atque infinita medicamenta siccantia & roborantia in medium ferre, sed non est vera curatio. Quare primo circa communia capita administrabitis, postea ad vstionem venietis, & hoc tuto agetis: hoc autem fit ratione causæ, quæ est primo elongatio articulorum siue potius ligamentorum. Secundo effœminatio illorum & mollities, quæ est causa elongationis. Quare duo sunt agenda, vt s. mollities auferatur & humiditas etiam illa faciens mollitiem, postea contrahamus ligamenta illa elongata, & hoc facere potest ipsa vstio. Nam hæc primo absumet partes illas per escharam, cauum facit vlcus, quod postea obductũ cicatrice breuiores facit partes illas: per vstionem enim calefacimus, siccamus & humores digerimus. Præterea euacuamus magis illas per vlcus inductũ. Sed aduertendũ est, quod dicit Hipp. quod ignis inimicus sit neruis, quare vt caput hoc diligenter tractetur, præcepta quædam sunt obseruanda. Primo vt vratur locus, in quem cadit os præcise, non autem partes aliæ circa articulum, vt verbi gratia humeri articulus cadit in alam, axilla est vrenda, femoris caput cadit ad anteriora, anteriora sunt vrenda, quia mollities consistit in parte, ad quam cadit os, vnde Hippocr. reprehendit illos, qui in humero superiora & inferiora vrunt, hoc enim facit, vt facilius cadat. Secundo obseruemus in vrendo omnes partes circumpositas, quia ibi continentur nerui, ligamenta, venæ, arteriæ & glandulæ, quæ partes si vrantur, ignis inimicus est ipsis, quia conuulsio ab his fiet, quæ est immedicabilis. Tertio facienda est vstio ferramentis facientibus crustas non admodum magnas. Tribus autem modis crustæ magnæ aut paruę fiunt: primo si ferramentum sit magnum vel paruum, quare ferramenta paruæ eligenda sunt: secundo magnæ fiunt escharæ, si nimis sint rotunda ferramenta, quia cito non possunt penetrare & multum vrunt, ideo acutis vtendum est ferramentis: Tertio vt fiat cita penetratio ferramento tamen non multum candenti, quia hoc æque cito penetrabit, & non faciet magnam escharam; quarto post restitutionem articulus sit in suo loco, & quiescat post escharã & etiam post dies multos, quia si post vstionem luxetur iterum, non poterit amplius curari. Modus autem vrendi traditur 1. de artic. à text. 41. vsq; ad 48, & à Paulo lib. 6. cap. 36. & 42.

Causa casus articuli post restitutionem. *Curatio.* *Præcepta obseruanda in vstione.* *Crustæ quomodo fiant magnæ vel paruæ.*

De elongatione articuli & eius curatione. Cap. XIV.

SVpersunt duæ affectiones in luxationibus, quarum prima est cum articulus elongatur; & hæc elongatio est duplex, vna scil. si apponendo manus articulo os ab osse separatum tangitur; altera cum longitudo siue elongatio videtur etiam solo visu & facile manibus possumus eam adigere ad suum compar os, vt si luxatum non esset; ideo in his fit, vt nunquam solitarie incedant, si sit circa genu vel pedes, quia laxa sunt ligamenta, vnde luxatur articulus ita, vt firmari non possit, & isti facile luxantur, & ea luxatione, quæ recidiuam patitur.

Curatio.

Curatio huius est secundum Auicennam (nam solus ipse de hac meminit) vt constipemus, vniamus & roboremus calefacientes tamen hanc partem. Medicamentum opportunum non est simplex aliquod, quod omnia illa possit facere, quare faciendum est vnum compositum, vnde constipantia capietis & roborantia & calefacientia, vnde pro frigidis constipantibus gallis vtendum est malicoriis, citrinis, hypocistide, cupresso, myrto: admiscebitis autẽ calefacientia & siccãtia habẽtia vim roborandi neruos, inter quæ primo est castoreum, costus officinarũ; muscus roborũ præstantissimus est & præcipue ex larice, baccæ lauri & cedri, pix omnis liquida & etiam sicca, bitumen iudaicũ siccum pissasphaltum: addatis metallica, squamas omnes, quæcunque illæ sint, alumen vstum, calcamum vstum. Aduertendum tamen, quod hæc metallica in pauca debent esse quantitate, & his varie mixtis emplastica facietis medicamenta, vel capiatis sacrum dictum in officinis, quod optimum est, vel sacrum cum barbaro mixtum; vel emplastrum ex pelle arietina procrepatis quod astringit validissime: si autem non succedat, vretis, sed cutanea sit exustio & ita variis vstionibus cutim illam exuretis.

De distorsione puerorum in vtero vel post eductionem facta per nutrices. CAP. XV.

VLtimus affectus ad luxationes pertinens est, ille qui puerulis est διάστροφος v. l διαστροφία dicta distorsio, de qua tractat Hipp. 1. de artic. 1. nam distorquentur articuli, vnde fiunt homines vel manci vel valgi, si in crure fiat distorsio. Istæ autem, distorsiones dupliciter fiunt, per luxationem scil. & de hac non loquimur, quia pertinet ad luxationem de qua supra: vel sine luxatione, & de hac loquimur, quæ est & fit in pueris, præcipue dum sunt in vtero, quibus accidit, vt male collocentur illorum partes in vtero. Quandoque etiam nutrices, dum ebriæ sunt, male tractant pueros vel fasciis vel alia ratione. Crebra autem fiunt ab obstetricibus incaute puerorum artus tractantibus, dum educuntur ex vtero. De hac itaque distorsione vel in vtero facta vel post eductionem loquemur. Vnde primo si *Distorsio facta per obstetrices.* fiat circa pedem, obseruaui ego, quod si vix admonita sit mater, solis fasciis corrigat distorsiones istas: in aliis autem membris factæ facile etiam succedent, pedes vero non ita facile succedunt, quare si quis non potest à matre dirigi, curandus est; hoc autem fiet, si tentabimus sensim & sensim membrum restituere ad suum locum, & hoc non est faciendum vnica vice vel duabus vel tribus sed pluribus. Secundo non simus contenti os restituere & reuocare in suam sedem, & vt iuste ad aliud erigatur, sed oportet illum distorquere in aliam oppositam partem quia si talus ad suum habitum reduceretur, iterum distorqueretur; quia cum prius sit breue, alterum illud ligamentum est elongandum, vnde oppositum hoc fiet, si ad oppositam distorqueamus partem. Tertio est vt obuoluamus diligenter cum linteis & validis cum vinculis. Sed aduertendum est, quod cum corpora ista sint mollia, si arcte stringantur, siccari possunt fieriq; intertrigines, & extra mala symptomata: vnde præceptum est Hippocratis, quod si hac strictione fieri nō potest, id multitudine fasciatum fiat, quia hoc modo sine strictione partis pars illa stringetur, & in loco continebitur, nec fiet dolor aut materiæ attractio. Quartum est, vt siccetur moderate articulus cum medicamento opportuno. Vltimo post restitutionem habeamus calciamenta apta, quę possint conseruare in proprio loco. Primo itaq; restitutio tenteiur, vt dictum est, secundo medicamentum applicetur siccans & conseruans: Hoc enim dicit Hippocr fiet, si in adultis picatum accipiemus, in pueris vero siccantius applicabimus, sed non solemus restituere in adultis, Tertio fascias applicabimus, vt in simplici luxatione; quarto splenia, vt etiam in simplici luxatione apponemus & eodem modo illita; quinto ponetis tertiam, quartam & quintam fasciam; sed post quartam ponetis laminas ex plumbo vel corio, quia fasciæ & splenia non sunt satis ad continendum articulum in suo loco: vnde Hippocrates in pede ponit laminam sub planta ex plumbo vel corio duro & sic in manu obuoluendo super fasciam sæpe. Quia autem partes illæ sunt extendendæ ad exteriora, quia distortum est ad interiora, fascia vna illis omnibus est addenda, quæ trahat ad superiora, vt si ligemus fasciam digito minimo, quæ ligabitur dimidio auricularis multis ligamentis seu deuolutionibus. Si contra sit pars externa quæ cadat, digitum magnum ligabitis; quo tunc & circa dimidium crus ligabitis, vt supra hoc modo quiescat puer. Post tres aut quatuor dies abluatur aqua cum sale singulo quoque tertio die, hoc faciens per 40. & vsq; ad quadragesimum diem, vbi nihil aliud est agendum, nisi aliquod genus calciamenti inueniatur, quod possit membrum in suo loco continere. Antiqui habebant genus quoddam calciamenti, quod defendebat à luto, & optimum est. In superioribus autem aliis partibus similibus vtemur. & hæc de luxationibus satis dicta sint, sequitur tractatio de fracturis.

FINIS Tractatus tertii.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS, MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI, DE FRACTVRIS, Tomi II. Tractatus IIII.

De Fracturarum natura, speciebus, causis, signis & curatione. CAP. I.



ICEBAM in initio huius tractationis, quodnam fecit vt vnum esset animal integrum ex vno genere venoso & arterioso & conspirantibus neruis, quę ab vno principio ducunt ortum, sic vt vnum fiat animal, pariterq; ob id vnum os facere debuit, quo hæc machina vna constitueretur & consisteret. Verum quoniam instabat motus progressionis ad agenda negotia necessaria, ideo diuisit ossa per articulos, & hac ratione certis in locis illa ligauit, vt munia conuenientia peragerent, & hi sunt articuli, in quibus ita ligantur ossa ipsa, vt vnum os fieri videatur. Si casu autem ossa hæc rumpantur, affici præter naturā dicuntur animalia ipsa: quia tunc sustentari partes non possunt; & vti affectio articulorum ad chirurgum pertinebat, ita etiam hæc pertinet ac similiter est ossium soluta vnitas & nos ob id de his agere debemus & tractare decreuimus, sed breuiter ob temporis angustiam & caloris molestiam. Primo autem sciendum est, quod solutio ista continui in ossibus est multiplex: quædam enim connexum simul & substantiam amittunt, quædam tantum solutionem & annexum; vnde altera simplex erit & altera composita cum absumptione substantiæ ossis, vt cum erōditur substantia ipsa, quæ ob id etiam dicitur erosio, sed de hac non loquimur, ad vlcera enim attinet. Quandoq; à gladio aufertur substantia ossis diciturq; excisio: & neque de hac loqui volo, quoniam ad vulnera pertinet. De illa itaq; tantum verba faciens, quæ simplex est solutio ossis dico, quod etiam hæc est multiplex, nec de his omnibus est nobis tractandum, quoniam inter simplices fractiones vna repetitur thlasma dicta, quæ sensui non patet, alia autē quæ recentioribus Medicis ignota fuit, quamuis Hippocrates eam agnouerit, nos tamen neq; de hac tractabimus. Alia autem est fractura simplex ab Hippocrate proposita, quæ est, cum dissoluitur ossium continuitas gladio, vel alio secante instrumento, remanetq; sedes, vocaturque ab Hippocrate sedes, nos vero decisionem vocamus, sed de hac etiam non loquimur. Tertia & vltima est, quæ frangere solet os ab Hippocrate vocata κάταγμα & à Galeno ἄπαγμα lib. 6. de meth. med. cap. 5. vbi dicit, quod duplex est huius nominis genus, vulgare scil. & medium, quorum nos mentionem faciemus, non tamen loquemur de illa, quæ in omnibus partibus contingere potest, quia de capitis fracturis in tractatu de vulnerib. verba facimus. Frangitur itaque os, non eodem tamen modo; nam etsi vna sit fractura, non tamen omnia eodem modo succedunt, nam aliquando per longum franguntur & rima fit per longum vt in dentibus fieri solet, & hæc fractura est talis, vt partes non separentur inuicem vt sua operatione non priuentur: dens enim quamuis hoc modo scissus sit, mandit, & similiter os cruris, quod si non sit derectū, non potest à Medico cognosci, quare non est, vt labotē in tradenda vobis huius curatione fracturę, nisi sit in osse detecto, in quo si quid puris generetur, id detergere & educere debemus. de hac itaq; neq; est dicendum. Quandoque per transuersum franguntur ossa, quę impediunt actionem naturalem & vocatur caulidoni, quia assimilatur ei, quæ vt plurimum accidit in caulibus plantarum. Catagma vero dicitur à Medicis, credo, quod memores etiam sitis, cum habetis cucumerem recentem, qui si flectatis, frangitur, quia autem hoc modo franguntur ossa, ideo cucurbitalem nominant antiqui. Præterea raphani tenuiores radices, si flectantur, frangūtur per transuersum; ideo si talis in osse fiat fractio vel fractura raphanida vocatur, licet Galenus lib. 6. de meth. med. cap. 5. velit, quod ita dictæ sint, quia inæquales sunt, sed non refert. Vltimo accidit, vt os frangatur hoc modo per transuersum, sed ita, vt fiant plurima frustula minuta, & hęc frequēs est fractura & ἀλφιτηδὸν, hoc est farinalis dicitur, quia vti grana rumpuntur à mola, ita os in hac à frangente frangitur. & hæc simul cū alia superiori vobis proponitur à me curanda, de his itaque duabus vltimis tantum verba faciam, vti frequentioribus.

Solutio ossis multiplex. *Rima.* *Catagma.* *Cucurbitalis.* *Farinalis.*

Causa. Istius autem vtriusq; causæ certæ sunt & extrinsecæ omnes, videlicet omne corpus durum, violentum, graue ac contundens partes osseas vel casu hoc accidat vel alio modo,

non

non refert: ideo non multa sunt dicenda. Duę sunt species: altera simplex, altera vero composita cum alio morbo. Componuntur autem atque contingunt primo cum inflammatione, secundo cum vlcere, tertio cum prominentia ossium, quarto cum conuulsione, quinto cum gangræna, sexto cum luxatione, vltimo vero solet secum complicari mala restauratio, de his autem veluti primo veniamus ad simplicem fracturam. Signa, quibus hanc cognoscimus, sumemus à causis violentis, à casu vel grauitate contundentis corporis, vt quis doleat circa brachium & iam contusum fuerit à baculo, vel ceciderit, hoc primum fracturæ est signum: secundum signum habetur à relatione ægri vel astantium, quod scilicet dum cecidit, maximum senserit æger strepitum vel astantes. Tertium signum est demonstratiuum fracturæ, & est casus & fere perditio motus brachij vel membri fracti, nam statim fracto osse cōcidit membrum illud, dummodo geminum non sit os, nec vtrunq; sit fractum, quia in tibia sæpe vnum os frangitur, nec tamen ob id cadit hoc membrum. Quartum signum erit à manu Medici imposita sumptum; dum enim arripit manu propria Medicus ossium capita, sentit ipsa ossa duplicata & inter sese mouentia accrepitantia, signum est fractionis. Quinto si non percipit illam duplicationem manu arripiens, sentit saltem manum apponens strepitum leuem. Sexto, si non adsit crepitatio, nec cetera signa, supponat manum Medicus transuerso membro, & ita comprimat manum, si fractum est os, incuruabitur membrum illud, si extollat membrum supposita manu loco affecto. Vltimo Medicus, si circumquaque ducat membrum, si fractum erit os, ad hanc partem fiet strepitus & crepitatio, & ad illam dolor ingentissimus. Si autem contingat fractura cum aliis affectibus, propria signa aderunt illarum affectionum, quare ad illa recurretis alias à nobis locis propriis proposita. Veniamus itaque ad earum curationem.

Fracturæ curandæ species.

Signa.

Primo autem curabimus affectum hunc, si scopo indicato ab eodem affectu satisfaciemus, hic autem est solutio, ergo vniendum est: sed quoniam duplex est coalitus siue vnio, primus est primæ indicationis, vel vt rectius dicam, primæ inuentionis, quæ est, quando partes sua substantia colligantur, secundus vero coalitus est, quando quidem colligantur partes & coniunguntur simul, sed aliquo calloso corpore medio crescente, quod ipsas partes liget simul: priori modo siue scopo satisfacere non possumus, quia nimis sunt arida ossa ipsa, nec humiditatem habent, qua colligari possint, siue quæ facere possit ad calli ipsius generationem, & præcipue si loquamur de ossibus adultorum, nam ex mente Gal. lib. 1. meth. cap. 5. non est dubium, quod puerorum ossa primo modo colligari possint: quia humiditatem habent talem, quæ potest inseruire generationi calli, & ita mollia sunt, vt colligari possint, & tempus, quo possunt in ipsis ossa colligari, est vsq; ad decimumquartum annum. Et quidem dubium non est, quod iunguntur ossa in pueris, vti carnes inter se, vt ego pluries vidi in pluribus ossibus puerorum, quæ similiter colligantur, cum tamen prius natura fuerint dissoluta. Quare in pueris per primam intentionem colligare possumus, in adultis vero per secundam. Hoc autem probat Galenus in 1. de fract. 51. inquiens, si capiamus ossa brutorum, quæ fracta fuerint, atque deinde colligata sint, & callus abradatur, in profundo os inter se distans inuenitur.

Curatio.

Ego autem quid dicam circa hæc non habeo, quoniam quandoque vidi ossa fracta ex animalibus ipsis, nec tamen potui hoc, quod Galenus dicit, obseruare: Quinimo verum est, quod in humanis ossibus oppositum inueni, quia abraso callo simul coniuncta interius etiam ossa ipsa reperi. Ratio etiam hoc postulat; quia si callo obducantur, callus ille nil aliud est, quā substantia ossea emanans ex internis partibus: vnde si concrescit in exterioribus, magis etiam in interioribus concrescere debet & non in exterioribus tantum, vt Galenus vult.

Quid callus contra Galenum.

Primus itaque scopus est, vt iungantur ossa illa puerorum per primam intentionem: præterea etiam per secundam, vt magis circum circa ligentur: adultorum autem ossa per secundam intentionem, id est, per callum supercrescentem: nam si mollia sint, ossa per simplicem coniunctionem iungi possunt, & postea per secundam etiam iungi debent, vt magis firmentur. Si autem sint dura, per secundam intentionem coniungantur, hic itaq; erit primus scopus.

Primus scopus.

Aduertendum tamen est, quod hoc fieri non potest, nisi partes simul iunctæ conseruentur ac ligentur: nam vt plurimum ossa fracta separantur inuicem, & altera eorum pars supratrahitur, & altera infra; vel altera super alteram fertur: ideo nunquam bene curantur, nisi recte collocentur & componantur; hinc autem insurgit secundus scopus, vt scilicet dirigantur ossa & pars, quæ prius respondebat alteri, etiam nunc respondeat, quæ

Secundus scopus.

actio ἀδέξιος dicitur. Ad aliud aduertendum est, quod cum franguntur ossa, ita franguntur, vt illorum superficies non sint æquales: non enim ita franguntur, vt si secaretur os, sed inæqualiter franguntur, ita vt eorum superficies in loco fracturæ inæquales sint, & habeant vti squamas prominentes, quæ impediunt, ne os in suam naturalem sedem protendi ac adaptari possit, & hoc fit, quia franguntur illæ, & faciunt duo impedimenta, quorum primum est, quia fractæ vel cadunt intra partes ossis fracti, & impediunt adaptationem, vel si extra cadant, efficiunt, vt inæqualiter callus concrescat. Obseruandum est itaque, ne illa frangantur: hoc autem fiet, si extendamus maxime & diducamus ossa inter se: non enim inter se hoc modo illiduntur & franguntur.

Tertius scopus. Tertius insurgit scopus, & est vt partes illę osseæ extendantur, hoc autem est primum agendum, & quod primum indicatur, quare proponatur humerus fractus circa mediam regionem; si aduocetur Medicus ad curationem, statim cognita fractura extendat illas partes, & quomodo sit facienda extensio iam audiuistis in luxationibus ante inflammationem, vel post, non autem dum adest inflammatio, & hoc memoriæ mandate, pro quo faciendo audistis, quod opus est quandoque organis, quandoque manibus, quandoque vero palæstrico modo procedendū est, vel Medico in ipsa extensione. Dictum est præterea, vt extendamus quam rectissime teste Hippocrate 1. de fract. 1. præterea aderat quantitas obseruanda, quæ est quousque partes fractæ sint inter se distinctæ, nec vna pars aliā tangat: Cætera autem ex eo etiam loco sunt petenda.

Facta extensione ad secundum scopum veniemus, vt altera pars ossis cum osse iungatur, in quo negotio peragendo vobis anatomen præcipue ossiū & aliarum etiam partiū commendo, quoniam sine anatome impossibile est bonam fieri extensionem, ita vt partes anteriores cum posterioribus, & anteriores cum anterioribus, atque posteriores cum posterioribus partibus iungantur.

Hæc autem conformatio non calcaneis, non pugnis, neque alio extremo modo fieri debet, sed solis manibus & iis etiam blandientibus. Posito osse ad suam sedem, dantur præter dictas duæ nouæ indicationes, prima vt conseruemus os in sua sede & directione; secunda, vt prohibeatur inflammatio & hoc tempore inflammationis, quæ est vsque septimam vel nonam. Pariter conseruabuntur opportuna deligatione sicut & figura.

Inflammatio autem per illa tria capita communia, quæ in articulis luxatis tradita sunt, arcebitur, videlicet primo per deligationem, secundo per medicamentum propriū, tertio per collocationem conuenientem. Medicamentum autem erit illud ceratum rosatum, vel de cerussa vel linimentum simplex, quo fracturam invngemus, & primam fasciam ter circa fracturam ducemus, & ad superiora veniemus, secundum super loco affecto & primo ad infra, postea vero sursum ducemus. Posito medicamento hoc & duabus his fasciis, quæ sint eodem modo, vt in articulis dictum est, eadem splenia eodemq; modo iuncta, & eadem quantitate imponemus. Tertiam postea addemus fasciam, quæ sursum incipiat & finiat deorsum. Postea addemus quartam, quæ contrario modo, vel loco ducta feratur, & deorsum incipiat, sursumque finiat, ductusq; earum sit contrarius, quia tantum continet: priores autem sint similes contrariæ fracturæ.

Collocatio membri fracti. His factis ad collocationem veniemus, sed obseruantes præceptum Hippocratis 2. de fract. 62. vt facta extensione & compositione ossium inter se ligatis, sed non post ipsam extensionem, sed dum adhuc extensum membrum tenemus, nec prius remittamus, quam deligauerimus, si fieri potest, post ossa ligabitis iuncta ea figura, quæ tanta cum diligentia est facta, posita etiam tertia in articulis fascia, vt superiora membra directa, inferiora vero flexa locentur & pendeant molliter, iaceantq; sine dolore superiora ad collum, inferiora ad lectum maneant. Sed notandū, quod non eædem sunt locationes in luxatis & fractis, loquendo de partibus inferioribus; quia in superioribus eadem est locatio, non autem in inferioribus; Quia si frangatur crus, vt habetur 2. de fract. 64. quibusdam canalibus vtebantur antiqui, in quibus collocabant membra illa, & in his fidebant admodum Medici, vt ibi dicit Hippocr. Mihi tamen dubium facit hoc, quoniam ab his iuuentur, non tamen conducit, vt illi putant & asserunt. Laudat tamen Hippocrates hoc, quia in his molliter & optime collocatur crus: nam prius insternitur aliquo molli, vt lana vel gossypio, præterea inseruit ad motum: nam moueri debet æger, nec sine detrimento potest moueri, si hoc non vtimini instrumento. Galenus autem eo in loco & lib. 8. meth. c. 5. dicit, quod recentiores inuenere aliud instrumentum ad collocandum crus & restituendum membrum, quod dicit vocari glossocomion machinarium, quod describitur lib. nono meth. cap. 5. & 2. de fract. text. 64. imo habemus etiam imaginem depictam, & etiam librum de machinamentis Oribasii: hoc itaq; recentiores aliqui vtebantur, dicit Galenus.

Instrumenta antiquorum pro locandis membris.

Addit

Addit autem lib. 6. Meth. aliam capsulam, quæ non est mechanica, sed est longa, & habet latera, quæ aperiuntur & dimouentur, habetque tabellam in capite, & hoc etiam habet commodum, quia aperiri & claudi potest, vt opportunum est. Ex his tribus instrumentis non vtimur primo, quia primo requirit multū tempus, quo fiat, & oporteret multos canales habere, quibus nunc vteretur hoc ille æger, ille autem illo, quare cessit vsus horum, licet bonus sit.

Non vtimur etiam glossocomio, quia, licet sit bonum ad restaurandum, tamen non est commodum, vt admittatur in lecto ab ægro, ideo factum est, vt licet vsus fuerit tempore Galeni, tamen dimissus sit, & vtimur illo canali quadrato, tertio loco posito, ac dicto à Galeno, videlicet capsula, quæ est quadrata, in qua collocamus lanam vel stuppam, in qua crus ponitur: in hac sunt latera, quæ possunt moueri, & tabulam etiam illam habet in fine mobilem, siue in eius extremitate. Præterea adsunt ligamenta, quibus portari potest, in qua obseruandum est secundum Hippocratem 3. de offic. med. 18. aliqua, & primo, quod non sit nimis breuis, quia non solum crutis parte fracta, sed totum etiam crus est continendum. Secundo quod non sit nimis lata vel angusta, quia angusta interrigines facit & vlcera, lata vero causat, vt in ea labatur crus, ita vt contineri firmum non possit. Tertio quod latera sint bonis fibulis coniuncta. Quarto robur ipsius capsulæ obseruari debet, iuxta tamen commoditatem ægrotantis: vnde non sint nimis ponderosæ tabulæ, nec admodum etiā debiles. Si enim ita construatur hæc capsula, optima erit, quæ glossocomion non mechanicum dicitur, vel glossocomion simplex: hoc itaque modo locabimus membrum, & ipso ita locato eadem faciemus, quæ in luxatis vsque ad septimam, & sic etiam, vti in luxatis ligabimus, secunda vero vice artius, sic etiam in hac, & adhuc artius in tertia. *Notanda circa capsulam, in omni crure fracto.*

De victu: idem erit victus, qui proponebatur in luxationibus. *Victus ratio.*

Sed de medicamento purgante, de sectione venæ, & cæteris eadem erunt, vt in luxatione dictum est, vnde qua ratione communia capita tractanda sint in hoc affectu, iam patuit, cum de luxatione tractabamus, quæ quidem ratio eadem est penitus, vsque ad septimam vel nonam diem, & vndecimam; nam eousque tertia quoque die dissoluendum est, & aqua calida perfundendum, religandum, & partes optime collocandæ. Sed cur dixi, ego vsque ad septimam vel nonam diem, vel vndecimam? quia Hippocrates in aliquot hac ratione vtitur vsque ad septimam, in aliquot vsque ad nonam, & in aliquot vsque ad vndecimam, duplici de causa, & ratione, vel sc. ratione inflammationis, vel ratione extenuationis membri. *Purgatio.*

Primo quidem ratione inflammationis, quia post hoc tempus, quod est inflammationis ferulæ sunt imponendæ, vt dicetur, quæ non sunt imponendæ tempore inflammationis. *Ferulis quando ponendum sit.*

Secunda ratio est, quia ferulæ non possunt apponi, nisi membrum sit extenuatum, quod non fit æqualiter in omnibus membris; nam aliqua septima die, aliqua nona, aliqua vero vndecima extenuatur: quare vsque ad extenuationem membri hoc modo procedemus, septem dierum spatio digiti extenuantur, humerus nouem, tibia vero & femur nisi spatio vndecim, vt habetur 2. de fract. cum ergo peruenienius ad septimū, vel nonum, vel vndecimum diem, sciendum est, quod tunc semper incipit callus fieri durus, & ligare partes fractas. *Membra fracta quando extenuantur.*

De callo osseo, & eius natura, & quibus scopis absoluatur curatio.

CAP. II.

Qvid autem sit callus iste, dicit Galenus lib. 6. meth. 5. & 1. de fracturis 40. quod nil aliud est, quam excrementum quoddam abundans in nutritione ossium: quale ergo erit alimentum ossium, talis etiam erit callus ipsorum: at cum crassissimum sit alimentum ac frigidum ossium, talis etiam erit ipse callus, vnde quandoq; refudat extra cutim, & fascias inficiet, sanguisque apparet crassus, hoc expressum à partibus intimis ossis feruet, & concrescit, vti lac in caseū, rimasq; ipsius ossis, siue fracturę ligantur, circumquaq; nunc ab ipso callo modo iam dicto supercrescēte. Dum autē concrescit callus, hæc obseruanda sunt, primo ossiū directio, debemus enim septima, vel nona, vel vndecima die abluere partē, abluta vero considerare, an directio requisita adsit, nā quandoq; nō adest, nec hoc curatur prius scite, nisi hoc tēpore, quo videmus, an distet os ab osse, & apramus, si recte cōpo- *Callus ossis quid sit.*

situm non sit, tunc enim & commode potest cognosci & curari, vt dicit Hippocrates, quia tenues sunt, vt cutis musculi, & primo obseruanda est directio partis, postea deligationes & ferulæ addendæ, de quibus dicemus inferius, secundo obseruari debet, an adsit materia pro callo, quæ non adesset, si vteremur eadem ratione victus.

Materia calli ossei.

Ad callum enim generandum tria requiruntur, primo quantitas materiæ opportuna, secundo qualitas itidem materiæ oppottuna, tertio facultas generans callum. Si autem eadem erit, quæ prius, victus ratio, non aderit materia, conueniens vel qualitate, vel quantitate, quia victus ille est subuulgatis, qui constat herbis, ex quibus nutrimentũ fieri non potest, quo excrementum tale fiat ad generationem calli aptum. Præterea aquosum generat nutrimentum: at ad calli generationem crassum requiritur, & viscidum & tenax, quare talia sunt exhibenda, quæ ad generationem sint apta: hæc autem erunt, vt habemus 2. de fract. loco dicto, ea omnia, quæ sunt boni succi, solidi, & quę multum alunt: quæ enim faciunt friabile alimentũ, licet sit crassum, non sunt bona, vt carnes salitæ, teste Galeno lib. 6. meth. ideo sint carnes bouinæ solitæ veruecinæ, & ex auibus magnis, ideo aliqui exhibent articulos ex animalibus, & pedes, tenax enim generant alimentum & crassum, exhibent etiam vinum præstantissimum, potens & austerum prius aqua dilutum, post etiam meracius assumptum, caseus salitus non conuenit, sed recens: in his autem exhibendis seruabitis ex Galeno temperaturam, ætatem, victus rationem, tempestatem & regionem.

Materia apta ad calli generationem.

Si multus callus sit generandus.

Tertio Medicus aduertat, an multum callum velit concrescere vel parum: nam aliqua ossa magnum requirunt callum, aliqua paruũ, cuius ratione plenior, vel tenuior victus est instituendus: quia si multus callus requiratur, nostrum erit, vt septima die, vel nona, vel vndecima statim abluatur locus, donec intumuerit, nec vltra: hac enim ablutione trahemus alimentum ad locum affectum, postea vero attrahentia & calefacientia medicamenta, ac etiam concoquentia sunt apponenda secundum Galenum, quare ceratum picatum imponatur, vel tetrapharmacum basilicum dictum, vel accipiat diachylon dictum emplastrum cum tetrapharmaco. Si autem paruum gigni velis callum, noueris que situm partis, præcipue in paruo osse fracto, in quo magnus callus deturpat partem, in hoc septima vel 9. vel 11. abluatur membrum diu aqua calida, donec rubrum fiat & intumeat, ac etiam desideat, sic enim rarescit cutis, & materia attracta etiam euaporabit. Secundo imponemus medicamentum, quod discutiat & siccet, & hoc erit illud medicamentum, quod sacrum emplastrum dicitur, isidisque vnguentum, vel aliquod ex illis medicamentis resoluentibus, quæ dicta sunt in curatione tophi ligantis articulum.

Si paruus callus requiratur.

Si callus mediocris requiratur.

Verum quoniam raro euenit, quod Medicus velit vel parum, vel multum callum, sed vt plurimum mediocrem volumus callum, hoc itaque fiet, si abluerimus mediocriter, postea imponatur medicamentum, habens vim congelandi callum, vniendi, & moderate siccandi, hoc que à Galeno explicante dicitur ὀεναιμον, ex illis scilicet, quæ cruentis vulneribus imponuntur, inter quæ principatum tenet barbarum emplastrum cum cerato rosato dissolutum. Quamuis autem de immutando medicamento Hippocrates non meminerit, imo ex ipso colligatur, quod eodem cerato vtitur, tamẽ cum ratio hoc nobis proponat, licet Hippocrates non dicat, moneo ego, vt mutetur, quare primo abluatur locus, siccetur deinde, barbarum cum cerato rosato dissolutum ponatur, prima secunda que fascia, vt dictum est, supra deligetur, post secundam barbaro eodem imbuta splenia imponantur, cui tertia addatur fascia, vt supra, quarta etiam addatur postea: si autem volueritis sequi Celsum, poteritis etiam quintam & sextam addere, licet ego tribus, vt plurimum fuerim contentus. Hoc facto adstringendum est membrum, hæc enim non continent membrum ita, vt æqualiter moueri non possit: hoc autem fiet secundum antiquos per appositionem ferularum.

De ferulis, tabellis, vinculis & dissolutione fracturarum.
CAP. III.

Ferulæ.

ANtiqui maxime ferulis vti solebant capientes ferulas ipsas, quas diuidebant in duas vel tres partes, medullam auferebant, & imponebant, & hoc quia lenes erant cum ratione corticis, quem lenem habent, tum etiam quia sunt extenuata, ideo possunt partibus etiam gracilibus aptari, vnde septima, vel nona, vel vndecima die, has parti affectæ ponebant. Sed quoniam hæ non concrescunt vbiq;, vt etiam apud nos non adsunt, sed tantum in calidioribus regionibus, quare nos alia vtimur materia. Recentiores enim quibusdam tabellis, & tegulis ligneis vtuntur loco ferularum, optimo cum successu: si quæ tamen est oppor-

Tabellæ.

opportuna materia, illa est ex abiete vel masculo vel fœmina. Tempus autem est vel septima vel 9. vel 11. die autoritate omnium barbarorum Medicorum, licet Paulus libro sexto, cap. 63. dicat, quod statim quidam has apponebant post primam deligationem, attamen errabant. In his autem apponendis sunt aliqua obseruanda. Primo vt numerus is sit, vt tot apponantur, quot possint totum membrum amplexari, sed tali dispositione & ordine, vt vna non tangat aliam, sed inter eas digiti spatium intercedat. Secundo sit earum longitudo vt fasciarum, videlicet quod occupent tantũ spacium illud, quod à fasciis occupatur & amplectitur, præterquam in partibus vbi prominent articuli aliqui, quo in loco abscindantur, quia comprimunt, erodunt, inflammant, gangrænamq; causare possunt. Tertio ne eiusdem sint tenuitatis, quia in parte, in quam declinauerit os fractum, oportet vt sint tabulæ istæ crassiores. Quarto si delicatum sit corpus, nudæ non imponantur, sed vestitæ lana vel stuppa. Vltimo ligentur propriis vinculis laxioribus prima vice, non autem fasciis, & hoc ordine, vt primo ligentur in superiori parte, secundo in inferiori, tertio vero supra fracturam ligari debent, ne validior fiat constrictio supra ipsam & dolor, quare iam colligamus, septima vel 9. vel 11. religabimus, abluemus, fascias & splenia apponemus & arcte stringemus, ferulæ apponantur, non strictè deligentur, & hic quiescat vsque ad perfectam sanationem, cuius terminus hic est. Hippocrates dicit 2. de fract. 65. 68. quod iuguli os viginti diebus solidetur. Paulus vero libro sexto, cap. 63. hunc terminum sequuntur, dicit ipse, digiti & manus & pedum, quia eodem tempore sanantur. Hoc modo, si etiam intet se nil vrget religare, quiescat æger, attamen Medicus de tertio in tertium ipsum visitabit & laxas ferulas constringet, non autem religabit, circa partem autem fractam magis stringetur. Cum autem tempus debitum hoc modo præcessetit, ferulæ auferendæ sunt & fasciæ, postea vero aquam calidam affundemus, vt nutriatur callus, qui iam factus est: nam attrahere debet nutrimentum, & abluemus vsque quo intumescat nec pertransibimus. Postea iterum ligabimus laxius, non tamen tot fasciis, sed paucioribus & ferulas abiiciemus; Tertia autem die post hanc iterum abluemus, & vnica fascia vtemur vel nulla.

Numerus. *Longitudo.* *Crassities.* *Vincula.* *Terminus sanationis in fracturis.*

Notate tamen, quod quandoque æger non potest quiescere à septima vsque ad perfectam sanationem, quia aliqua impediunt, quæ potissimum sunt tria, vt etiam in luxationibus diximus: primo est pruritus, qui si sit maximus, locum dissoluatis, abluatisque vt in luxationibus dictum est. Secundo solet oriri vlcus ratione vaporum aut sordium vel alia ratione; vnde quando suspicamur adesse vlcus, locum aperiemus & aqua abluemus & cætera, quæ in luxatione dicta sunt, faciemus.

Quibus de causis cogatur Medicus dissoluere ante sanationem.

Tertio suspicio esse potest non bene compositarum partium, vel quia adsit dolor, vel quia non recta videtur esse extensio & collocatio membri, & tunc non est expectandus ille terminus, sed aperiendum flectendumque & parte incuruata duplicata tegula est apponenda: vel etiam quandoque supponatis plumaceolos, & comprimatis ad oppsitam partem, vt dirigatur.

Vltimo si adest suspicio ne tantus coalescat callus, quanto opus est, tunc aperiendum est, & si copiosior fiat callus, aqua copiosa affundemus calida, & medicamentum opportunum supra dictum apponemus: si minor, dissoluemus & medicamentum supradictum applicemus.

De vlcere superueniente fracturæ, & de ossis detectione & ablatione.

CAP. IV.

SI fracturæ adiungatur inflammatio vel tumor aliquis partium extremarum, omnia agenda sunt dicta in inflammatione luxatis superueniente. Si autem vlcus accidat fractis ossibus aperto corio & laxatis musculis, quæ dicitur fractura, cum vlcere & osse detecto non autem denudato. Duplex enim est fractura, videlicet cum vlcere cum osse detecto & cum osse denudato, cum scil. os extat extra partem: in hac itaque cum nudatum est os, non tamen prominet, quid agendum sit Hippocrates 7. de fract. 1. proponit recensens curationem aliorum, à quibus primo vlcus, secundo fractura curatur, sed damnatur à quibusdam. Vera autem curatio est, quia habemus primo os detectum & postea fractum. Celsus dicit considerandum esse, an os sit recessurum nec ne, id est, quod diuturnitate temporis aliqua portio ossis sit abscessura. Secundo considerandum est an magnum vel paruum sit os abscessurum. hæc enim variantur & variantes curationem etiam variant: nam si paruum sit os & recessurum, curandum est vti si non

Si os paruũ sit detectum

esset recessurũ: Si vero magnum sit os, vel est non recessurũ, vel est recessurũ. Si magnum & recessurũ vno modo, si non recessurũ, alio modo curabimus: sed 1. cõsideremus os paruum, si sit os paruum, vel recessurum, vel non, non refert Hippocrates, docet ac monet, vt primo extendamus, vti in simplici fractura, 2. componamus: 3. si quę adsunt parua frustula, auferamus, 4., dicit Paulus, vt conseruemus locum suturis, vt in lib. 6. cap. 107. Ego vero non consentio cum ipso, quia Hippocrates proponit duo, primo vt vniamus, secundo, si quæ sunt carunculæ contusæ, illæ macerentur & separentur. Consentio autem, quando fit ratione conglutinationis, quæ & hic ex Hippocrate requiritur.

In quo differat hæc curatio à fractura simplici.

Notandum tamen est, vt dicit Hippocrates, ne locus hiet, & sic etiã Galenus dicit, vt coniungamus, non tamen consuamus. Hoc facto ceratum aliquod ex illis, quę cruentis vulneribus conueniunt. Hippocrates ponit picatum seu splenium duplicatum, vel tetrapharmacum, vt interpretatur Paulus: vel itaq; barbarum vel picatum imponemus, vt fiat concoctio, & pus, & bona frictio, vt dicit ipse. Præterea vt carnes contusæ remacerentur & separentur: post impositionem autem medicamenti supra splenia positi deligabimus, & splenia ponemus, vt in simplici fractura. Soluemus de tertio in tertium diem, affundemus aquam, vti in simplici, vsque ad septimam, vel nonam, vel vndecimam, & cætera agemus, vt in luxato cum detecto osse curando. Differt autem hæc curatio à fractura simplici, quoniam laxioribus vtimur fasciis: præterea frequentius aperimus: semper enim tertio die est aperiendum, nec vnquam pertranseundum: in septima vel nona vel vndecima non ponemus ferulas, vt in simplici ponebamus, dicit Hippocrates, donec sit sanatum vlcus, vel non ponemus in parte, in quã sit vlcus, sed ad partes tantum oppositas: Quare nunc laxioribus vtemur tegulis in partibus sanis tantum.

Si Vlcus incrudescat.

Post hæc eadem agemus, quæ in fractura simplici. Si autem interea incrudescat vlcus, & fractura minetur emissionem squamarum, quod sciemus, quia turget vlcus, de quo dictum est supra, & copia puris magna egreditur, præterea etiam mador maximus educitur; quare cum hæc videbimus, vt in 18 vel 20 vel alio die, non est timendum, dicit Hippocrates, sed procedendum eadem ratione. Sed quia squamam egredi vult, sæpius aperiendum est, vt de tertio in tertium vel de quarto in quartum: præterea laxior adhuc erit deligatio; in reliquis vero eadem erit curatio. Sanato vlcere neq; ligato osse poterimus addere ferulas & barbarum & reliqua, vti supra dictum est.

Si magnum os sit recessurum.

Si autem magnum os sit recessurum vt in humero fracto, cognoscimus recessurum esse ex Hippocrate, quia illa pars ossis est denudata à periostio & facta arida, quare cum videbitis os aridum, vel quarto vel quinto vel sexto die recessurum esse dicetis. Tunc primo trahemus, componemus, medicamentum apponemus: & hoc est, vt tertio de fracturis dicit Hippocrates, picatum vel enemon aliquod applicabimus; vt tetrapharmacum vel barbarum. Hoc facto non deligabimus vt supra, sed ascia, quæ est genus deligationis Hippocratis 2. de offici. medic. 2. vtemur pro deligatione. Et ibi miror de Galeno, qui ita diligens est in omnibus, hic tamen nihil dicat, cum maxima sit difficultas. De deligatione autem loquitur Hippocrates loco citato. & 2 de articulis: non tamen aliquid dicit Galenus, nec Celsus nec Paulus. Quare dico ego, vsum fuisse aliis deligationib. hac ratione ab Hippocrate dimissis, quia cum frequenter inuisendus sit affectus & os sit magnum, quod non recedit à 40. ad 60. diem, maxima fiet afflictio ægrotantis, si quotidie fasciæ tot & inuolucra sint auferenda, vnde membrum sit ita crebro tollendum & mouendum, maximo cum periculo, ne dilabatur à collocatione os fractum: hac ergo ratione motus Hippocrates illam rationem ligandi alioquin bonam omisit, vnde postea modum deligationis inuenit sine agitatione aut suspensione membri, quæ deligatio dicitur ascia.

Ascia deligatio.

Ascia quid.

Ascia est instrumentum fabri lignarii, quod Zappetta vulgo dicitur, in eius acie vltima latum, prope autem manubrium angustum: cum ergo nos hac figura deligamus, talis deligatio dicitur ascia. Potest autem hoc modo fascia duobus capitibus ligare, & etiam vno capite solo; vnde cũ volumus vno capite deligare, fiat hoc modo, vno ductu, fascia ducatur oblique, ita vt vno in loco sese intersecet ac superequitet, sed hoc modo non vtitur Hippocrates, sed multa splenia accipit, quibus vice fasciarum vtitur, quarum longitudo est tanta, vt possint ligare partem vna vice cum dimidia: his pluribus fasciam nos facere vult Hippocrates: ista splenia hoc modo apponenda, vt scil. partem vnius splenii mediam circa partem affectam inferiorem ponamus, aliam sursum hoc splenio trahamus, ibiq; duobus suis capitibus intersecabit & finiet. Hoc facto addemus aliud splenium, postea tertium & quartum, & tot apponemus, donec ad partem illam, ad quam etiam fascia ascendebat. His spleniis appositis deueniemus, postea aliis spleniis à loco simili infra descendemus, & hoc modo de tertio in tertium, absq; suspensione & agitatione membri aperire poterimus. Hæc autem po-

tetunt

terunt continere optime, vtq; fascia, quia interfecant sese & inuicem comprimunt & optime continent. Sed ego quandoq; hac non vtebar, qui difficilis erat hotum vsus: sed dum curatur affectum crus & æger in deligationibus continuis maxime cruciaretur, fascias per transuersum secui, & sic sectas collegi partes illas fasciarum, quę splenia affirmabant, vnde casu hoc mihi indicatū vidi, ita vt postea his vsus sim maximo cum successu. Splenia autē ista æstate vino austero madefacio hyeme vero vino austero & oleo tepido; in prima applicatione seu collocatione cotium durum & solidum supponatur, vt irrigationes suscipere possit. Recesso osse & sanato vlcere ferulas apponere poterimus & medicamentum supradictum. Si autem os carnem excedat & promineat, vel ex casu ab alto, vel eontractis ad se musculis ex hoc, quod protrusum est os extra suam sedem, primo considerandum est, an sine conuulsione possit restitui vel non; vnde si potest restitui, sine conuulsionis periculo restituemus, aliter non. Cognoscetur hoc primo ex magna denudatione, vt si in femore sit magna denudatio ossis per spatium quatuor digitorum, nimis magna erit denudatio; secundo si aderit principium tumoris vel inflammationis: tertio si carnes duræ sint & contractæ, non tentetis restitutionem, quia periculum maximum est, ne conuulsio succedat. Sin contra non magna sit denudatio, nec adsit inflammatio, sed laxitas partium, reponatis primo extendendo, postea componatis, si extensio non fat fit per manus. Hippocrates autem adiuuat illam extensionem per vectem à Paulo descriptum lib. 6. cap. 107. quod instrumentum à Celso volsella dicitur lib. 8. cap. 6. & est ad figuram vectis factū, vnde sit magnitudo eius vt pali de ferro dodrantis, sit curuū in vna parte, quæ impellat in sua sede os ipsum. Facta extensione, repositoq; osse obseruandum est, an recessurum sit; at si statim facta erit actio, non recedet, si vero non statim potest recedere: vnde si non est recessurum, tetrapharmacum vel barbarū imponetis, deligabitis, laxius tamen, & fascias dictas ponetis; si autem recessurum sit, ratione ea vtamini supra dicta, a sciaq; deligatione. Tempus restitutionis est prima, 2. vel 3. dies: postea non restituemus vsque ad septimam, 9. vel 11. Si conuulsio post restitutionem accidat, è loco iterum protrudatur. Si autem casu non possit restitui, quia adsit inflammatio vel conuulsio, eadem agemus, quæ sunt dicta in luxato osse atque prominente, & ponemus folia illa betarum vel tussilaginis & alia dicta faciemus, vt si poterit secari cum serra vel scalptis eiici, hoc faciemus: postea quantum poterimus, descendemus, deligabimus aptabimusq; vt supra dictū est. cætera faciemus itidē. Hippocr. autem vnum obseruat, quod dum secatur os, artus fiant breuiores. Celsus tentat, an restituere possit, & dicit vt ponamus inter os & os lignum molle & sensim à minori ad maiorē cuneum faciamus vt fiat magnum spatium inter os & os; vnde succrescēte callo in spatio illo os cum osse ligatur. Hoc autem ego non tentaui, nec credo succedere: vnde ego dico, vt cum Hippocrate finamus, vt decurtatum sit: & omnia hæc agenda sunt circa fracturas, in quibus si male concrescat callus, omnes monent, vt si durus sit callus, iterū frangatur, quod neq; ego sum vnquam expertus. Si autem intorti concrescunt artus, callusque nondum iuduruerit, potest corrigi eo modo, quo supra dictum est. Si minus copiosus callus succrescit, vel nimis paruus, facile erit, vt supra, agendum.

Modus prius deligationum.

Si os promineat à carne.

Si conuulsio accidat post restitutionē.

Si autem cum fractura adsit luxatio vel aliæ affectiones, sunt modis propriis curandi curandæ. In hoc autem aliqui vnum affectum post alium curant; sed male agunt; vtrique enim simul & semel sunt curandi, vt colligitur ex lib. Hippocratis. Et hæc de luxationibus & fractutis in laudem Dei opt Maximi dicta sufficiant.

FINIS. *Tractatus quarti.*

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI AC PHILOSOPHI CLARISSIMI TRACTATVS V. TOmi II. De partibus similaribus.

De difficultate tractationis, hominis substantia & corporis compositione.

Cap. I.

PLVRIBVS de causis similarium partium tractatio difficilis est, cum quia versatur circa penetralia naturæ, tum quia diuersi sunt autores inter se de iis tractantes: non enim semper concordes sunt Arabes, non Gal. neq; Aristot. Variæ namq; sunt in ipsis cõtradictiones. Præterea adest timor vobis satisfaciendi: sententiam tamen meam libere dicam, quoties contigetit illam in medium afferre.

Hominis substantia multiplex est.

Quare primum dico corpus humanum non vnica substantia conflatum esse ex Arist. lib. 2. de partib. animal. c. 1. quia non vnica est corporis humani actio, sed plures: ergo plures debent esse partes. Quare cum videamus plures motus sensationesq; & alias actiones multas & diuersas, ideo dicendum est, nõ ex vna, sed ex pluribus constare substantiis corpus nostrum. Præterea videmus in singulis partibus hominis plures ac diuersas actiones & motus, quia nunc quiescit pars, nunc mouetur, nunc mollis est, nunc aspera, nunc extensa, nunc contracta, vt exempli gratia, in manu patet: Ergo manus substantia, non vna, sed multiplex est.

Ex quot partibus cõstet corpus. Aristotelis opinio de corporis cõpositione.

Præterea ex Galeno & Aristotele actiones aliquas ex partibus manare videmus, quarum causam non videmus: ergo aliquid latet in profundo, quod est causa harum actionum: quare corpus humanum non est vniforme, sed diuersis formis præditum, diuersisque substantiis. At videamus, quot sint vel esse possint hæ substantiæ. Galenus in lib. de tremore dicit, quod partes corporis humani sint tres ex Hippocrate 6. Epid. part. 8. aph. 8. quarum prima sunt corpora continentia, secunda corpora contenta, tertio corpora impetum facientia, per continentia corpora intelligens partes solidas, per contenta humores, & per impetum facientia spiritus omnes, quod etiam explicauit Aristoteles lib. 2. de part. an. cap. 1. alio tamen hoc inuestigans ordine, cum proponat tantum partes sensu cognitas: quia itaque spiritus sensu cognosci non possunt, sed ratione potius: videmus vapores aliquos, inter quos & spiritus distinguere sensus non potest; ideo de his non loquens Aristoteles dicit, quod in viuentibus animalibus varia est compositio, & huiusmodi compositiones primo fiunt ex ipsis Elementis, quoniam dantur viuentia, quæ ex compositione tantũ Elementorum constant, vt sunt plantæ & animalia per putredinem genita, an vero hæc prima mixta imperfecta viuentia, quæ mouentur aut stant, fiant ex elementis puris, aut castigatis, vel potentiis tantum, altioris est scientiæ, & adhuc sub iudice lis est.

Secunda compositio est illa, quæ fit ex istis mixtis, ex quibus fit compositio partium similarium animalium, & præcipue hominis, qui est perfectissimus: nam ex his animalibus & plantis fiunt partes simplices animalium perfectorum.

Gal. op.

Tertia compositio est, quæ fit ex partibus similaribus, & facit artus, vt manus, caput, & omnia alia membra cum brutorum tum hominis. Quare duæ sunt partes corporis humani: primæ enim sunt partes similares simplices, secundæ sunt dissimilares ac compositæ: vnde corpus humanum in duas partes diuiditur, & hac eadem diuisione Galenus c. 4. lib. 1. de placit. Hipp. & Platon. processit autoritate Aristotelis motus, ac differt aliquantisper ab Aristotele, quia Arist. non ponit differentiam inter partes similares hominis, & brutorum, quia reuera idem sunt, ac differunt tantum secundum magis & minus, quæ nõ variant speciem, mihi tamen magis placet diuisio Aristotelis, quoniam etiam oppositum fieri possit, quam dicat Galenus, quia reperiuntur bruta deuorantia homines, & homines non deuorantes bruta.

Discrimen inter Gal. & Arist. Contradictio in Gal.

Sed notandum est, quod partes similares ex cibis secundum Aristotelem fiunt: at Galenus inquit, quod constent ex Elementis, & tamen prius cum Aristotele consentit: ergo videtur, quod sit contradictio: Sed soluitur, quia si modum compositionis consideremus, omnes partes similares ex cibis fiunt: at si resoluamus partes in sua principia, tunc

fieri videtur ex elementis, quia partes similares si resoluãtur, non in cibos, sed in Elementa resoluuntur, quare fiunt ex plantis animalibusq́; quia ex his animalia aluntur. si autem resoluantur, in Elementa resoluuntur, quare nulla est contradictio in Galen. colligitur ergo corpus humanum constare ex partibus instrumentalibus, quæ fiunt ex similaribus, quæ rursus fiunt ex cibis, & dicuntur simplices partes ac similares, quę primò componunt corpus: aliæ verò partes sunt compositæ, quæ ex istis constant, dicunturque dissimilares atq; compositæ & etiam organicæ vel organa, quia omnes artus sunt organa, manus verò est organum organorum. Plato autem ex Galeno lib. 1. de nat. hum. vocabat similares partes primo genitas, posteriores verò organicas vel dissimilares. Cum ergò institutum nostrum sit tantum de primis agere, circa ipsas primò proponam nomina quibus vocatæ sunt ab omnibus; secundò proponam eorum naturam, tertiò vsum multiplicem, quartò numerum difficultates tollendò contingentes circa numerum ipsarum: vltimò ad enumerationem vniuscuiusq; deueniam & naturam vsumq; eius proponam. Quamuis autem tractatio hęc summa sit, tamen ad anatomicum spectat, & ideò pro dissectione corporis humani in anatome hæc à me tradentur, quoniam ex sensu hoc est cognoscendum, non autem ex ratione.

Nomina partium similarium & organicarum varia.

Consideranda in tractatione partium similarium & ordo tenendus.

Primum ergò quo ad nomina Galenus appellat has partes ex Aristotele similares loco cit. Et lib. 4. meteor. Galenus verò lib. 2. de elem. cap. 1. & multis aliis in locis. Tertiò dicuntur partes primæ corporis humani secundum sensum, qua ratione reperiemus etiam spiritus inter has partes connumerari ex Hippocrate etiam, sed quoniam sensu hoc modo non cognoscuntur, ideò lib. 2. de elem. cap. 2. has vocat Galenus primas partes secundum sensum. Quartò vocantur simplices partes corporis ex lib. 8. de placit. cap. 4. & alibi: & ab Aristot. loc. citatis, non quia simplices sint, sed quia ad sensum earum compositio non paret, nec differentia, vt patet in osse aliisq; partibus. Prętereà quia ex his fiunt partes compositæ ac organicæ. Quintò dicuntur hæ partes elementares vel elementa corporis ex lib. 6. de sanit. tuend. cap. 2. & 6. capite libri de partibus artis medicæ, si liber ille est Galeni. Dicũtur autem elementares, quoniam ex illis constat corpus humanum. vltimò dicuntur solidæ partes ex libro illo Gal. denominato de Placit. Hippocratis vbiq;. Et hæc sunt omnia nomina, quibus donantur hæ partes.

Nomina.

De natura, Definitione & vsu partium similarium cum solutione difficultatum.

CAP. II.

QVo ad naturam partium similarium lib. 8. de plac. Hipp. cap. 4. dicit Galenus similares partes illas esse, quæ habent omnes partes inter se ac toti similes, ita vt si diuidantur partes hæ, omnia earum sint sibi inuicem similia, siue omnis earum pars sit omninò toti similis, vt si os magnum frangatur in plura frustula, ea sint inter se & toti etiam ossi similia. Hoc autem certius explicauit Auicennas fen. 4. lib. 1. doctr. 5. cap. 1. vbi dicit partes similares sunt illæ, quarum quælibet pars seorsim sumpta nomine & definitione cum toto communicat, ita vt quælibet carnis pars caro dicatur, & sit eiusdem naturæ, coloris &c. Quo ad vsum autem cum tot sint istæ partes, primus earum vsus proponitur ab Aristotele lib. 2. de part. anim. cap. 1. vt inseruiant sensibus, quoniam sine his non fieret sensus; quoniam si 1.
omnia composita essent, nõ daretur sensus ab aliis distinctus. exempli gratia, videatis oculum, cuius primum instrumentum est crystallinus humor: nisi enim similaris hic esset, non fieret eiusmodi visio, non tamen partes similares esse adeo simplices vt compositionem elementorum effugiant, sed dico simplices, quo ad sensum vt contraria percipiant. requirũt ergò compositionem ex elemẽtis, tamen habent vnam, & vniformem substantiam: requiruntur ad sensum & vsum. Secundus vsus est, quia ex his partibus constant organicæ partes 2.
variæ. Tertius vsus est ex Galeno lib. art. med. capit. 9. vt organa habeant regimen ex se nec 3.
aliunde defluat, scil. vt munia naturalia obire possint, sine aliorum auxilio: nã actiones voluntariæ aliunde fluunt, scil. à cerebro, quia partes igitur similares habent ex se insitam vim naturalem, per has conseruantur nutriunturq; partes organicæ. Sed est difficultas circa hoc, quam posteà proponam. Quartus vsus ex Aristotele est, vt sint hæ partes simplices 4.
alimentum aliarum partium scil. organicarum. & hoc verum est in via Aristotelis, quia ipse ponit humores inter partes simplices: verum est etiam in via Medicorum, cum ponant pinguedinẽ ac medullã inter partes simplices, ex quib. quandoq; fit nutritio ipsa. Quintus 5.
vsus est, vt sint veluti excrementa, sed quoniã hic vsus leuis est, ideò remanẽt tantum quatuor vsus iam enumerati. Dicebam autem circa tertium vsum esse difficultatem, cum Galenus dicat partes similares habere regimen ex se, sed contrarium dicit in libr. de placitis

Definitio ex Galeno.

Ex Auicenna.

Vsus partiũ similarium multiplex.

An partes similares habeant vim naturalẽ ex hepate an v. ex se.

expresse, vbi testatur hepar esse fontem facultatis naturalis, & ab ipso partibus aliis omnib. cõmunicari, & hoc est dogma Gal. à cæteris Medicis omnib. receptum: ergo partes similares non habent hanc vim sibi annexam. & Galenus sibi ipsi contradicit. & hoc exagitauit viros doctissimos ac multos, & res difficilior facta est. nam Aristoteles libro secundo, de anima sæpe dicit facultatem sentientem continere nutritiuam ac naturalẽ; ergo sequitur, quod si fluit ab aliis partibus vis sensitiua, ergo etiam ista naturalis. Secundo sequeretur quod amputata manus etiã posset viuere & nutriri, si à se haberet hanc vim. Tertio addatur ratio validior: Nam ipsa partium resolutio vel paralysis fit ex obstructione venatum vel arteriatum: Ergo non habent hoc ptincipium internum.

Rationes probantes ab alio facultatẽ habere.

Addatis similitudinem, quoniam videmus partes minoris momenti vim ad totum corpus transmittere, vt testes sunt: Ergo multo magis hepar hoc faciet, quoniam testes faciunt animal animosum robustumque: at si amputentur testes, fit effœminatum, vt patet in capis & castratis. Si igitur de quo minus videtur inesse & inest, ergo etiam de quo magis: sed testes, qui sunt minoris momenti ad totum corpus vim transmittunt, ergo magis transmittet hepar maioris momenti. At aliqui venerunt in hanc sententiam, vt vim naturalem in duas partes diuiserint, in facultatem scilicet quę sibi ipsi simile generat, vt cum caro carnem generat, & hęc est partibus similaribus insita, de qua Galenus locutus est; alia vero facultas est naturalis consistens in quatuor operationibus, quæ sunt attractio, retentio, concoctio & expulsio. atque de hac locutus est Galenus, quod ab hepate transmittatur. Sed isti decipiuntur; quia si caro ratione hepatis attraheret, ergo eodem modo attraheret, quo etiam hepar, quia non est dissimilis hæc attractio neq; similis, quia hepar trahit chylum, non autem sanguinem: Ergo neque partes similares sanguinem attrahent, & plura incommoda sequentur hac concessa opinione. Sed vna est ac eadem facultas ab epate transmissa, nam hepar trahit ratione similitudinis substantiæ, pariter istæ etiam partes eodem modo agunt, quo hepar, forma enim est, quæ attrahit, concoquit & expellit: Ergo forma cum sit in omni parte, hoc necessario agit nec ipsa aliunde deriuatur.

Solutio quorundam reiicitur.

...separ cuius ...s attrahat.

Sed notandum est ex doctissimo Actuario, non autem ex indocto illo & empirico Zacharia, in libr. de affectibus spiritus animalis habetur, quod partes naturales agunt propria forma ac cum instrumento quod dicitur spiritus animalis: nam hoc instrumento per propriam formam attrahunt, concoquunt & expellunt. & hic spiritus est immediatum instrumentum vis naturalis, & hic spiritus, dicit Actuarius, originem ducit vna cum forma ipsius particulæ, & ex eadem materia eodemque tempore fit, & Galenus etiam ipsum spiritum naturalem concedit hepar que huius fontem esse dicit. Hic tamen spiritus dissipatur ac resoluitur, ideo natura fecit fontem, vbi hic generaretur in copia, id est hepar, in quo generatur alimentum totius & spiritus iste naturalis, qui ad totum corpus transmissus ac partes omnes actiones illas facit: nam ex Galeno in libro de formatione fœtus ex semine plura fiunt membra, vt ossa, nerui, &c. & postea addita carne fit epar: cor & cerebrum & spiritus iste naturalis simul cum partibus generatur & ante generationem hepatis ex humido radicali: quare spiritus hic ab epate non procedit, cum sit cum parte genitus ante hepar. Sed hoc stante dico veram esse sententiam vtramque, scilicet quod partes similares regimen insitum habeant & subministrantur sibi postea restitutiones spirituum ac nutrimenti, & ita conciliantur loca ista & rationes facile dissipantur adductæ. Prima enim dissoluitur, quia Aristoteles noluit vim naturalem contineri in sensitiua, vt pars in toto; nec species in genere, sed, voluit quod omnis pars sentiens etiam nutriatur, & ideo vana est prima ratio. Secunda vero corruit vt falsa, quia pars nutritur, si habeat nutrimentum & spiritum ac calorem naturalem, hoc autem non fit, quia non sit ibi forma, sed quia deest nutrimentum & calor. Ad tertiam dico, quod vinculo atque obstructione prohibetur alimenti & spiritus transmissio. Ad quartam, quod testes nihil agant, & ideo similitudo nulla sit, quoniam testes agunt, quoties auferuntur siccando corpus, at hepar addendo agit: quare similitudo & leuis & clauda est: at si auferamus testes, corpus redundat excrementis humidis, vnde fiunt animalia effœminatiora, quare, &c. Quo itaque ad primam rationem siue argumentum de facultate sensitiua: quod continetur nutritiua in sensitiua respondeatis, quod hoc ideo fit, quoniam nulla pars sentiens vi naturali priuata est & ideo videtur nutritiua in sensitiua contineri hoc pacto. sed ossa nutriuntur, non tamen sentiunt, quare non omnino naturalis vis in sensitiua continetur, imo differentes sunt facultates.

Actuarii duo sunt. Partes naturales qua ratione agant.

Spiritus naturalis vnde fiat & quo tempore.

Fons spiritus naturalis

Solutio propria & reconciliatio.

Secundum argumentum erat de manu resecta, quod nutriretur quidem, si haberet instrumentum agens, scil. spiritum viuacem ac calorem naturalem: at hoc non potest fieri:

ſecundo non adeſt materia proportionata nutrimento & propterea nõ fit nutritio. Tertiũ argumẽtum erat de interceptis vaſis vinculis vel reſectis. Reſpõdeo quod ideo non fit nutritio, quia intercipitur materia nutrimenti & fluxus ſpirituum ab epate, nec tamen dicendum eſt, quod vis inſita non ſit in manu & eius partibus: ideo cum inſtrumentum intercipiatur, & materia, non eſt mirum, ſi nutritio ceſſat. Quartum argumentum fuit de minori ad maius ex teſtibus, qui aliquid facere videntur in corpore. Ergo magis hepar. dico quod teſtes aliquid agere videantur, non autem quod agant, ſed quia diminuunt euacuantq; excrementa corporis humida, & ſi ſecentur, animalia fiunt effœminata propter humiditates non attractas.

De numero Partium Similarium ex Ariſtotele, Galeno Auicenna, Cardano, Fernelio, Fuchſio & aliis probantibus compoſitionem non eſſe de natura inſtrumenti. CAP. III.

QVo autem ad numerationem iſtarum partium, ſciendum eſt difficilem eſſe earum numerationem propter variam ſcripturæ ſententiam & inconſtantiam. primo enim Ariſtoteles lib. 2. de partib. anim. c. 2. duas claſſes harum partium facit, primam mollium ac humidarum, alteram ſolidarum. inter molles autẽ partes primo enumerat ipſe ſanguinem, ſecundo ichorem, ſ. humiditatem tenuem omnium humorum, tertio adipem, quarto ſeuum, quinto medullam, ſexto genituram. cuilibet autem adiungit bilem, quæ prætermiſſa eſt à Gaza, deinde addit lac, vltimo vero carnem. hæ enim ſimplices ſunt molles & humidæ. Secundæ autem claſſis quatuor ſunt, oſſa, ſpinæ, nerui & venæ. at lib. 4. meteor. cap. 10. addit cutem, viſcera, pilos, fibras & ſimilia, lib. vero 2. de part. animal. addit etiam cartilagines, membranas, vngues & cornua. Has ergo nos partes in quatuor claſſes diſtribuamus, quarum prima ſit ex ſex illis primo enumeratis, ſecũdum genus ſit mollium, quæ ſunt pinguedo, medulla, caro & viſcera, tertia claſſis ſit neruus, vena, cutis, membrana, veſica & fibræ: quarta autem claſſis ſit duriſſimarum, vt oſſa, cartilagines, pili, vngues, cornua, pennę & ſimilia.

Numerus ex Ariſtotele.

Partium ſimilarium diſtributio in quatuor claſſes.

Auerrhoes autem 1. collect. capit. 2. & 13. has partes connumerans ponit oſſa, muſculos, chordas, neruos & alia, præterea phlegma, humorem melancholicum, ſpiritus, bilem & alia multa, quæ non addit Ariſtoteles. Auicennas vero fen. 1. libro primo, doctr. 5. capitulo primo diligenter quidem partes has enumerat, ſed tantum has ponit: primo os, ſecundo cartilaginem, tertio neruum, quarto chordam, quinto ligamenta, ſexto arterias, ſeptimo venas, octauo panniculos omnes, nono addit carnem, & ita nouem tantum facit partes ex quibus fiunt organa. Galenus vero varius eſt, & nullo in loco omnes enumerat. nam libro nono Meth. capitulo vltimo dicit tres tantum eſſe partes ſimilares, quarum primæ ſunt illæ, quæ habent ſubſtantiam fibroſam, ſecundo quæ habent ſubſtantiam membranoſam, tertio quæ habent ſubſtantiam carnoſam. non tamen eſt credendum, Galenum has omnes partes omiſiſſe aut non enumeraſſe; quoniam libro octauo de placit. capite tertio addit etiam oſſa & cartilagines, libro autem 1. de natur. humor. in præfatione addit pinguedinem & ligamenta, vt ſeptem ſint. Præterea libro ſecundo de element. capite primo & in libro de differ. morb. capite tertio addit venam & arteriam. Item in libro de inæquali intemperie addit duo, tendines ſcil. & vngues, vt & in libro art. medic. cutim & neruos. Sed notandum eſt, quod in codice latino nerui prætermittuntur, cum tamen ſint in græco; præterea in libro primo de temperamen. capit. nono, & libro de art. med. pilos addit. Opus ergo eſt, vt conſtituamus nos certum numerum iudicium afferentes de ſcriptoribus iſtis & etiam circa diſcordias eorum diſcurramus. Ego itaque ſum huius ſententiæ, quod omnes primarii autores iſti non ſibi contradicant, vt aliqui adiudicant. omitto tamen Auerrhoem, quem credo tunc fuiſſe ebrium, quia proponit muſculos à nullo alio propoſitos & ſpiritus, qui inſenſibiles ſunt, quare aberrauit in hoc Auerrhoes cum alias fuerit doctiſſimus. At Ariſtoteles exactiſſime enumerauit partes omnes ſimplices animalium perfectorum, & ſibi conſtat in ſuis principiis. Ariſtoteles enim proponens compoſitionem animalium dicebat primo vegetabilia componi ex elementis, ſecundo partes ſimplices ex illis componi, ex quibus tandem partes organicas. quare hęc eſt optima exquiſitaque doctrina; & hoc Ariſtoteles ratione materiæ & compoſitionis inueſtigabat. verum aliquis dubitare poſſet, cum quandoque & ipſe Ariſtoteles videatur inconſtans, quoniam interdum omnes enumerat, quandoque autem aliquas omittit: nam libro quarto meteor. capit. 10. duras tantum partes enumerat, non autem molles, ſed non eſt dubitandum, quoniam ille nihil prætermiſit. nam hoc fecit, vt dicunt omnes, quia

Defenſio aliorum autorum & reprobatio Auerrhois.

Dubium an Ariſtoteles fuerit incõſtans.

ad dictas referri possunt aliæ partes & secundum variam compositionem dicendi: nam loquens de partibus animalium, quæ terræ referuntur proponit duas tantum, ac in fine eius libri enumerat etiam partes molles, vt est sanguis, bilis, lac, genitura, &c. quare verissima est eius diuisio.

Indicium de Galeno.

De Galeno autem non est dubitandum, quin omnia rectissime enumerauit, non tamen vno in loco, sed variis, quia sibi Hippocratem sumpserat imitandum. Quare tres tantum corporis partes constituit, continentia, contenta & impetum facientia & ideo de istis Galenus sparsim tractat & ipsas enumerat, non tamen enumerat humores inter partes simplices, primo quia locum certum sortiti sunt, secundo quia corpus humanum non conformant vt partes similares faciunt & omnis conformatio à partibus similaribus fit, sed quia humores non conformant, sed ab aliis terminantur & non sunt nisi materia partium aliarum, ideo eos (humores) prætermisit Galenus, spiritus autem quia sunt insensibiles.

Cur Galen' humores nō ponat inter partes similares.

Differentia inter Arist. & Galenū de compositione corporis.

In libro autem de differentiis morborum capite tertio, constituit has compositiones in corpore humano primo ponens elementa partes primas, partes secundas & totum corpus, elementa sunt humores, ex quibus fiunt partes primæ corporis, ex quibus postea prima & secunda omniaque organa fiunt & ex his demum atque tandem totum corpus ipsum resultat: & Galenus ab inferioribus incipit & non vt Aristoteles, quoniam Galenus Medicus est & quasi Medicus Philosophum non profitetur propterea elementa vocauit humores, vnde sequitur, quod etiam Galenus has partes recte connumerarit. Auicennas etiam bene fecit, nec accusandi sunt autores: Possem enim ego accipere mihi vnam normam rectam & ad hanc omnes alias taxare, sed hoc non est pium, propterea dico, quod neque Auicennas errauit, omisit enim partes aliquas, quæ sunt veluti ascititiæ ac instrumenta nec corpus constituunt, vt sunt pili, cornua, &c. quare tantum necessarias enumerauit partes & sub nomine panniculi omnia, talis generis intelligit: Omisit præterea humorem crystallinum ac vitreum, quia sunt destinata vni organo & communes non sunt materiæ totius corporis; quare omnes isti autores optime enumerarunt. Verum ego dimissa Aristotelis enumeratione & etiam Auicennæ illam Galeni accipiam, circa quam magnæ sunt contradictiones, at cum semper de his eodem modo non loquatur quoniam ex simplicibus organicæ ac compositæ componuntur, quas tamen Galenus videtur confundere, quare proponamus nos hanc difficultatem maximam ab omnibus visam.

Indicium de Auicenna.

Contradictio à Galeno.

Primo itaque Galenus aperte in lib. de cib. bon. & mal. suc. capite quatto dicit, neruos partes esse compositas ex fibris. lib. autem 8. de placit. cap. 5. & lib. 8. de vs. partiū. dicit neruos ex triplici substantia consistere ac constare, videlicet ex cerebro, dura ac molli membrana & capite nono, art. med. dicit neruos esse instrumenta cerebro inseruientia, ergo necessario sunt partes compositæ & lib. 1. Meth. c. 6. dicit neruos esse instrumenta coporis, ac idem etiam de ligamentis confirmat, quæ constare dicit ex fibris & tamen ipsas proposuit inter simplices. Præterea 1. de motu musculorum dicit ligamenta & neruos constituere chordam, ergo sunt pars maxime composita, & tamē Galenus dicit chordam simplicem esse partem. Præterea in lib. an sangu. natura in arter. contineatur cap. 4. dicit cutim compositam esse ex neruis, venis & arteriis, ergo non est simplex pars sed composita ac dissimilaris. Item in libro de inæq. intemp. capite secundo, vult arteriam & venam esse compositam ex fibris & membranis, & cap. 9. art. med. vult esse partes instrumentales cordis & hepatis, quare maxima est contradictio in verbis Galeni; nam libro. 1. meth. cap. 6. appellat has partes simplices & in lib. de differ. morb. cap. 3. & 4. instrumenta: at in capite tertio enumerat venas, arterias & neruos inter partes simplices & in capite quarto, vult esse instrumenta prima: nam quatuor sunt genera instrumentorum: primum genus est simplicius, vt venæ; secundum minus simplex, vt musculus: tertium adhuc minus, vt oculus & digitus: quartum adhuc minus, vt totum caput & tota manus, & inter prima instrumenta enumerauit venas, arterias & neruos. Ergo partes istæ compositæ sunt, ergo maxima inconstantia.

Quatuor genera instrumentorum.

Possemus etiam addere alias partes, circa quas est difficultas, attamen quia refugium est ad peritonæum, ideo dimitto atque propositas tantum difficultates soluam, quibus solutis apparebit omnium difficultatum contingentium circa hoc solutio. Hieronymus Cardanus primo vidit hanc difficultatē & pro solutione inquit, quod partes variis modis componuntur, quarum vna prima ac vera compositio est, quando partes componuntur ex partibus variis substantia forma ac actione, vt est caput, in quo forma membranarū diuersa est ab humorum forma. Secunda species est in qua partes variant substantia & forma,

Solutio ex Cardano: & eius opinio de partium varia cōpositione.

forma, non autem actione, quia conspirant in eandem actionem, vt est oculi compositio: in hac enim secunda compositione partes variant substantia & forma, non autem actione, quia, vt dictum est, in vnam actionem conspirant. Tertium genus compositionis est quando aliqua pars est similis substantia ac forma, dissimilis autem in actione, vt sunt venæ & arteriæ, quæ ex iisdem constant, tamen actiones diuersas edunt. Quarta compositio est cum partes ex partibus componuntur eisdem substantia, forma & actione, vt sunt nerui, qui componuntur ex fibris in eandem actionem conspirantibus. Quinta compositio est, cum partes componuntur ex elementis vel veris, vt sunt aer, aqua, terra & ignis: vel analogicis, id est, quatuor humoribus. Iam ad rem nostram cum compositio habeat latitudinem & vna ad alteram relata simplex videatur, hinc est quod ad vnam respiciens Galenus has partes vocauit simplices, ad aliam vero respiciens dixit compositas, vt patet in omnibus istis partibus inducendo, quia simplices sunt quo ad primum & secundum genus compositionis, licet quo ad tertium, quartum & quintum sint compositæ, & tales dicantur, ideo Galenus non est accusandus, hæc Cardanus. Sed hæc eius solutio mihi non placet, quia cum dicimus has partes esse simplices, similares ac elementa, hoc ideo fit, quia diuiso corpore humano, cum ad has deuenimus nō amplius procedimus nec diuidimus: quod si vltra progrediamur, partes hæ non essent elementa, sed elementata, quare vanum est dicere, quod partes hæ simplices sint, quia non componantur ex substantiis diuersis, sed quia non possunt diuidi in alias, nisi corrumpantur. Alii dicunt, quod vocauit Galenus has partes quandoque simplices, quandoque compositas, nec tamen errauit, quia partes instrumentales consistunt in figura, ideo partes hæ quo ad figuram sunt instrumentales, at partium similarium natura consistit in substantia, quæ si considerentur sic, sunt simplices, & hoc probatur ex Aristotele in principio libri 2. de anima exemplo de securi, cuius figura tantum agit & dicit quod securis est per figuram securis, quæ figura si auferatur, non est amplius securis, & hæc opinio fuit doctissimi Fernelii, qui addit ex Aristotele libr. 2. de part. anim. capit. 1. vbi dicit, viscera composita esse, quia constant ex simili substantia & figura; at substantia non est de natura organi sed tantum figura; ergo tota vis organi consistit in figura, & idem dico de omnibus his partibus, quod ratione figuræ sint instrumenta, at ratione substantiæ similares sunt. Sed falsum esse dico, quod natura instrumenti consistat tantum in figura: nam Galenus libro 1. method. capite 6. dicit membranas oculi habere figuram & esse partem siue Particulas & tamen non esse instrumenta, ideo opinio illa meo quidem iudicio falsa est ac solutio vana, nec autoritas illa prima libri 2. de anima aliquid facit, nam dubium est inter expositores an figura sit forma & nolunt asserere figuram illam esse veram formam, sed vim quandam ex partibus illis resultantem. Præterea dico, quod etiam concesso figuram in artificialibus esse naturam instrumenti, tamen hoc negarem in naturalibus. Ad aliud vero libro secundo, de partibus animalium capitulo primo addatis aliud, quia inquit Aristoteles, quod constant ex multiplici ac varia figura, quia etiam partes simplices figuram habent, ex quibus multiplicibus figuris ac substantiis constant compositæ, & vena non habet multiplicem figuram, sed vnam tantum, & chorda eodem modo se habet ac reliquæ partes omnes.

Reprobatio Cardani. *Solutio ex Fernelio.* *Confutatio opinionis Fernelii.*

Alii vero volentes soluere vt Fuchsius & Syluius, Fuchsius quidem in method. & in libro de differ. morb. Syluius vero in 6. de compos. med. dixerunt quod datur duplex compositio, vna, quæ reuera est compositio & hoc modo partes istæ simplices sunt compositæ in sua natura, quia reuera ex aliis constant; alia est compositio, quæ spectat ad sensum, & hoc modo partes istæ simplices sunt & dicuntur, quia reuera ad sensum non apparet hatum partium compositio, & sic per ipsos tollitur hęc difficultas, quia partes istæ compositæ sunt in sua natura, simplices vero ad sensum. Ego autem vellem vt excepta cute ostenderent mihi vnam partem similarem, quia etiam ad sensum cognoscetur compositio & diducto neruo videbimus fibras, pariter tunicas in arteria, ergo falsa est ista solutio. Secundo dicunt pro tollenda contradictione inter organum & partem organicam ponendam esse distinctionem: vnde dicit Fuchsius, quod aliud sit organon, aliud pars organica, vnde cum dixit Gal. has partes esse organicas, non tamen dixit esse organanicas, quia partes in simplices diuidantur & organicas. Sed solutio hæc nulla est, quia debebat assignare locum, in quo definiret partem organicam, sicuti locum ostendit, vbi definit organum: sed Galenus idem per organon & partem organicam intelligit vt patet c. 3. & 4. libri de differ. morb. ergo remanet adhuc difficultas in suo robore.

Solutio Fuchsii & Syluii. *Confutatio.* *2. Solutio eorundem.* *Confutatio.*

Vt ergo per Galeni principia tollatur difficultas & contradictio hæc, primum constituendum est illud, quod Gal. per partem similarem semper intellexit illam partem, cuius

Contradictionum so-

Solutio ex propria sententia. omnes partes inter se & cum toto similes sint. Notandum etiam est ex libr. 8. de placit. cap. 4. quod simplex pats vocatur à Galeno similaris, non quia simplex sit, nam constat ex elementis ac quatuor humoribus, & hoc nouit Galenus dubio procul. Dicit autem simplices esse duplici de causa; prima, quoniam hæ partes non constant ex partibus secundum sensum existentib. diuersis ac dissimilaribus. Secundo appellat partes simplices, quia ex illis componuntur partes organicæ corporis humani. Hoc constituto tertium constituatis, quid sit organon & instrumentum ex Galeno: nam non omnis pars habens figuram est organica contra Fernelium alioquin doctissimum, quod ex Galeno & Aristotele comprobatum fuit, non enim cōsistit in multitudine essentia partis organicę, sed legatis Gal. lib. 1. meth. c. 6. vbi dicit, instrumentū appello partem illam, quæ animalis perfectam edere possit actionem: nec differt organum ab organica parte, & per integram siue perfectam actionem Galenus intelligit eam totalem perfectamq; actionem, quæ ab vna parte fit alia non concurrente, quia humor crystallinus solus visionem non facit, sed totus oculus totam visionem efficit & per se non concurrente alia parte; hæc natura est instrumenti, quam cum obseruo non inuenio in natura eius contineri aliquam compositionem, vnde etiam pars simplicissima si ederet actionem perfectā ex se non coucurrente alia, esset organica. Cum ergo organum in compositione non consistat, quod probatur etiam ex Aristotele lib. 2. de anim. à princip. vbi inquit illa organa esse, quæ sunt omni ratione simplicia, vnde colligitur organa quædam esse simplicia, vt sunt organa plantarum, quę simplicissima sunt quo ad sensum tantum, vt sunt folia plantarum, quæ tegunt, pariter tegumenta seminum. Addatis Aristotelem lib. 2. de partib. anim. cap. 1. vbi enumerans organa inquit constare multiplici substantia ac varia figura: & tamen dicuntur esse simplicissima & composita dici tantum ratione variæ figuræ aliarum partium, cum tamen substantia vna sit. Hoc ergo posito aliquis posset dicere aduertens, quod variat Aristoteles à seipso in eodem capite, vbi enumerat organa hæc, & vult organa hæc dissimilaria esse & composita. Addamus autoritatem Galeni libro primo de differ. morb. c. 3, & 4. qui videtur accipere pro eodem partem dissimilarem & organicam, vbi inquit organa dici composita & instrumentaria corpora, quæ constant ex simplicibus & similaribus: Ergo sequitur quod compositio est de natura organi. Ad autoritatem Aristotelis ego respondi cum dixi Aristotelem per dissimilaritatem duo intelligere: & eam, quæ est ratione substantiæ, quomodo similares sunt, vel ratione compositionis ex simplicibus habentibus varias figuras. & sic viscera dicuntur componi ex vnica substantia ac dissimilibus figuris. & hoc modo dissimilitudinares dicuntur, & hæc est Aristotelis sententia in illo capite & vera est hæc solutio.

Definitio organi ex Galeno.

Compositionem non esse de natura instrumenti.

Ad Galenum autem dico, quod hac ratione videtur accepisse pro eodem partem organicam & compositam, & hac ratione actionem factarum à partibus compositis tantum: vt plurimum enim actiones organicæ istæ perfectæ à compositis fiunt: ideo hac ratione pro eodem videtur accepisse organum & compositum, & hoc innuit ex modo loquendi, quia inquit ad compositum necessario sequitur organum, non tamen oppositum, scilicet, quod omnis pars organica composita sit. Ex his ergo colligo organum non continere multiplicitatem substantiæ, neque repugnat organo esse simplex, & hoc non aliter probo, cum ad sensum pateat. Confirmatur, quia neque repugnat naturæ partium similariū habere conditionem partium instrumentalium, quia excepto vnico omnes aliæ conditiones, quæ sunt in compositis partibus & organis, sunt etiam in similaribus: nam etiam partes similares compositæ sunt & quantæ & figuratæ sunt siue instrumentariæ, quia terminatæ sunt à termino proprio: & idem dico de situ ac aliis conditionibus.

Partes similares possunt esse organica.

Solutio contradictionis inter organum & similare. Hoc stante, dico Galenum dixisse bene, dum inquit partes illas esse organa & partes similares, quia licet organa sint, tamen possunt habere substantiam similē atq; actionem edere perfectam. Sed dicet aliquis, probo venam non esse partem similarem, quia quælibet pars venæ non est vena, vt si capiatur frustum venæ, non est vena neque habet definitionem eius: sed, domini, laboramus in æquiuoco, quia si quis imaginetur totam cerā orbis esse in hac schola & fiat canalis, tunc si accipiamus partem ceræ & dicamus, pars quælibet ceræ est cera accipiendo ceram pro canali, non valebit consequentia, at accipiendo pro totali ac pura essentia ceræ erit cera. Pariter si sic dicamus quælibet pars venæ est vena accipiendo venam pro receptaculo sanguinis, non valet argumentum: at si pro substantia ac natura venæ accipiatur, sic valebit: sed vena quandoque pro parte organica accipitur, vt scilicet continet sanguinem, talemque actionem facit, & quandoque pro substantia pura venæ. & Galenus quando dixit venam esse frigidam & siccam, loquebatur de substantia venosa; quando vero dicebat sanguinem deferre, ad totum, intelligebat de organo. Et hoc stante dico, quod quælibet pars venę est vena capiendo

Instantia.

Solutio.

Vena dupliciter accipitur.

piendo ſubſtantiam venoſam: non eſt autem verum capiendo venam pro organo. Sed dicet quis, ergo errat Galenus, quia vtitur æquiuocis & debebat cap. 3. loqui de ſubſtantia venoſa: ſed non errauit Galenus, quia ſecutus eſt antiquos, quos maxime veneratus eſt: & ideo cum illi ſic venam dupliciter acceperint, nec tamen nomine diſtinxerint, ideo etiam Galenus ſic vocauit, & hoc comprobatur exemplo in definitione morbi, vbi ipſum dixit non diſpoſitionem ſed paſſionem ex autoritate antiquorum. viderat tamen ipſe Ariſtotelem vocaſſe ſubſtantiam partium ſimilarium ſub nomine venarum, pariter vt organa eodem modo, ergo non errauit ſequens antiquos.

Solutio contradictionis inter ſimplex & compoſitum.

Supereſt autem ſcrupulus alter, cur nõ idem fecit in omnibus aliis partibus, vt in carne, pro exemplo, quia licet caro & reliquæ partes habeant vſum, non tamen habent actionem perfectam vt dicit Galenus libro decimoſeptimo de vſ. part. vnde inſcripſit libros illos de vſu partium, non autem de actionibus, quia non omnes agunt perfectam actionem. pariter patet, quod hæ partes compoſitæ ſunt & ſimplices nec contradicit ſibi Galenus in hoc, quia ex diſſectione hæc contradictio dirimitur, & Galenus per ſimplices partes eas intelligit, quæ non conſtant ex diſſimilibus ſubſtantiis, in quas vltimas reſoluitur corpus humanum, nec vltra datur progreſſio, & ſic iſtæ partes dicuntur ſimplices, quia cum ad has ventum fuerit in reſolutione corporis humani, non amplius progredi poſſumus. Sed neruum dixit compoſitum ex fibris non tanquam ex diſſimilibus ſubſtantiis, quia fibræ non differunt natura à neruo, ſed tantum ſitu: ſed quia neruus diuiſibilis eſt in fibras ſicut etiam lignum diſtinguitur in fibras. hoc autem non tollit ſubſtantiæ ſimilitudinem aut ſimplicitatem, quia libro quarto meteor. omne compoſitum ex elementis neceſſario habet meatus vel ordinatos vel inordinatos vt ſunt oſſa & dura pura; ſi ordinati ſunt meatus, diuiduntur partes iſtis præditæ, quomodocunq; quare neruus etſi compoſitus ſit ex fibris, id eſt, diuidi poſſit in fibras, non tamen ex illis conſtat, vt diſſimilibus partibus. & hoc idem dicatis de aliis partibus.

Quomodo neruus ſit compoſitus.

Sed quod neruus conſtet ex cerebro ac duabus membranis, non facit ad contradictionem, quia etiam componuntur partes iſtæ ex elementis, non tamen tollitur, quin ſint ſimplices, quia triplex eſt compoſitio, vt vidiſtis, & omnes hæ compoſitiones non ſunt eiuſdem generis, ſed duæ primæ ſunt mixtiones, reliquæ autem compoſitiones & non mixtiones, quia partes apparent, quare dico, quod neruus eſt ſimplex pars conſtans ex partibus ſimilibus, non autem diſſimilibus, compoſitione, quæ non mixtio ſit ac vnio ſed compoſitio: hæc mixtio eſt vera, quia non apparet compoſitio ad ſenſum, nec componentia diſcernuntur. Idem autem dicatur de compoſitione chordæ, quia compoſita eſt quidem per veram mixtionem ex pluribus, tamen ſimplex eſt quo ad ſenſum. Idem dicatur etiam de cute, quæ ex quinque conſtat partibus, & poſſunt hæ partes eius inuicem ſeparari, & Galenus ſe declarat libro primo de anatom. adminiſtr. & inquit, quod quandoque cutis capiatur communiter pro totius corporis tegumento, vt eſt illud, quod excoriatur & dicitur corium vel pellis, & hoc modo aggregata eſt ex iſtis: ſed Galenus cum dixit eſſe ſimplicem, intelligit cutim pro vera parte, quæ eſt ſub cuticula & dicitur vera cutis, & eſt ſine fibris & ſimpliciſſima omnium partium: cum vero dixit compoſitam eſſe, locutus eſt de primo modo dicta. Cum autem adhuc dixerimus quid ſit pars ſimilaris, quæ eius forma, quomodo differat ab aliis partibus, & quis eius ſit vſus, & etiam enumeratę ſint partes iſtæ, iam ad ſingulares deſcendamus à ſolidioribus incipientes.

Neruus quomodo ex cerebro & duabus membranis conſtet.

Chorda quomodo compoſita ſit.

Cutis quomodo ſit compoſita.

De Oſsibus quo ad eorum naturam, materiam, nutrimentum, cauſam, formam, vſum, definitionem atq; paßionem,

CAP. IIII.

INter ſolidas partes corporis humani, imo & cuiuſcunq; corporis pars ſolidior omnibus dicitur os ipſum, cuius natura explicanda erit cum per omnes eius cauſas, tum per vſum, videndum poſtea erit, quot differentiæ ac paſſiones oſſium. & in his capitibus omnis ſpeculatio oſſis continetur & adeſt. Geminam autem materiam oſſis reperio apud ſcriptores: altera eſt materia generationis, ſecunda vero eſt materia, ex qua aluntur ac reſtituuntur continue oſſa, cum continue abſumantur à motu, & requirebatur materia ex qua os augeretur.

Materia oſſis duplex.

De prima ergo materia videndum eſt, quænam ſit. hanc autem explicat Ariſtoteles libr. 2. de gener. animal. capit. 4. prope finem, vbi dicit ſeminalis materiæ duas eſſe partes, tenuiorem ex qua nobiles partes conſtant, vt caro aliæq; partes, quæ ſenſibus famulantur,

Materia ſeminalis duas partes.

alia vero pars est veluti excrementum huius ac crassamentum, ex qua fiunt ossa, s. ex spermatico crassamento. Quod autem hoc sit verum, patet ex lib. 4. meteor. cap. 10. vbi dicit, ossa sequi terram. ergo os ex parte seminis terrestri fit: quam sententiam sequitur etiam

Polibi sententia de materia offis.

Polibus in lib. de genitura, vbi dicit ossa fieri ex parte seminis dura, neque est, vt hic disputemus quid per semen intelligamus, an scil. semen mulieris, an sanguinem; sat est quod materia illa crassa seminis generet ossa, & hoc etiam probat Galenus & Plato, tamen aliquid est addendum ex Hippocrate in libro de carne vbi dicit, seminis partem crassam & pinguem esse materiam ossis: nam nisi hoc excrementum etiam pingue esset, non posset ex eo fieri os, quod probatur ex diuisione; nam hæc materia aut est terrestris adusta vel cum frigiditate & siccitate, vel cũ humiditate aerea; vel cum materia humida atq; aquea, ab exusto autem nulla potest fieri generatio ex omnib. philosophis, ex terra enim & igne nihil potest fieri, neque etiam ex terreo simplici generatio fieri potest, ergo nec secundo modo, neque ex terreo cum humiditate aquea, quia nunc fit materia viscida & tenax ex qua nerui fiunt & ligamenta, quæ non sunt ossa, ergo hæc materia non est apta ad generationem ossis. Ergo de necessitate est aereum humidum ac terreum, quod est pingue:

Cur natura ex materia aerea & terrea fecerit ossa.

Quare verum est quod materia ossis est terreum pingue, non autem materia exusta ab omniq; exspoliata humiditate. Cur autẽ natura ex hac potius quã ex viscida materia ossa fecerit, dico hoc factũ esse, vt ossa essent leuia & mobilia, quod videmus in animalib. osseis.

Materia nutritionis ossiũ duplex.

Nutritionis autem materia duplex est, altera remota, altera proxima ex 3. de fac. nat. cap. 15. & ex lib. 6. meth. & ex 2. de partib. animal. cap. 6. & lib. 2. de gener. anim. cap. 4. quibus in locis omnes probant hanc materiam, quæ est sanguis crassior ac terrestrior: materia autem proxima proponitur à Galeno tantum non autem à philosophis neque ab Auerr. hoc, & est medulla contenta in osse, & Aristoteles hoc nõ asserit, sed potius dicit medullam esse excrementum, quam nutrimentum ossium. Quod etiam confirmat Auerrhoes 2. collect. 8. & hinc oritur maxima dissensio inter Medicos & Peripateticos: sed quoniam mos est philosophis probare suam sententiam, primo ipsam probant, quia medulla est excrementum, ergo non est nutrimentum, quoniam nutrimentum est simile parti, at excrementum contrarium est: probant autem esse excrementum primo à similitudine, quia omnia excrementa habent suas cauitates, in quibus colliguntur, vt patet in vrina, fæce, felle, ergo & medulla cum cauitatem hanc habeat, est excrementum, & reliqua omnia nutrimenta sunt in substantia partium, non autem in cauitate distincta, vt patet in carne & reliquis partibus, ergo cauitates illæ sunt receptacula excrementi & non nutrimenti, quia nutrimentum est in substantia partis. Probant præterea hac ratione, quia omnia animalia excrementosa & frigida, medulla copiosissima abundant vt animalia longissimi somni; ergo medulla est excrementum ossis, sicut vrina est excrementum renum, quia habet meatus ad renes manifestos, vnde excernatur: ergo à pari idem de medulla dici potest, quia intimam ac manifestam habet cauitatem. Probant secunda ratione non esse alimentũ, nam alimenti propinqui natura est, vt facile fit transitus de alimento propinquo ad partem, cum alimentum remotum aliquam habeat contrarietatem, vt patet in alimento propinquo nerui, quod est sanguis crassior factus ac pituitosior: sic etiam medulla deberet esse similior ossi quàm sanguis, quia est nutrimentum remotum: nam medulla est calida & humida ex lib. 2. de parr. animal. cap. 2. & 3. ergo non est similis ossi, ergo non potest esse nutrimentum. Tertio probant hoc argumento, nam hoc dato, sequeretur, quod quo magis fieret nutritio, magis de hoc reperiretur nutrimẽto, at eo tempore, quo maxime augentur ossa, non est medulla, vel si quæ adest, parua ac pauca adest. Ergo non est nutrimentum, quia tunc nutritio fieret sine nutrimento propinquo: in animalibus enim paruis copiosius requiritur nutrimentum hoc, quia tunc crescunt animalia maximeq; resoluuntur, & tamen non adest medulla, ergo illa non est nutrimentum, quia tunc in pueris est in ossibus crassamentũ sanguineum nõ autem medulla. At si quis diceret hæc est medulla imperfecta, reflectunt isti, quod hoc est, quia ossa ex sanguine constant, & quia pueri sunt excrementosi, ideo medulla ista non est ita bene concocta in pueris: Ex his itaque colligere possumus medullam esse excrementũ & ita concludunt Peripatetici.

An medulla sit excrementum ossis vel nutrimentum. Opinio philosophorum, quod sit excrementum.

Opinio Medicorum & propria, quod nutrimentum.

Ego vero cum Medicus sim, partes Gal. tueri debeo, præsertim cum mea sententia talis sit, vnde primum confutabo sententiam Aristotelis & soluam hæc tria argumenta. Ad primum itaq; ego nego assumptum, quod medulla sit excrementum & ad probationem dico, quod plurima excrementa in cauitatibus continentur, non tamen in cauitatibus intimis partium: hoc enim nunquam reperietis in aliqua parte, nam vesica fellea non est in substantia hepatis, & vesica vrinaria est extra renes, fęces etiam sunt excremẽta ventriculi, attamen continentur in intestinis, non autem in cauitate ventriculi, quare non valet similitudo. Præterea cum dicunt animalia excrementosa abundare medulla, hoc non est ratione

one excrementorum, sed quia frigidiora sunt, nec viget in eis calor robustus: at animalia calidiora medullam nõ habent, vt leones sunt, qui non habent medullam? Sed ego respõdeo, hoc esse mendacium maximum, nam in leonibus nostris, ego sum testis, quod disse cui centum ossa leonis Florentiæ & inueni medullam. Nec valet consequentia quod animalia abundant excrementis, ergo medulla; nam excrementa faciunt calorem imbecillem, qui generat medullam; at cum imbecillis sit, nõ potest medullam in os conuertere, & moueor ad hoc, vt non credam medullam esse excrementum, quoniam nullum habet meatum, quo extra mittatur, vt habent omnia reliqua excrementa. Galenus autem in fragmento commenti in Timæum text. 5. docet, quosdam dixisse semen à spinali medulla destillare, quod falsum est. Alia ratio erat peripateticorum, quod medulla hæc non continetur in substantia ossis, sed isti sunt mali anatomici, quia ferè in omnibus ossibus medulla est in substantia ossis: nam in magnis ossibus adest cauitas distincta, in qua est medulla, at in reliquis omnibus medulla est in substantia, nec cauitas distincta est, & ad hoc agendum est coacta natura, quia sequestrauit nutrimentum ab ossibus, ne nimis augerentur & fierent magis dura ac nimis fortia. Secundum erat argumentum, quod si medulla esset nutrimentum proximum, esset magis simile ossi quam sanguis: dico autem ego hanc materiam medullæ esse terrestrem. at requiri præuias alterationes quæ à calore necessario fiunt, & ideo in ea imprimitur in ea vestigium aliquod caloris, tamen postea euanescit calor in generatione ossis ex medulla, & medulla illa est sanguis elaboratus, & ideo calida est dicta & humida ab Aristotele, quoniam habet multum aerem in se, tamen terra est & facile elabitur aereum & restat terreum, quod in os conuertitur. Vltimum argumentum erat de medulla puerorum; sed dico illam esse medullam non autem sanguinem concretum: & hoc videre poteritis domi, dum comeditis carnem paruorum animalium, quoniam illa medulla est rubra non autem sanguis & copiosa est in animalibus paruis, minima verò in adultioribus: Ergo si medulla esset excrementum, in senibus adesset in maxima copia, cum calor imbecillis sit, quod tamen falsum est, atque in minima copia in animalibus iunioribus, cuius tamen oppositum videmus ad sensum, & etiam animalia in principio sui ortus sapiunt generationem eorum & sanguinem, omniaque sapiunt sanguinem; Ergo non mirum, si medulla cruenta illa sit. Medulla itaque non est excrementum, quia necessario tandem vel semen esset excrementum medullæ, vel ex medulla ossa corrumperentur. Præterea in medulla habemus partes calidas & partes terreas, ex quibus fit ossium nutritio euaporato calido, & periculum faciatis, exuratis medullam & superponatis caminum, videbitis maximam fuliginem atque maiorem ex libra 1. medullæ, quam ex viginti lignorum & isti attramentarii fuliginem nigram colligere ex istis pinguedinibus solent, quoniam in maiori copia ipsam colligunt.

Cur natura sequestrauerit nutrimentum ab ossibus.

Medulla etiam in principio generationis rubra est, quoniam sapit sanguinem, ex quo factus est puer; sed concesso, quod sanguis sit necessario nutrimentum cuius loco succedit medulla, & ipsa erit nutrimentum, quæ ab his dicitur excrementum. & hucusque vidimus confutationem opinionis Aristotelis. Pro Medicis est ista ratio ex libro tertio de fac. nat. capitulo 15. omnia quæ nutriuntur, nutriuntur ex simili, quo stante reperio hoc non posse dici de primis cibis, quia nulla est similitudo inter carnem & os, vnum enim calidum est, & alterum frigidum: Quare aliud genus alimenti inueniendum est, quod simile sit & proximum, ergo requiritur præparatio materiæ ad hoc vt similis fiat, quare respondeo quod cibus atteritur & fit chylus, ex chylo sanguis, ex sanguine caro; caro igitur fit ex proprio ac immediato alimento simillimo. Cognosco igitur in medulla duas esse partes, aeream & terrestrem; aerea facile accenditur & euaporat, & relinquitur pars terrea, alba, crassa: & hæc est ossi ipsi simillima & sanguis melancholicus talis non est: hac ratione colligitur partem terrestrem & dealbatam esse nutrimentum proximum ossium.

Omnia nutriri ex simili.

Medulla duas habet partes.

Secundo video omnes partes habere proprium alimentum, caro nutritur ex sanguine, nulla est pars carnea qua puncta non fluat sanguis: idem dicimus de membranis & neruosorum omnium corporum substantia; omnes enim concedunt in neruis esse mucum quendam eorum nutrimentum proximum, & hoc peripatetici. Galenus vero vult mucum istũ neruis membranis obductum esse, quare neq; ossa alimento propinquo sunt destituenda, præcipue cum inter sanguinẽ & ossa multę necessario intercedũt mutationes & alterationes: Ergo si inter sanguinẽ ac neruũ datur corp⁹ mediũ, multo magis inter sanguinem & os, talis autem materia nulla est alia quam medulla. Tertio habeo autoritatem diuini senis, qui dicit ex parte terrestri seminis & pingui fieri ossa in generatione, si ex

Omnis pars habet nutrimentũ proprium.

tali materia constant ossa, ergo ex eadem nutriuntur; sanguis autẽ melancholicus talis non est, sed medulla pars est terrestris & pinguis, ergo ex eadem nutriuntur, & sic erit medulla ipsa nutrimentum proximum ossium. Ego itaque persisto in hac sententia cum Hippocrate & Galeno, quare proximum alimentum sit medulla in ossibus. & hæc de materia. Causa autem efficiens ossium proponitur à Polibo in lib. de genitura, qui dicit quod in semine est spirituosa substantia, quæ incalescit, & hic calor agitatus format omnes partes actuatas à calore vteri.

Causa efficiens ossium.

Plato etiam hanc causam efficientem in Timæo ostendens dicit Deum terram puram ac synceram leuemq; accepisse ac perforasse, & ibi imposuisse medullam, postea succendit magnum ignem ac siccauit bis aut ter infundendo in aquam & iterum igniendo. hæc similitudo sumpta est à fabris ferrariis, ex quo colligimus materiam ossis esse terram pinguem, causam vero efficientem esse calorem ipsum, & ossa cum maxime exiccata sint ab humido dissolui non possunt, nec à calore eliquari, de quo calore loquens Hippocrates dixit esse ætherium, immortalem & diuinum in lib. de carnibus, per quod calidũ spiritum intelligimus, an vero animã intelligat, difficultas est extra propositũ nostrum, quare ipsam relinquens dico quod causa efficiens erit spiritus ipse calidus. Aristot. vero lib. 2. de gener. animal. c. 4. appellat calorẽ insitum causam efficientem, quare non est aliud extrinsecum, sed spiritus in semine contentus calidus per se & actuatus à calore cœlesti. Verum Galenus lib. 1. de fac. nat. c. 6. dicit causam efficientem ossium esse spiritũ ac vaporẽ calidum aut ex se aut ex alio; ergo hæc non conueniunt, quia facultas est vis resultans ex commixtione ex lib. 1. de præsag. ex pulsc. 4. vbi vult temperiem esse substantiam partis, quare est contradictio. Sed in hoc domini, concordare possumus, quia facultas consistit in temperie & substantia eius est commixtio. verum omnium actionum instrumentum immediatum est spiritus & est corpus innatum ex illo temperamento proprio ex humiditate propria illius substantiæ, quare idem est instrumentum huius facultatis, scil. calor ac spiritus innatus. bene ergo dixerunt omnes isti. Colligamus igitur causam efficientem ossium esse spiritum & facultatem resultantem ex temperie. Quo vero ad formam ossium, hãc verbis explicare nescio, vti etiam non possumus in multis aliis rebus, vt in homine, cuius forma est anima, tamen vltra progredientes nihil scimus prætet reuelata nobis à Deo opt. Max. pluraque sunt corpora, quorum ignoramus formam. idem de ossib. Sed si ab vsu proprietatem aliquam accipiamus & dicamus formam, forma erit robur quoddam partium consimilium, neque vlterius vobis id explicare scio, & hoc ingenue fateor. Finis autem ossium & vsus ab Aristotele proponitur, vt molles partes sustententur nec collabantur. Secundus vsus est tutela partium nobiliorum ac principalium ex lib. 16. de vs. part. c. 10. & lib. 2. de part. animal. c. 4. Tertius vsus est ad commodum motum progressiuum: nam animalia ossa non habentia, nec aliquid loco ossium, difficillime progrediuntur, vt vermes, ex lib. 1. de vs. part. c. 12. præterea Aristoteles lib. 2. de partib. anim. cap. 8. dicebat ossa esse facta propter sensum tactus, sed quomodo? quia nõ habent sensum, sed seruiunt sensui, quoniam caro facta est ad sensum tactus, & cum comprimi non possit, nisi ab aliquo sustentaretur, ideo adiũcta sunt ossa & inseruiunt tactui. Addatis conformationem & figurationem omnium corporum: tota enim animalium conformatio & figuratio consistit ex ossibus; nam ablato aliquo osse, statim deuastatur figura ac conformatio, non sic autem ablata carne vel vena & aliis partibus. Ex his itaque colligatis talem esse ossis definitionem: os est particula similaris corporis animalis ex pingui terreo à calore genita, duritie & robore suo omnibus partibus corporis mollibus inseruiens, vel pro tutela vel pro sensu aut conformatione aut motu. Hæc autem ossea substantia habet passiones aliquas naturales, aliquas vero aduentitias; quæ aduentitiæ sunt passiones destruentes illas naturales. Prima ergo proprietas naturalis est durities pinguis, qua amissa dicitur os aridum, & exemplum est si os deradatur visu percipietis duritiem pinguem veluti seuum concretum & durum, neq; vllum aliud verius est exemplum. Secunda passio naturalis est albedo, tertia priuatio sensus, nam exceptis dentibus, de quibus est difficultas, omnia alia ossa sensu priuantur. Quarto ossa habent meatus varios & varios anfractus vel latebras, neque vnum os reperietis sine horum aliquo: Quinto addatis crustam quandã cartilaginosam in partibus extremis, quibus coniunguntur. Et Aristoteles lib. 2. de part. animal. cap. 9. hoc confirmat vt etiam Galenus libr. 11. de vs. part. cap. 18. Vltima passio est, vt exceptis dentibus, omnia ossa membrana quadam periostium dicta vestiantur, exceptis tamen partibus illis, in quibus adest cartilago, quæ passiones naturales, si disturbentur, faciunt passiones non naturales, & hæc de ossibus dicta sufficiant: & quoniam ossibus similes admodum sunt cartilagines, ideo de his capite sequenti erit agendum.

Forma ossium est ignota vt de aliis multis. Circumscriptio formæ ossium.

Vsus ossium varii.

Ossis definitio.

Passiones ossium.

De

De cartilagine quo ad eius passiones, loca propria, materiam, causam efficientem formam & vsum. CAP. V.

POst ossa succedit ratione similitudinis cartilago enumerata inter substantias similares, vt habetur in lib. 3. de histor. animal. capit. 2. & aliis in locis; Qua autem causa ita dicantur, non constat. Hæc autem pars ex libro 7. de vs. part. capitul. 3. & ex libro primo & 2. de temperam. est omnium partium præter os vnum siccissima & durissima: differt enim ab osse tantum ratione siccitatis & duritiei ex lib. 3. de histor. animal. capite 8. & ex 33. sect. problemat. 18. ex quibus locis habemus aridissimam hanc esse omnium partem præter os ipsum. Notandum est autem quomodo Galenus dixerit hanc partem esse sicciorem omnium membrorum tectorum cute præter os, nam vngues, cornua & pennæ sunt aridiores cartilagine, at cartilago durissima est omnium cute contentorum præter os. Cartilago corpus candidum est, durum minus quam os & gustui suaue in vitulis. *Passiones Loca cartilaginum.* Cartilago autem est in infinitis corporis particulis, in omnibus articulis circa thoracem: & fere nullum est organum sine cartilagine, quoniam etiam oculus habet cartilaginem in extremitate palpebræ: de hac ergo quæramus causam & primo materiã. de hac Aristoteles libro secundo de part. animal. capit. 9. dicebat esse eandem materiam, quæ est ossium, scil. crassamentum seminis & pars excrementosa, crassa & terrestris. *Opinio Aristotelis de natura cartilaginum.* Differt autem cartilago ab osse tantum secundũ magis & minus non quod eadem non sit substantia, sed quia cartilago illud habet admixtum, quod est in osse secretum, scil. medullam, ideo cartilago mollior est, & talis est differentia & causa materialis ex Aristotele. *Differentia inter os & cartilaginem.* quod his rationibus probari potest, quia natura necessario has partes molliores effecit, quia proprium cartilaginum est, vt sint solidæ semper: cum autem vellet hanc solidam efficere, coacta fuit medullam dispartiri per omnes ac singulas partes ipsius. Alia ratio est, quia videmus infinitas cartilagines transmutari in ossa. *Cur natura medullam in cartilaginem dispersit per totam eius substantiã.* si corpus enim humanum respiciatis atque conspiciendo consideretis, aperte videbitis vsque ad primum annum ossa non esse ossa sed cartilagines, processu que temporis fieri ossa. Præterea in quadrupedibus omnia ossa thoracis sunt cartilagines, non autem ossa, dimitto quod plurimi habent cartilagines gutturis conuersas in ossa & isti sunt graciles, vocemque habent sonoram & crassam, quare possumus colligere, quod eadem sit substantia ac materia ossis & cartilaginis & differant tantum secundum maiorem minoremque siccitatem: *Causa vocis sonoræ ex Arist.* at nos cum proposuerimus sequi Medicos, non possumus sentire cum Aristotele: & moueor hac ratione præcipue: *Opinio Medicorum & propria.* nam in semine excrementoso vnum exustum terreum adest, ex quo nihil fit: secundum excrementum frigidum est ac siccum, ex quo nullum animal fit, vnde relinquebatur, quod daretur terreum aqueum & terreum aereum & pingue. Supponebam autem ex quarto hoc excremento fieri ossa rationibus dictis. Præterea omnia tenacia ex terreo aqueo & viscoso fiunt, & cartilagines sunt huius generis. *Materia cartilaginis.* duplicantur enim ac non franguntur, quia ex tenaci materia consistunt. Si ergo cartilagines ex terreo pingui essent, ergo non possent duplicari sed disrumperentur: Galenus enim libro secundo de admini. anatom. dicit materiam cartilaginum esse tenuem ac viscidam, non tamen adeo viscidam ac tenuem vt materia ligamentorum, nec credo differentiam tantum consistere secundũ magis & minus & secundum admixtionem pinguedinis, quia si pinguedo esset cõcreta, frangerentur facillime cartilagines ipsę vt patet in omni pingui cõcreto, vt est seuum. Me mouet & alia ratio: nam istud contentum aut est excrementum vt dicit Aristoteles, vel vt alimentum: non vt excrementum, quoniam excrementum adeo non potest superare partem, vt mutet speciem eius, & tamen videmus ob hanc pinguedinẽ differre cartilaginem ab osse, ergo specifica differẽtia erit excrementum. Præterea hoc excrementũ tandẽ opus esset vt excernetetur, & hoc nunquã apparet, neq; continetur tantum excrementũ, quoniã quæro ab Aristotele, quando dicit medullã esse excrementũ, intelligatne alimenti vel materiæ generationis? profecto alimenti, quia hæc medulla non adest nisi post generationem: si ergo medulla est alimentum, ergo non erit in cartilagine cum generatur, ergo non reperitur in cartilaginis generatione, & sic non habebimus generationem in principio generationis, sed ossa, quod est absurdum. Neq; continetur pingue hoc in carne vt nutrimentum, quoniam medulla hæc si sit nutrimentum ossis & cartilaginis, non videtur iustum, vt nutrimentum immutet os in cartilaginem; quare moueor vt dicam, cartilaginis ossisq; non eandem esse materiam sed terream, aqueam ac tenacem.

Ad rationes vero pro Aristotele allatas respondendum est, quod ad primam dicatis quod Aristoteles quandoq; negligens fuit, & nisi talis fuisset, nimia fuisset hominũ superbia. *Ad rationes Aristotelis.* Si enim obseruasset animalia ac pisces cartilagineos, vidisset cauitates in cartilaginib᷒,

Aristoteles quandoque fuit negligens. vt in offibus in illisq; pinguedines. & hoc clarum est. Præterea multa officula habent hanc medullam in substantia, vt cartilagines, nec tamen cartilagines sunt, sed ossa, non tamen habent cauitates: similiter ossa capitis talia sunt. Ad aliam rationem de offibus ex cartilaginibus confectis solebam alias dicere, quod duplex est cartilago, altera cartilago in generatione dura existens, quæ in os mutatur, altera cartilago est, quæ semper talis est. Aristoteles autem de prima locutus est, nos autem de secunda intelligimus. At data hac responsione Aristoteles consequetur intentum, quare reliquum est, vt dicamus cartilagines differre specie ab offibus, sed aliquæ conuertuntur in ossa, verum per concoctionem. exemplum do, si lignum in aquis petrificantib. infundatur, in lapidem mutabitur; pariter corallum lignum est & fit lapis. Præterea al lago detto Rompageano prope Senam omnes iunci enascuntur iunci & fiunt lapides, & ego habeo domi de istis iuncis, quorum dimidium est lignum, reliquum vero lapis. Aristoteles autem huius rationem dicit, quia lignum putrescens amittit propriam humiditatem, & necessario sorbet humiditatem lapideam ex aquis & fit lapis. Et hoc cōprobatur, quia si cappares salitos in aqua maceretis, a qua fit salita, cappares vero insipidi: Ita etiam fit de lignis putrificatis & de corallo aliisq; similibus, quia hoc idem fit in cartilaginibus, quamuis cartilagines constent ex substantia dissimili offibus, tamen ex concoctione sæpe attrahunt alimentum offeum & tandem sensim ex alimento in ossa mutantur. probo autem hoc ex similitudine pulchra, quia Aristoteles non dicit vnquam eandem esse materiam chordarum & offium, tamen chordæ in ossa mutantur, hoc autem cognoscetis in perdicibus ac coturnicibus. Iuniores enim pedum chordas netueas habent, senes autem offeas: nec tamen dicendum est, quod chordæ ex iisdem constent, ex quibus os: pariter nec consequentia Aristotelis concludit, quod eadem sit materia cartilaginis ac offis, quare ego concludo cartilaginem differre specie ab offe, ex aliaq; procul dubio constare materia.

Cartilaginibus habent etiam cauitates. *Quomodo cartilagines vertantur quandoque in ossa.* *Lignū postum in aquis petrificantibus quomodo vertatur in lapidem.* *Chordæ perdicum & coturnicum mutantur in ossa.*

Eadem est causa efficiens cartilaginis atq; offis. Instrumentum proximum est spiritus ille complantatus vel calor innatus. Immediata autem materia nutrimenti proponitur in libro 3. de natur. fac. & est mucus quidam positus circa cartilaginem, quod respicietis in omnibus articulis, in quibus hoc alimentū immediatum circa cartilagines continetur, neq; positum est hoc nutrimentum in cauitate aliqua, vt hoc sit & nutrimentum & lubricamentum ad motum seruiens & ex attritione ista, quæ in motu fit, perficitur atq; concoquitur, & hac ratione potius extra quam intra existit. Causa vero efficiens est facultas cartilaginifica formatrix, existens in semine, quæ vtitur spiritu innato.

Immediata materia. *Causa efficiens cartilaginis.*

Forma autem non ita patet. sed dicamus esse duritiem illam tenacem similatem, esse proprietatem circumscribentem formam & flexibilitatem illam: os autem flexibile non est, at ligamentum durum non est; quare ex hac lenta tenacitate differt cartilago ab aliis.

Forma.

Vsus cartilaginis certus ac præcipuus est, vt cartilago subiret omnia munia duri corporis ac flexibilis, ad quod os aptum non est, quia durum nimis; neq; neruosæ partes, quia nimis molles & ad hunc vsum omnes cartilaginum vsus redduntur. hæc itaque erit definitio. Cartilago est pars similaris corporis animalis ex viscido terreo seminali à calore genita, sua lenta duritie corpori seruiens: addidi autem vocem illam seminalis, vt sciretis, hāc partem esse spermaticam, quia caro & pinguedo spermaticæ non sunt partes. talis itaque sit cartilaginis definitio. Ad cuius vsus deueniendo dico, quod primus (vsus) ex libro 2. de part. animal. cap. 9. & Auic. lib. 1. fen. 1. doctr. 5. cap. 1. quem confirmat Galenus lib. 1. de vs. part. cap. 5. & 12. eiusdem ca. 16. & iterum lib. 14. cap. 2. est, quod cum ossa coniungenda sint in extremis partibus, & timendus sit strepitus maximus impediens auditum & offium attritionem; natura ergo vt homo siue animal cōmode incederet sine attritione ac strepitu, accepit cartilaginem, atq; ossa ea illiniuit ad hoc incommodum & maximum quidem euitandum.

Vsus. *Quid cartilago.* *1. Vsus.*

2. Secundus vsus ex locis dictis est, quia natura volebat partes aliquas prominentes formare: ex offe ergo aut aliquo duro formandæ erant. sed non ex offe, quia facile rumperentur, ergo ex cartilagine confecit, quod indicatur ex naribus & auribus, quas possumus cōprimere & non frangere, semperque apertæ manent.

3. Addit Auicenna tertium vsum, cum natura posuisset partes molles supra ossa, cumque quandoque super illis esset decumbendum, tunc excitatus fuisset dolor, quod incommodum euitandum erat ex oppositione huius fulcimenti ac cartilaginis, quia flectuntur, vt apparet in fine costarum mendosarum, quare ne fieret in decubitu pūctio, has apposuit natura cartilagines.

4. Quartus vsus est, quia natura facere nunquam consueuit saltum ab excremento ad excrementum, ideo cum vellet coniungere chordas cum offibus, hoc fecit per medium cartilaginis, & in plurimis in-

ſertionibus ob id hæc cartilago inuenitur. Quintus vſus eſt, quia quandoque natura vult 5.
collocare muſculos in loco vbi non debent eſſe oſſa; ideo appoſuit loco oſſium cartilaginem, vt patet in muſculis inſertis in palpebris, quæ ſubſtantia cartilaginoſa dicitur *Ταρσός*, 6.
cuius etiam alius vſus & eſt ſextus annectitur, vt pili ſcil. ſemper manent recti in ſuperciliis, quia infixi pili in corpore duro ſemper exerti manent, vt exemplo patet pali in terra dura infixi.

Septimus vſus eſt, vt natura haberet, vnde faceret opercula, ne quid tranſeat in cauitatem aperiendam, qui vſus patet in faucibus, ne cibus in pulmones laberetur. 7.

Octauus vſus eſt cum natura vult copulare oſſa duo ſimul, nec tamen vult eſſe vnum 8.
vt in maxilla inferiori, quæ, cum naſcitur homo, diuiſa eſt, at in temporis proceſſu fit vnum os, quod natura ligat cartilagineo corpore, vt facit in oſſe pubis, quia inter os dextrum & ſiniſtrum poſuit cartilaginem. Addatis nonum vſum, qui eſt vocis formatio: nulla enim 9.
pars melior eſt ad vocem formandam, quam cartilago, ac ad omnem vocem proferendam: ſi enim oſſea aſpera arteria formata fuiſſet, vox ſemper etiam fuiſſet rigida. Addatis vſum decimum, vt ſcil. natura expleret articulorum cauitates, quod videbitis conſiderando genu viui ex genu ſceleti, in hoc enim deſunt duo cartilagines lunares vocatæ po- 10.
ſito in viuo replentes cauitates. Et tot vſus cartilaginis in corpore humano, qui tamen reducuntur ad illum poſitum in definitione ipſius cartilaginis.

Affectus autem cartilaginis pauci ſunt ex lib. 3. de hiſt. animal. cap. 8. vbi dicit Philo- *Paſſiones*
ſophus, quod in quadrupedibus cartilagines ſint integræ, at in piſcibus habent foramina. *naturales.*
Secunda paſſio naturalis eſt, quod ſenſu deſtitutæ ſint cartilagines ex lib. 12. de vſ. part. cap. 3. & ex libro tertio de hiſtor. animal. cap. 8. Tertia paſſio eſt, quod ſi cartilagines vlcerentur, difficillime ſanantur, veritas imo eſt, quod difficilius ſanantur quam oſſa. Quarta paſſio additur à Galeno ex Hippocrate quod, ſi frangantur aut minuantur, non amplius reſtituuntur, quod etiam erat in oſſibus; Hippocrates enim 2. de artic. 35. appellat fracturas vlcera cartilaginum, vt in oſſibus: ſed cartilago miſcetur cum ſubſtantia neruoſa & dicitur corpus nerui cartilaginoſum ex lib. 2. de adminiſtr. anat. cap. 12. & hæc ſubſtantia eſt dura, non tamen vt cartilago. Et hæc de cartilagine ſint ſatis, ſi per vos ipſos addideritis paſſiones non naturales ipſis appoſitas.

De Pinguedine, eius paſsionibus, materia, cauſa efficiente, natura, vſu, definitione & ſpeciebus. CAP. VI.

Reperio apud ſcriptores mentionem factam de axungia, adipe, pinguedine, ſeuo atq; *Varia no-*
medulla, quæ omnia nomina pinguedinem ſignificant vel corpus vnitum: aliqua vero *mina.*
iſtorum nomina particulares ſpecies ſignificant; tamen omnes hæ pinguedines in vnum *Pinguedi-*
conſpirant, de quo agendum eſt à nobis in communi. Quo ad eius naturam dicimus, quod *nis natura*
communis reuera eſt & in pluribus partuus mixta reperitur: ſimilaris etiam proponitur ex *eſt commu-*
libro primo de gener. animal. capitu. 19. quoniam minima eius pars talis dicitur & eſt, & *nis.*
ſemper requiritur, vt mollis ſit cũ natura ſua conſiſtat, quotieſcunq; eſt in animali adhuc viuente; ideo immutato ordine ab eius affectionibus incipiamus. Pinguedo itaque eſt *Paſſiones*
candidiſſima, & ex libr. 16. de vſ. part. cap. 2. nullo ſenſu prædita: nullus enim neruus *naturales.*
impreſſus eſt in pinguedinem, quoniam ſentire non debuit. Tales autem ſunt notæ hu- *An pingue-*
ius partis peculiares ex Ariſtotele, primo vt ſit excrementum partium corporis humani, *do ſit excre-*
id eſt, inter partes naturam excrementi ſapientes; quæ tamen conditio noſtris Medi- *mentum.*
cis non placet, nam ipſam non ponunt inter excrementa, quia dupliciter hoc intelligere poſſumus, vel ſcil. quod homo etiam ſine pinguedine exiſtens non mutet ſpeciem & viuat, vel qui ſit ſubſtantia contraria ac corpori inimica, ſed quomodocunque intelligamus. Ariſtotelis ſententiam, reuera mihi non placet. Nam ſi intelligamus excremen- *Opinio Me-*
tum eſſe primo modo pinguedinem, illud idem etiam dicendum eſſet de carne, quo- *dicorum &*
niam & caro decreſcit augeturque, ergo penes hoc eſſet excrementum; ſed dico partem *propria.*
eſſe neceſſariam, ſine qua homo non poteſt viuere, nec animal; poteſt quidem ſine multa pinguedine viuere, tamen à multa impeditur etiam, quod probo ex omento: Sunt enim quædam inſtrumenta ita ſibi aſcribentia pinguedinem, vt ſine pinguedine conſiſtere nequeant, vt eſt omentum: omentum enim tale eſt per pinguedinem. Præterea *Omentum*
vt probaui, cum hæc materia ſit nutrimentum immediatum oſſium; ergo ſi neceſſa- *tale eſt per*
ria ſunt oſſa, neceſſaria quoque eſt medulla; non tamen credatis Ariſtotelem motum *pinguedinẽ.*
fuiſſe ad hoc ſine rationibus: nihil enim dixit ſine forti ratione: vnde mouetur ipſe

Rationes pro Aristotele.

hac prima ratione ex libro secundo, de part. animal. cap. 5 & 6. quia vidit analogiam maximam pinguedinis cum excremento, vno enim aucto alterum diminuitur & econtra: Ergo pinguedo eiusdem naturæ cum illo excremento, quod est semen. Animalia enim multum pinguia parum seminis habent, at quæ habent multum seminis, nihil fere habent pinguedinis, quod patet in castratis, ergo pinguedo est excrementum. Mouebatur pręterea alia ratione, quia animalia omnia obesiora sterilia sunt, ergo pinguedo pars est inutilis ac excrementosa, & hoc probatur ex sect. 5. aph. 56. vbi dicit Hippocrates mulieres obesas esse steriles. Tertio mouebatur alia ratione quia scilicet videbat animalia pinguia ex pinguedine suffocari, vt patet in pluribus auibus. Addit quarto & vltimo, quia animalia pinguia ab omnibus habentur pro excrementosis, obeuntque sua munera pigre ac ignauiter.

Responsio ad rationes Aristotelis.

Et hæc sunt Aristotelis rationes, quæ tamen nõ demonstrant, & ideo possumus hæc argumenta vitare. Nam quamuis videatur proportio aliqua inter semen & pinguedinem etiam concesso hoc, quod ex eadem materia constet pinguedo & semen, quod tamen falsum est, quia semen constat ex materia eadem qua caro, nec tamen caro excrementum est, vt semen. Animalia vero coeuntia macrescunr propter calorem excitatum resoluentem corpus, & in his non tantum deficit pinguedo, verum etiam caro & partes musculosę, vt sæpe videmus, quare nulla est ratio & negatur consequentia concedendo quod materia pinguedinis deficiat ex calore excitato resoluente. Quando vero dixit Aristoteles pinguia animalia non esse apta ad prolem, hoc perpetuũ non est: quia ex Aristotele animalia cornuta ex pręgnatione pinguescũt, vt patet in pecudib. ac bobus, vnde in Hetturia interficiunt, bubulas prægnantes, quia tunc habent copiosum & fere infinitũ seuum, & tamen non corrumpitur fœtus ex pinguedine. Verum cum dicit Aristot. obesas mulieres steriles esse, legatis aphorismum & inuenietis, quod hoc fit ratione omenti, quod auctum comprimit vterum descendendo ad vterum, vsque vt restigeret quodammodo, quoniam nerueum est, non autem hoc fit à pinguedine: nisi enim omentum cresceret & comprimeret vterum, non fierent steriles.

Cur obesæ mulieres steriles sint.

Sed concesso etiam, quod mulieres pingues steriles sint, non tamen ex hoc inferendum est, quod pinguedo sit excrementum: Quia sterilitatis causæ sunt plures, inter quas est laxitas vteri, vnde semen in eo contineri non potest nec foueri neque formari, non tamen hoc fiet, quia pinguedo sit excrementum, sed propter mollitiem laxitatemque partis siue partium. Præterea concedo, quod animalia aliqua ex pinguedine suffocentur, hoc tamen non fit à pinguedine sed à sanguine etiam, vt patet in athletis, qui quandoque suffocantur, nec tamen sanguis est excrementum: Et si dicatur, sanguis abundans fit excrementum, à pari dicam pinguedinem nimis auctam ac præter naturam esse excrementum, non tamen naturalem, vt dicit Aristoteles. De ratione vero illa quod animalia torpida sunt, dico quod & aliqua pinguia agilia sunt, ac illa torpida talia etiam erant antequam pinguescerent; nam ex ignauia ac pigritia fit pinguedo, non autem econtra.

Materia pinguedinis.

Materia autem, ex qua pinguedo fiat proponitur ab autore incerto in libro de anat. viuorum, vbi dicit, quod in semine non habemus materiam pinguedinis, vnde colligitur, pinguedinem non esse spermaticam, vnde post formationem partium spermaticarum fit medulla ex libro secundo, de partib. animal. cap. 5. & 6. Materia autem pinguedinis est sanguis bene concoctus: nisi enim bene concoquatur sanguis, non fiet pinguedo ex lib. 3. de partib. animal. cap. 9. & lib. 1. de gener. animal. cap. 18. & 19. At si quis desideraret materiam proximiorem, videat Galenum in lib. 16. de vs. part. capite secundo, vbi dicit oleosam partem sanguinis esse materiam immediatam pinguedinis. & est hæc illa optima concoctio & Auicennas hanc vocat aquositatem vnctuosam fen. 1. lib. 1. doctr. 5. capite primo, ex qua fit pinguedo per optimam concoctionem: Nec dubitetis, quia cum ossa nutriantur pingui, immediate, cum terrestria sint, reuocetis in memoriam, quod medullæ duæ sint partes, aerea scilic. & terrea, & dominium est aereæ, vnde tota substantia aerea videtur: credo me hoc probasse, cum de metallis agerem, & potissimum agendo de argento viuo, quia ex centum partibus nonaginta nouem sunt terræ, centesima pars est aerea, & tamen illa sola pars aerea dat toti fluxibilitatem, quod fit à forma propria. Idem dico de pingui, in quo multa substantia gubernatur, à parte aerea. hoc patet per dissolutionem ex fuligine: nam exurendo, si terra sit bene mixta, non facit cineres, sed fuliginem & maxima apparet fuligo ex pinguedine exusta, & hæc pars aerea dissoluirur ab osse & cõ coquitur, nutriturq; ex parte terrea: quare nõ faciat vobis difficultatem aliquam, hanc substantiam esse terrestrem ac humidam, quia in omni pingui

Materia proxima.

An pinguedo fiat ex aquositate vnctuosa.

est

eſt maxima copia terræ, dominata tamen ab aere: & ſic habetis difficultatis ipſius reſolutionem.

Cauſa efficiens pinguedinis.

Cauſa efficiens pinguedinis ab omnibus Medicis eadem ſtatuitur: & eſt frigiditas partium. Cum enim pars hæc oleaginoſa tranſmittitur ad extra venas à partibus frigidis congelatur. At difficultas nobis accidere poſſet, quia ſi hoc eſſet, ergo in omni parte frigida eſſet pinguedo, attamen in capite non eſt pinguedo. Prærerea partes calidę nullam haberent pinguedinem; at circa cor adeſt pinguedo, & tamen cor eſt fons caloris, & adeſt pinguedo circa cordis baſin. Dico, vt etiam alias dixi, quod idem accidit in calore humano, quod in lumine ſolis: Omnes enim ſpecies ſine lumine communi non recipiuntur: at illud lumen non impedit nec corrumpit luminoſum, quoniam potius perfectiuum eſt; idem dico de calore naturali, qui non corrumpit partes aliquas, ſed perficit earum actiones: cum ergo calor cordis ſit veluti iſtud lumen, fit pinguedo, quia in baſi adſunt partes frigidæ, vt ligamenta & arteriæ & venæ & ita pinguedo non generatur à calore actuali cordis, ſed à frigore proprio partium illarum, qui à corde non corrumpitur ſed perficitur. De cerebro vero dico, quod natura nihil pinguedinis genuit in cerebro, quia inutilis erat circa illam partem. at in reliquis partibus, in quibus neceſſaria eſt, genita fuit pinguedo, non eſt ergo generata pinguedo in cerebro, quia fruſtra fuiſſet. Quare pinguedo generatur à frigiditate partium ſpermaticarum, quæ ipſa indigebant, ſed addatis, quod etiam requiritur ſiccitas concreſcere faciens hanc ſubſtantiam oleaginoſam ac humidum pingue. Dicamus itaque quòd idem accidit in calore naturali, quòd accidit in lumine, quod eſt cauſa vt ſpecies ſentiantur, nec eſt impedimentum ſed illuminat medium, nec contrarium eſt viſui, licet colores aliqui lumini contrarii ſint, tamen ex lumine non diſſipantur ſed perficiuntur. quoniam hoc commune eſt in natura vt faciat ad perſpicuitatem. Idem dico de calore naturali in actu, qui habet aliquas proprias temperaturas exiſtentes in partibus omnibus, at in aliquibus iſtarum partium ſunt temperies contrariæ, at ex hoc calore non deſtruuntur, ſed perficiuntur: quare calor in actu corruptiuus non eſt, ſed perfectiuus omnium actionum licet cõtrariarum. Quare circa cor cum adſint partes frigidæ & ſiccæ, ex illis fit ipſa pinguedo.

Dubium an pinguedo à frigiditate fiat.

Cur in cerebro nulla ſit pinguedo.

Cur circa cor adſit pinguedo.

Dubium de natura pinguedinis.

At oritur difficultas de natura pinguedinis, & dubitatio eſt antiqua ex lib. 2. de ſimpl. med. fac. cap. 20. & Curtius hoc diſputabat in anatom. ſupra Montanum, dum loquitur de pinguedine omenti, circa quam ponit primo autoritatem Ariſtotelis libro ſecundo de part. animal. cap. 6. & lib. 3. de part. animal. cap. 9. & Galeni in libro de element. vbi habetur, pinguedinem calidam & humidam eſſe. Poſtea Galenus libro primo de temperam. capit. vltim. & libr. 2. de temperam. cap. 3. dicit eſſe frigidam & humidam. Auicennas vero fen. 1. cantic. dicit pinguedinem eſſe frigidam; quare maxima eſt difficultas. Auerrhoes etiam 2. collect. capitulo ſecundo dicit eſſe frigidam & humidam: at 5. collect. 26. dicit eſſe calidam; quare varii ſunt autores varia dicentes. Sed, domini, veritas eſt hæc, quod pinguedo calida eſt & humida, neque debet eſſe dubium. Reſpondebat autem Curtius & inepte ex 5. collect. 24. quando Ariſtoteles, Galenus & Auerrhoes dicebant pinguedinem eſſe calidam, eos loqui de pinguedine eliquata, quando vero frigidam dixerint, de concreta verba feciſſe. Vnde ego deploro miſeriam illorum, qui ex ſuggeſtu docent, inter quos fuit Curtius & Montanus. Dico ego hanc ſolutionem illo indignam eſſe, neque credo eius fuiſſe; nam etiam ferrum eliquatum calidum eſt & humidum, at concretum eſt frigidum & ſiccum; & plumbum etiam. Sed dicebat Ariſtoteles, quod illa, quæ plurimum habent aeris, in ſe concreſcere non poſſunt, niſi aer ille in aquam mutetur, & ſic poſſint congelaſcere, quia aer nunquam congelabitur, & inde hæc ſolutio non poteſt elici, neque facit ad rem, quoniam non loquimur de liquata aut fluente ſed de naturali pinguedine. Loca autem, quæ ibi citat, ſunt falſa, vt eſt locus de temperamentis & Auicennas dicit eſſe calidam non frigidam. At Auerrhoes eſt contrarius ſibi ipſi, quare ipſum dimittamus ſuis interpretibus, quoniam reconciliare ipſum nequeo, vt verum fatear. Sed dico ex Ariſtotele pinguedinem eſſe calidam & humidam: & etiam ex Galeno libro ſecundo de ſimpl. med. fac. cap. 19. & 20. vbi hoc ex profeſſo docet: Ex loco illo etiam rationes elicere poteritis; inſuper etiam ex ſenſu patet eam calidam & humidam eſſe; nam ſi tangamus ipſam, humectat, nec tamen fluit: præterea calida eſt, quoniam eſt elaborata ab igne. Inſuper exuperat in ea aliquod elementum calidum. Quin etiã calida & humida eſt relata ad partes corporis, quoniam calefacit & humectat: Calida eſt etiam quia leuis albaque eſt ex libro 11. de ſimpl. med. fac. capitu. de pingued. vbi dicit quod calida ſit relata ad corpus humanum & etiam humida, quoniam ipſum calefacit & humectat.

Concluſio.

Vſus pinguedinis varii. Effectus ſiue vſus huius pinguedinis eſt, vt conſeruet mollitiem integram partium ſolidarum; humectãdo enim conſeruat hæc pinguedo neruos, arterias & venas & reliquas partes; quare finis communis pinguedinis eſt humectatio. Præterea eſt alimentum oſſium omniumq; particularum in defectu ſanguinis ex inedia malaq; nutritione. Alter vſus eſt, vt foueat calorem naturalem & illum exhalare non permittat.

Pinguedo quid ſit. Definitio autem pinguedinis eſt quod ſit communis ac ſimilaris pars corporis animalis ex oleoſa ſanguinis, non autem ſpermatis parte à frigido & ſicco partium ſpermaticarum facta, vt naturalem partium ſimilarium ſubſtantiam conſeruet.

Species pinguedinis. Quibus autem in locis reperiatur nunc dicam. Species ſunt innumeræ, quare vna dicitur adeps & eſt pinguedo mollis à Græcis vero πιμελὴ, quæ nomina nunquã Ariſtoteles confundit, ſed bene noſtri Medici confundunt. Sed notandum eſt ex lib. 3. de hiſt. animal. cap. 12. quod adeps non concreſcit nec adipoſa iura, at hoc videtur falſum, quoniã adeps ſuillus & gallinaceus concreſcunt; vnde ego ſemper opinatus ſum, q; loquatur per collationẽ non autẽ ſimpliciter, quoniam loquitur etiã de ſeuo, quoniam adeps non concreſcit adeo vt ſeuũ, quod facilime concreſcit, difficilime vero eliquatur. Secunda ſpecies eſt ſeuum, quod difficile eliquatur facile vero concreſcit facileq; frangitur. Tertia ſpecies eſt, ſic *Duplex medulla.* dicta medulla eſt quæ ſemper eſt in oſſibus. Sed notandũ eſt, quod duplex eſt medulla, alia vera exiſtẽs in oſſibus, alia vero ſpinalis, quę eſt medulla æquiuoce, & eſt ſubſtantia ipſiuſmet cerebri, à qua prodeunt nerui plurimi. & hæc de pinguedine dicta ſufficiant.

De carne, vtpote de eius nominibus ſpeciebus, definitione, generatione in vulneribus, de cauſa eius efficiente, temperie, facultatibus, qualitatibus, vſu, ſenſu, differentiis atque paſsionibus. CAP. VII.

Varia nomina. VT recte de carne agere poſſimus, primum tollenda eſt vocis ambiguitas: caro enim à noſtris dicta a Græcis dicitur κρέας ſiue σάρξ, lib. autem 10. meth. med. ca. 11. alibique reperietis carnem dici ſubſtantiam contentam in viſceribus, quę dicitur etiam παρέγχυμα ab Eraſiſtrato. Cum enim ſanguis extra venas exit, concreſcit & in hanc carnem conuertitur;

1\. *Species.* & eſt veluti ſucci tranſmiſſio, ſed de hac non loquimur. Eſt alia caro, de qua loquitur Ga-

2\. lenus ſępe, & eſt ſubſtantia glandulosa, quę quandoq; alba eſt, quandoq; rubra de qua etiã abſolute loqui nolumus, quoniã etſi ſimplex ſit, non tamen cõmune eſt elementum noſtri

3\. corporis, ſed propria glandularum caro eſt, vt illa viſcerum. Tertia caro eſt neruo rubicundior, quæ ſolet eſſe circa fibras vteri, ventriculi, inteſtinorum & veſicæ vrinariæ, & hæc à Galeno habetur lib. 2. de temperam. cap. 3. de qua etiam non agemus, cum non ſit

4\. communiſſimum elementum corporis. Quarto addatis aliam carnem à Galeno propoſitam loc. cit. etiam eſt ſubſtantia contenta inter fibras membranarum, venarum atq; arteriarum: nam inter fibram & fibram cadit caro venæ arterięque dicta, quæ creſcit atque minuitur. Hac autem in re ego quidem hæſito, cum videam Galeni autoritatem maximã, tamen ſenſu ignoro penitus carnẽ hanc, nec eam potui ſenſu nec etiã ratione inuenire *An reperiatur caro in venis & arteriis.* nam in vena nulla eſt pars, quæ fibra non ſit. Præterea in nulla caliditate conſumente corpus vidi venas adeo rarefactas, vt ichores egreſſi ſint. Si ergo in fibris mediis eſſet hęc caro, conſumpta ipſe ſanguis egrederetur, q; tamen nõ fit, quare hoc à diuino noſtro præcepto-

5\. re conſtitutum non eſt, neque ab Hippocrate nec à nobis cognoſcitur. Quinto addatis carnem aliam ex lib. 2. de loc. affect. cap. 2. quæ vulgo dicitur caro, & eſt tota pars rubida exiſtens in muſculis, de qua etiam non loquimur, quia compoſita eſt non autẽ ſimplex,

6\. nec elementum. Vltima caro eſt illa, de qua loquimur & eſt ſimplex ab aliiſq; partibus immunis & eſt pars mixta cum febris neruoſis muſculorum. Loquimur ergo de parte illa ſeparata ab aliis non quidem actu, ſed ratione: nullibi enim ipſa ſola per ſe reperitur: & hoc *Caro ſimplex & ſimilaris an reperiatur.* videtur ridiculum, quod velim ego agere de carne illa, quæ nullibi reperitur ſimplex, quæ eſt elementum corporis, & reuera non poſſem vobis eam oſtendere, ſciatis tamen, quod iſta caro, quamuis in generatione prima ſemper mixta ſit, tamẽ reperitur in corpore humano quandoq; ſimplex & apparet ad ſenſum, quando ſcil. ea opus habet natura & particulæ læſæ vt reſtituantur, ſtatim enim tunc natura ſubminiſtrat carnem, quam nos ſcimus eſſe veram carnem, quia ſcimus eandem carnem eſſe cum carne fibrarum, & habere eundem vſum, & ex eadem materia fieri atq; cauſa efficiente, ex quib. fit caro mixta aliis partibus, habet etiam eundem vſum, figuram, calorem &c. Ergo eſt eiuſdem ſpeciei. His additur autoritas Galeni lib. 3. meth. med. cap. 5. vbi dicit in viſceribus gigni eandem penitus carnem in ſubſtantia cum carne vulnerata: quare certo poſſumus carnem iſtã cognoſcere ſimplicem, quę communiſſimum eſt elementũ, ac nulla eſt in corpore pars, quę carne non indi-

indigeat: Est enim caro veluti municipium omnium partium similarium siue simplicium. verum Galenus dicit, quod non reperiatur per se ac separatum, & hoc intelligit in corpore sano existens; sed in vulneribus ac vlceribus ostendi potest. Præterea de elemento corporis agēdo cum Conciliatore possum dicere in differentia quarta, quod hæc caro reperiatur alicubi vt in præputio & gingiuis exterioribus, quare caro hæc sensibilis etiā potest dici. iam videamus quid sit. Autor libri definitionum medicarum dicit carnē concretum esse sanguinem, humidam & calidam mollitiem corpori exhibentem; quæ definitio carni conuenit, & etiam pinguedini; quare non est vera definitio carnis ipsius tantū, nam pinguedo etiam mollitiem facit, quare alia inuestiganda est definitio. *Quid caro secundum autorē definitionum medicinalium.*

Auicennas fen. 1. lib. 1. doct. 5. ca. 1. dicit, quod caro sit locorum vacuorum impletio, quæ in corporum medio consistunt, & ipsorum fortitudo, qua sustentantur; & hæc definitio quidem est huic nostræ carni communis & carni etiam viscerum, venarum omniumq; glandium, quare neque hæc est perfecta definitio nostræ carnis, quoniam hæc nostra non semper est robur partium ipsarum, vt est caro viscerum ipsorum, cum itaque sit definitio communis his omnibus, alia est inuestiganda. *Quid secundum Auicennam.*

Primum igitur si Galenum legatis lib. 11. de simpl. med. fac. & Aristotelē lib. 3. de hist. animal. cap. 2. habebitis esse carnem in omnibus sanguineis quorum elementum est commune vniuerso corpori non assignatum alicui particulæ. quāuis enim in generatione hoc non videatur facere, quia videtur collocata circa musculos, tamen si casu aliquæ partes detegantur, statim natura apponit resarcitq; carnem loco deperditi. Præterea ex Aristotele li. 2. de part. anim. cap. 1. & 2. colligetis carnem hanc esse substantiam similarem, cuius definitio cuilibet parti totius competit, humida etiam est substantia. Apud Galenum etiam habetis hanc carnem ex sanguine crasso factam esse ac replentem corporis cauitates, ex quibus omnibus colligenda est definitio vera carnis à nulloq; data: quæ hæc est. Caro est pars mollis, similaris toti corpori communis ex sanguine crassiore, cui assimilatur, facta, vt omnibus aliis particulis ad varios vsus inseruiat. In hac enim definitione habetis carnē hanc descriptam totam. *Ex Galeno.* *Ex Aristotele.* *Vera & propria definitio carnis.*

Proposita autem vera ac perfecta carnis definitione, videamus quænam vera sit eius materia, an scil. sanguis an aliud. Primum sciendum est, in carne duplicem esse materiam, cum duplici tempore fiat; primo quidem in generatione, scilicet in vtero ipso, quæ post ortum gignitur, augeturque vt patet sensui. Præterea vulnerantur partes, quæ hac carne resarciuntur: quare duplex est carnis generatio, in vtero & extra vterum. Aristoteles lib. 2. de generat. animal. capitu. 4. & Auicennas fen. 1. libro primo doct. 5. capit. 1. dicunt, quod materia, ex qua caro fit in vtero est syncera materia sanguinea: addit Auicennas, quod hæc crassior sit non autem tenuior. Galenus vero libro primo de sem. capit. 8. & 2. dicit ex duplici sanguine carnem fieri, ex sanguine crassiore venarum & ipsarum arteriarum. libro quarto etiam de vs. part. cap. 15. hoc confirmat, quare materia carnis est sanguinis menstrui pars crassior cum venarum tum etiam arteriarum; ex quibus vnum colligatis notandum, quod scil. menstruum non est ita malus humor ac corruptus vt dicunt aliqui, sed est excrementum bonum atque vtile; Caro enim ex syncero sanguine fit secūdum Aristotelem; non ergo ex corrupto humore; quare sanguis menstruus non est adeo malus, mala autem symptomata fiunt quandoque ratione eius retentionis, non autem malignitatis, quoniam conculcatur in venis vteri & putrescit, facitque mala illa symptomata; vnde illæ fœminæ, quæ facile purgantur, non ita patiuntur, imo nihil. Sed corpora etiam cacochyma habent mala menstrua, quoniam natura abutitur euacuatione illa, euacuatque plurimos humores peccantes, & si mulier prægnans sit, natura non transmittit ad vterum excrementa, sed vt plurimum per vomitum eiicit ipsa, quia singulis mensibus non purgantur, nec natura potest per eam viam expellere; Quod si fluant excrementa hæc ad vterum, fœtum corrumpunt aut segregantur à fœtu; non enim ex illo ipse nutriri potest. *Materia carnis duplex.* *Notandum de sanguine menstruo.*

Post generationem autem carnis materia ex Galen. lib. 3. meth. cap. 3. est bonus, purus concoctusque sanguis optime in venis atque arteriis contentus, ex qua materia locis citatis & in libro primo de sem. capit. 11. & 13. hoc fit. Quod si caro patiatur solutionem continui, agglutinatur, quia caro secta facile generatur repleturq; cauitas, quoniam abundat in corpore materia ipsa carnis, quod non accidit in aliis partibus; non enim adest adeo copiosa materia in corpore. Falsum enim est neruum ac os non restitui quin non adesset materia: nisi enim materia adesset, non fieret nutritio, nec auctio ipsa; sed non adest materia ita copiosa aliarum partium vt est ipsius carnis: requiritur enim copiosa materia. Quare duplex est materia dicta carnis, vt expositum est. De efficiente autem causa *Carnis generatio in vulneribus.*

Difficultas de causa efficiente carnis.

carnis difficultas est. Aristoteles enim libro secundo de gen. animal. ca. 4. inquit esse ipsam frigiditatem, & rationem reddes dicit quia dissoluitur à caliditate: & hoc est axioma, quod id, quod eliquatur à calore, concrescit à frigore, quod etiam confirmat Hippocrates in lib. de nat. pueri, dum dicit, quod descendente sanguine ex vtero fit caro ipso sanguine congelato atque incrassato à frigore, quare cum Aristotele concludit Hippocrates, vt etiam in lib. de carnibus dicens, quod frigidum cõstituit ac contegit carnem. Addatis Galenum in lib. de semine & lib. 3. meth. med. capit. 3. & alibi velle partes spermaticas frigidas & frigidas non spermaticas primo gigni & gignere etiam ipsas carnem; causa autem est facultas existens in semine. Consentit ergo cum Hippocrate, deinde vult Galenus à venis vteri transmitti sanguinẽ ad venas fœtus, à quo sanguine viscerũ substantia gignatur & caro; tũc ego quæro an hoc fiat ab vtero, & certe quod non, nec etiã fit hoc à facultate sanguinis, quare

Rationes, quod caro fiat a frigiditate.

oportet q̃ fiat à partib. spermaticis geniris, quæ frigidæ sunt: ergo à frigiditate fit caro. Præterea Gal. lib. 3. meth. med. cap. 3. loquens de carne substituenda in vlceribus dicit Medicum non posse substituere medicamentis carnẽ, quia hoc est opus naturæ, atque opus est naturæ subiectorum corporum, quibus substituenda caro est: Ergo &c. præterea libr. 1. de

Axioma Aristotelis.

sem. c. 11. dicebat quod omnes partes corporis habent vim gignendi carnem, ergo &c. At si quis negaret assumptũ Aristotelis, quod erat quicquid eliquatur à calido id concrescere à frigido & è conuerso. ego possum tueri Aristotelem dupliciter. primo etiam si sit falsum assumptum, tamen vera erit conclusio, secundo possum probare carnẽ eliquari ab igne; quare primo concedamus falsum esse assumptũ & dicamus, quod illę propositiones habent limitationem, & esse veras sententias in homogeneis aqueis & aereis, id est, quod cõcrescit

Concretio per congelationem fit dupliciter.

à frigore, liquatur à calido, & quod liquatur à calido, concrescat à frigido. amplius valent etiam in heterogeneis, dummodo valida fuerit mixtio: at in heterogeneis confusis & non bene mixtis non valet illa cõuersio, quia per congelationẽ à frigore fiunt geminæ concretiones; altera per compressionem & est vera concretio, quoniam omnis humiditas mutat substantiam & nihil recedit & nihil diminuitur, sed ex interminata fit tantum terminata, veluti in cera patet & terebinthina: altera vero fit concretio per expressionem, ita vt imminuatur quantitas in concretione per expressionem partium tenuiorum: prima conuersio fit in bene mixtis, secunda concretio fit in confusis & non bene mixtis.

Hoc stante dico quod corpora concreta per expressionem non eliquantur à calido, sed quæ concreta sunt per compressionem, veluti pinguedo, glacies & similia, cuius rei propono vobis exemplum, sanguis qui educitur ex venis & exponitur frigori, statim concrescit per expressionem. nam videbitis, quod tota aquosa substantia secernitur, tamẽ iste sanguis non liquatur à calido, imo magis induratur. idem apparet in oxygalacte & mel-

Melchaquo modo fiat.

cha Galeni, quæ fit per frigidum, cuius modus cõficiendi habetur apud Constantinũ Cæsarem lib. 10. accipiebat enim ollam nouam plenam aceto acerrimo, ita vt olla imbiberet acetum, postea imponebat lac exponebatque aeri frigido & lac concrescit; idem dico de luto concreto, sicut etiam apparet in marmore Tiburtino, qui quidẽ concrescit à frigido, tamẽ non eliquatur ab igne, quare cũ caro fiat à sanguine, in quo est materia heterogenea

Caro liquatur à calido interno immenso.

male mixta, potest cõcrescere à frigido, licet nõ liquetur à calido. Secundo dicamus carnẽ liquari à calore interno immenso, & nemo de hoc dubitat. Exemplo enim adsunt fluxus hepatici, in quibus videbitis Epatis substantiam carnosam liquatã, addamus in marasmo & hectica nonne manifeste eliquatur à calido p̃ter naturã interno? pinguedoq; à nimio labore exhalat p̃ vaporẽ & dissoluitur: non ergo pareat, non est dubitandum q̃ caro consumitur p̃ eliquationẽ vt etiam patet in exterioribus, quoniã si accipiatis carnẽ macerrimam

Caro cocta non est caro.

& apponatis igni, proculdubio egreditur materia eliquata ex vi caloris, quę materia nõ est, nisi substantia carnosa. Sed notandũ est, q̃ caro cocta nõ est caro, sed sunt fibræ, quibus alligatur aliqua caro, bene quidẽ remanent quædam partes, vnde rubræ factæ apparẽt. ergo

Rationes quod caliditas sit causa efficiens carnis.

clarũ est carnẽ à calido eliquari. His itaq; rationibus colligitur frigiditatẽ esse causam efficientẽ carnis; at in opposito est autoritas libri de anat. viuorum, vbi dicit autor ille, q̃ causa efficiens sit caliditas & siccitas: Auicennas etiam fen. 1. lib. 1. doctr. 5. cap. 1. dicit, quod caro ex sanguine gignitur spisso, qui à caliditate prouenit. Galenus vero in lib. art. med. ca. 9. dicebat quod inter partes, quæ principium habent, vnde à seipsis regantur, connumeratur caro; Ergo cum sit calida à calore gignitur caro, aliter non haberet principium, vnde se tueretur. Quod si demus, id est, carnem gignere, tunc de necessitate dicendum est, quod non vna sit in specie caro genita à carne cum carne genita ab osse, quod tamen falsissimum est, vt pateat habere eandem figuram, eundemque colorem; ergo &c. Vnde dicendum est,

Carnis temperies.

quod caro gignitur à caliditate. His dictis colligamus, quod concrescit à caliditate: & ita addamus, q̃ cum à calore naturali omnia fient in animali, quæ faciunt ad conseruationem

& ad

& ad generationē, ergo &c. Ergo paradoxū videtur dicere, q̄ caro gignatur à frigore, præcipue cū caro gignat carnē sua temperatura, quæ quidē calida & humida est. In oppositum vero si obseruemus, quod os facit, quicquid facit sua temperatura & faciat carnem. Vnde admodum difficilis videtur hæc res. pro cuius solutione cum ergo obseruo carnis speciem existentē in materia sanguinea, nā nihil aliud est, quā concretus sanguis, quæ caro habet caliditatem in se & humiditatem relatā ad temperatā cutim. Quando ergo debet fieri caro à carne ex sanguine opus est ad hoc, vt sanguis patiatur & paulatim alteretur à caliditate & humiditate carnis, donec sanguis conuertatur in carnē: at non potest fieri, vt sanguis fiat calidus ab ista carne, quoniā sanguis est calidior ipsa carne, quare cū caro sit minus calida & humida, nō video carnem posse alterare sanguinē ad calidū & humidū, quoniam, vt dixi, sanguis est calidior atq; magis humidus ipsa carne, nihil.n. calidius est ipso sanguine in corpore exceptis spiritib. Sed spiritus non componunt corpus. Præterea Galenus in lib. de sem. c. 8. dicit cor esse calidissimū, quia continet calidissimum sanguinē & lib. 1. de temper. inquit, quod partes exangues frigidæ sint. Præterea inquit eodē loco sanguis est humidior carne: Si ergo sanguis debet fieri caro, non potest fieri calidus & humidus à carne, ergo non potest fieri caro, tamē omnes restantur carnem gignere carnē sua facultate, quę est sua temperies, dicebamq; quod quamuis caro relata ad temperatam partē sit calida & humida, tamen relata ad sanguinem esse frigidā & siccam, nam vt generetur caro, oportet vtrā sanguine ablata sit nimia caliditas & humiditas: ergo à suo cōtrario: istud autē non potest fieri nisi à frigiditate, & siccitate, ratione qua caro agit in sanguinē ipsumq; vertit in suā substantiam, remittendo caliditatē & humiditatē eius, & sic cō crescit paulatim sanguis & fit caro ab ipso frigore; vnde venio in hanc sententiam, quod frigiditas faciat carnem saltem relata ad caliditatem sanguinis, namq; omnia ea, quæ sunt minus calida remittunt calidissimas res ratione frigiditatis: Ergo caro dum agit in sanguinem agit sua frigiditate, ita ossa possunt gignere carnem, quia omnia relata ad sanguinem dicuntur frigida. Sed est dubitatio circa hoc: nam omne agens ad aliquid agit ex propria natura, non videtur ergo rationale, quod ossa & reliquæ spermaticæ partes attrahant sanguinem pro generatione carnis, sed proprium nutrimentū deberent attrahere ac quid simile efficere non autem carnem ipsam, aut dicendū est materiam cum cognitione agere quorum vtrunq; absurdū videtur: sed dices nō posse fieri, quod cū os debeat agere propter se, si debet ab ossib. gignl aliquid, opus est vt gignat ex designata materia, ac materia ossium est medulla: idem dico de neruo. At si attrahunt ossa pinguedinem non facient carnem sed ossa, tamē videmus contrarium, quod os facit carnem; Quare notandum est quod omnes partes, dum aut tuentur se aut se ipsas restituunt, primo attrahunt materiam proportionatam; at cum illa nō adsit, attrahunt partem minus remotam, quæ, cum non adsit, attrahunt remotissimam, sicut soluens medicamentum attrahit primo humorem sibi familiarem, pôstea alterū remotiorem, tertio alimentalem humorem remotissimum, sicut etiam manifeste patet in plantis exiccatis, quia in defectu alimenti boni attrahunt salsuginē & humores malos; ita quando formatur fœtu fit q̄ determinatus numerus dierū ad generationē complendam non existente materia proportionali, malos succos attrahit. In ossib. autē adsunt intercapedines in quib. non adest caro, opus est ergo, cū ossa non habent partē seminalē, vt attrahant sanguinē, quia magis copiosus est. hinc est, quod ossa gignunt carnē ad sui conseruationem, ideo trahunt sanguinem, quia non adest materia magis sibi proportionalis, ideo valet, quod ista caro licet non gignatur ex materia peculiari partium frigidarum, non possit gigni ex sanguine, quia agunt propter sui conseruationē, Intelligatis tamē, quod frigiditas efficit carnē simul cū siccitate, quare cū sanguis materia carnis sit, qui frigidior siccior q; fit, quare sequi turnihil agere posse in sanguinē, nisi sit illo calidius; nulla autē pars est calidior ipso, quare si caro in sanguinem agit, per contrarias qualitates, scilicet frigiditatē & siccitatem aget. Quamuis igitur caro per exuperantiam calida & humida sit respectu cutis temperatæ, agit tamen in sanguinem se calidiorem ratione partium frigidarum & siccarum, quas in se habet & sic sanguinem concrescere facit. Præterea os generat carnem propria frigiditate ac siccitate, quare caro à siccitate & frigiditate fit: aliqua autem caro solidior est, vt quæ fit ab osse frigidiori, alia vero laxior facta à carne, quia nō est adeo frigida vt os, nec ita comprimit. Caro igitur & os respectu sanguinis frigidæ sunt partes: veni igitur in hanc sententiam, quod causa efficiens carnis sit frigiditas, sed sunt rationes Auicennæ in oppositum quia calore ac siccitate fiat caro.

An caro possit alterare sanguinem ad calidum & humidū.

An caro carnem generet.

Dubitatio: an os possit facere carnem.

Dico autem, quod si Auicennas intellexit de calore communi in actu existente dico quod sumus concordes in hoc & in siccitate, & hæc est causa communis & remota, quæ generat omnia & illustrat omnes facultates particulares vt virtutem ossificam

Solutio rationum in oppositum.

& alias. Si autem Auicennas intellexit de caliditate per exuperantiam atque propinqua, non possem ipsum defendere: ad rationem autem illam, quod à carne fiat caro & ab osse; ergo à contrariis causis fiat idem: respondeo, quod caro & os relata ad materiam alterandam, non sunt contraria, sed similia atque frigida, & ratione frigiditatis agunt in sanguinem, licet caro & os relata ad cutim contrariam sortiantur naturam. Ad aliam autem rationem, quod sequeretur carnem non habere regimen ac principium insitum, quod est contra Galenum, quia si caro à frigido fit, non poterit carnem generare, nec se tueri: caro ergo habet principiū insitum, licet fiat à frigido: & frigida ac sicca est si referatur ad sanguinem, quē infrigidat, comprimit & inspissat. Solutio ergo patet. Caro enim non differt à sanguine nisi per eliquationem & concretionem vel potius inspissationem factam à calore ipso naturali. Ad vltimam rationem, quod omnia fiant à calore naturali insito, dixi, quod multæ sint causæ, aliquæ communes, aliæ singulares; calor ille in actu causa est communis, & de hoc non est dubium, quod præest omnibus facultatibus corporis, tamen hęc causa sola non concurrit, sed etiam virtus carnis consistens in frigiditate & siccitate relata ad materiam. Ex his ergo colligamus, quod caro à frigore exprimente fit, non autem comprimente, secundo audiuistis quomodo caro à calore eliquetur: his ergo habitis alia inuestiganda sunt de carne. Vnde quo ad facultatem & temperaturam, cum caro sit sanguinea & mollis & calida & humida, si referatur ad cutim, quæ temperata est ex Gal. lib. 1. de element. secundum Hippocratem: caro tamen relata ad sanguinem, deficit à caliditate illa & humiditate, ac per exuperantiam calida est & humida, vt etiam dicit Galenus lib 1. de temperam.

Carnis temperatura.

Carnis facultas non habetur à scriptoribus.

Verum vis carnis & facultas alteratrix corporis humani ex ipsis autoribus non habetur: nam præter pauca dicta à Galeno in lib. 11. de simpl. med. fac. cap. 1. nihil habeo quid dicam, antiqui enim locuti sunt de carnibus vt alimētis: & locuti sunt antiqui de carnib. alteratis vel vstis aut aliter præparatis, vnde ex iis non possumus colligere vim carnis.

Quid sit agere à tota substantia.

Vsi sunt etiam antiqui carnibus agentibus à tota substantia, id est, ab insita natura quæ sub temperatura non potest explicari, quamuis ab ipsa fiat; vt cum dicimus carnem hepatis pastinacæ contra venena agere sua natura, virtus hæc ex temperatura fit, non tamen possumus aut scimus eam proprio ac manifesto nomine appellare. Vtuntur multi epatis lupi carne ad sistendum fluxum hepaticum, quod auxilium agit à tota substantia: non habeo igitur ab istis quid referam de facultatibus carnis: vidi tamen carnes omnium animalium præter carnem suis habere vim calefaciendi & siccandi, & habeo exemplum in acrochordonibus & verrucis, in quibus impono carnem vaccinam & eliquatur. Præterea dolor quandoq; sedatur à carnibus cum calore actuali. Præterea caro canina maxime detergit, aut quia nitrosa sit vel acida: sed acida non est, ergo nitrosa. Obseruaui etiā quod si coquamus gallum vetustum, fit ius nitrosum & calidum, ita vt soluat ventrem & exobstruat: vnde in gallo habemus partes spermaticas frigidas carnosasque: calidas, in quibus calefit ius. Caro autem humana debet dici temperata, quia non alterat corpus humanum, licet sit calida & humida respectu cutis: quare talis est facultas carnis.

Gradus caliditatis carnis ignoratur.

De gradu nihil potest dici à me. non enim ad tantam experientiam deuenire potui: scio enim dari gradus inter animalia, licet eos non cognoscam: hoc vnum scio, quod omnium animalium carnes prę ter piscium calidiores sunt & scicciores præter carnem suis:

Vsus carnis.

circa vsum autem Aristoteles dicebat quod caro genita sit; vt sensibus inseruiat recipiendo species tangibiles in sesesam ex lib. 2. de part. animal. ca. 5. Caro enim tacta statim sensum mouet. Sciatis autem reuera alia membra non habere sensum tactus exquisitum, vt caro & habentia carnem: nam tacto neruo fit quidem dolor, sed nerui non cognoscunt quid tangant, an durum sit an molle. Idem fit in chorda & cute & ideo nunquam fit vera sensatio tactus nisi ibi sit caro: & ideo natura cuti subiecit panniculum carnosum, & vna cum Aristotele consentio, quod sine carne non fiat vera tactus sensatio. Licet enim nerui doleant, non tamen exquisite sentiunt. Sed tamen non est credendum in carne esse vim sensificam: nam ex lib. 1. de vs. part. quælibet pars sentiens habet vim sensitiuam à cerebro: caro tamen præcipua pars est instrumenti sentientis tactum. Aristoteles etiam lib. 2. de partib. animal. cap. 5. dicit, quod sensatio fit in corde, à quo emanat vis sensitiua ad carnem & ita dentes habent imperfectum sensum, quia carne carent. Cognoscunt enim frigiditatem tantum & caliditatem, quia habent instrumentum afferens facultatem sensitiuam, non tamen carnem.

Caro sensum habet exquisitiorē quam aliæ partes.

Secundus vsus ex Auicenna est vt expleat cauitates partium earum, quæ primæ in generatione fuere & in visceribus in quib. caro parenchyma dicitur, quæ replet cauitates illas. Tertius vsus porissimus ex lib. 12. de vs. part. habetur. Caro. n. genita est inter fibras muscu-

musculorum, ne ipsæ fibræ lacerentur & rumpantur: addit enim mollitiem aliquam & compaginat; & ideo caro intestinis & ventriculo etiam donata est & vniuersaliter omnis pars mota motu locati (voluntario tamē) habet carnem in se, exceptis arteriis, quarum motus citra voluntatem fit.

Alium etiam vsum habet caro ob motum voluntarium, vt musculi possint se mouere: nisi enim esset caro, musculi non possent se mouere: nam etsi neruos mixtos habeant deficiente carne facultas non vigeret nec posset facere motum: nam eadem est facultas sensus & motus, differens tamen per magis & minus. Facultas ergo missa ad cutim & membranas affert sensum non autem motum, quia caro deficit in illis. at in musculis cum sit caro valida & multus calor fouet spiritum & facultatem & ad motum excitat, quod non fit in partibus carne destitutis & priuatis. Quintus vsus est, vt sit caro pennula & inuolucrum omnium partium & ista communis vestis omnium partium, quod quidem patet in vulneribus omnibus. Differunt autem hæ carnes ex multis, aliquæ ex coloribus ipsis. Præterea ex Aristotele libro secundo de part. animal. capite sexto carnes aliquæ molles sunt, aliæ duræ, & istæ vel comparantur inter genera animalium, vt caro leonis durior est carne bouis vel in eadem specie, vt caro mulieris laxior est carne viri: vel in eodem subiecto, nam caro cordis durior est quam caro hepatis. *Differentia carnis.*

Passiones carnis duplices sunt, propria autem vna est ex lib. 3. de histor. animal. capi. 16. quod caro dissoluitur vndequaque, & hæc habebat etiam pinguedo, diuiditur per longum & omni caret fibrarum ductu. Sed ibi deinde subdit, quod quando aboletur, diuiditur in fibras atque venas, quare hoc videtur cum prioribus pugnare, tamen Aristoteles id non vult vt sonant verba, sed q̄ cum in febribus sit carnis consumptio, apparent venæ & fibræ, quæ à neruis fiunt. Secundo caro ipsa multa vasa obruit, pauca ipsa vasa dilatat. Tertio caro ipsa facile restituitur ac regeneratur: quarto facillime agglutinatur caro ipsa & statim veluti cera agglutinatur simul iuncta, quod propriū est carnis ipsius post septimum annum. Patitur etiam alterationes varias secundum qualitates ipsas omnes: sed hæc satis sint de carne. *Passiones.*

De Neruo, eius natura, materia, ortu, specie, facultatibus, vsu & passionibus. CAP. VIII.

TRactaturi de neruis proponamus sententiā Galeni in lib. 1. de ossibus, neruum non vnam explicare sententiam sed multiplicem: primo enim neruus nuncupatur ille, qui volūtarius dicitur, secundo illud, in quod desinit musculus vnusquisq;. Tertio omne illud, quo conglutinantur ossa, & ligamentum appellatur. Hæc autem tria genera neruosa inter se differunt ratione quadā specifica. & ideo de his agentes primo de voluntariis neruis agemus, deinde de chordis, tertio de ligamentis. Dicitur autem voluntarius neruus, vt lib. 1. de motu musculor. cap. 1. eo quod cum neruo flectimus omnes partes & com. 1. in 6. epid. tex. 2. ab Hippocrate τόνος dicitur, qui sunt illi, qui tendūt musculos, videamus modo quid. Habemus ex Aristotele lib. 3. de histor. animal. c. 1. & etiam lib. 2. de part. animal. c. 1. & Gal. li. 1. meth. med. c. 1. quod neruus sit communis & similaris pars & q̄ sit sicca & solida & addit Gal. lib. 1. de plac. c. 1. oblongam esse partem, teretem albam atque factam vt subministret facultati sentienti. Ex his itaq; colligimus neruum esse partem exanguem, lentam ac similarē communemq; omnibus animalibus ad sensum perficiendum institutam. Quo ad materiam antiquiores vario modo sunt de ipso locuti, alii enim composuerunt tanquam ex substantia visibili, alii tanquam ex qua &c. Primo de substantia visibili sententia fuit Praxagoræ vt refert Gal. lib. 1. de placit. c. 6. qui volebat esse materiam arteriale sensim & sensim diuisam atq; exiccatā, quæ opinio quam sit erronea credo vobis planum esse ex anatome. Alia opinio fuit Erasistrati, vt habetur lib. 3. de placit. c. 3. qui opinabatur quod mēbranæ cerebri conuerterentur in neruos, sed cum vt testatur Galenus, pœnituerit eum huius sententiæ, non est vt ipsum confutē. Tertia opinio est Galeni lib. 8. de vs. part. c. 6. q̄ substātia sit alba, mollis, alia solida, alia adhuc durior; prima mollior est substantia penitus cerebri & medullæ spinalis, ideo dicit, quod à cerebro & spinali medulla suboriuntur propagines, quæ sunt substantia neruorum. Secundo cum cerebrum substantia tenui membranosa vestiatur, ista membrana inseritur cum neruo. tertio membrana dura pariter vestit neruos, ex qua sententia si talis esset, qualis est à me dicta, sequeretur, quod mendax esset Galenus: nam si secemus neruum, reperiemus esse similarē substantiam, totā fibrosam; totam lentam & albam excepto neruo visorio qui tamen est quid mixtum. Secundo falsum esset si connumeraretur inter partes similares, quia pars mollis nō reciperet eandē definitionē & nomen nerui cum parte dura: Quare opus est, vt intelligamus, quod neruosa substan- *Neruus quo triplex. Ordo tenendus. Quid sit neruus. Materia neruorum.*

tia sit mixta ex substantia quadam, quæ in similitudine correspondeat tribus illis substantiis, nam in neruo est illa substantia, quæ correspondet tribus illis substantiis. At dices quod negare videar ex cerebro non oriri neruũ, quod est contra omnes Medicos; dico quod quando autores dicunt, oriri hanc partem ab illa, veluti si dicamus venam cauam dissipari in paruulas venas, propter hoc vena caua non est materia tot venularum; sed intelligendum est esse principium omnium venarum, quæ sunt eiusdem penitus substantiæ. ita spinalis medulla coniungitur cum tot neruis, id est, præbet originem & principium omnibus neruorum propaginibus, quare quæ sit materia, Hippocrates respondet in lib. de carnib. & Galen. in lib. de sem. quod fiant ex parte seminis glutinosa & frigida, quæ à calore multo sit passa, non tamen exusta, nõ autem dicemus fieri ex sanguine menstruo, quamuis lib. 2. de generat. animal. cap. 4. dicat Aristoteles fieri ex parte excrementosa sanguinis, quia opus esset, vt requireretur aliquod refrigerans tanquam causa efficiens, sed Galenus dicit lib. 1. de sem. quod pars lenta & viscida seminis sit materia neruorum.

Instantia de materia neruorum.

Si quis vero dicat, quod lib. 2. de fac. nat. c. 3. dicat Galenus, quod os, venæ, arteriæ & nerui fiant ex sanguine reuera, respondeo tripliciter, primo, quod loquatur ad hominem quãdo dicit fieri ex sanguine, id est, de mente Erasistrati. Secundo respondeo ex ipso Galeno 1. com. de nat. hum. vbi dicit Hippocrates solum sanguinem esse hominem, Galenus dicit reuera id esse verum, quia quamuis plurimæ partes fint ex semine, tamen quia videmus opus esse, vt tot partes similares gignantur ex semine, quod in parua est copia, ideo dicendum est crescere sicuti semina in terra, quæ statim incipiunt ali, ita semen in vtero accipit augmentum à sanguine, ex quo postea semine aucto generantur partes omnes similares; quare primariã materiam neruorum esse semen dico. Tertio dico, quod Galenus dixerit fieri hominem ex sanguine, quia semen fit ex sanguine: verum multo magis placet prima responsio, quia reuera loquitur ad hominem, quia volebat disputare contra Erasistratum, quod causa efficiens partium esset interna: vt autem hoc probaret, assumit exemplum siue pro exemplo neruum fieri ex sanguine, ne noua suborta fuisset quæstio, atque vt ex dogmate eorum propositum probaret. Remota ergo materia est sanguis, proxima vero & immediata est pars seminis crassior & frigidior. Aliam cognoscimus materiam neruorũ, dum crescunt, quæ est quidam humor lentus, vt Galenus lib. 2. de fac. nat. dicit, qui quidem continetur in substantia ipsa neruosa & est immediatũ nutrimentum neruorum: & quamuis Aristoteles aperte hoc non ponat, tamen lib. 3. de histor. animal. c. 5. videtur hanc opinionem proponere tanquam receptam apud omnes.

Materia nutritionis neruorum.

Causa efficiens neruorum.

Causa autẽ efficiens quæritur quæ sit, in qua re non est dissensio, calorem nimirũ esse, quem Galenus dicebat esse facultatem neruificam resultantem ex temperatura illa & agit medio calore siccante materiam illam viscidam seminis, cuius nerui tales sunt facultates. Sed aduertendum, quod duplex est species neruorum; alter enim est neruus mollis, alter durus: molles sunt frigidi & humidi per exuperantiam; duri vero sunt re frigidi & sicci comparati ad partem temperatam. Sed facultas medica quæ est nihil dixere antiqui; tamen si volumus perpendere diligenter, certum est, quod habent vim siccandi: de frigeratione autem dubium est, quia multa sunt animalia, quæ sunt calidiora ipso homine; nerui quidem animalium homine frigidiorum procul dubio refrigerant. sed hæc leuia sunt.

Duplex species neruorum.

Facultas nerui.

Vsus.

Vsus autem est magni momenti; nam ex lib. 2. de partib. animal. cap. 4. habetur, quod facti sint ad deferendum sensum ad vniuersas partes. Sed modus qualis est; Galen. lib. 1. de sympt. caus. & lib. 8. de placit. supponit, quod neruus habeat eam substantiam proportionatam tribus illis dictis corporibus. vult enim quod habeat poros proprios, & sint repleti spiritu quodam, qui dicitur animalis, quem tuetur substantia nerui, & ipse spiritus est immediatum instrumentum facultatis animalis, quæ excitatur in ipsis spiritibus & transmittitur immediate & in instanti vsq; ad extremas partes; sed istam transmissionem interpretemur modo Aristotelis, id est, excitationẽ, quia fit in instanti sicut excitatur lumen in diaphano corpore. Ex hoc colligimus hanc facultatem non esse perpetuo in neruis, sicut species non est semper in luminoso corpore; sed perpetuo continetur spiritus: nam si non contineretur, daretur medium tempus inter voluntatem & executionem. Pariter si spiritus & facultas deberent transfundi; & hinc oritur maxima quæstio, an s. simul cũ facultate transmittantur spiritus, quam ego nunc bona fronte prætereibo. legatis pro ea Cardanum in tomo secundo quæstionum medicinalium contradicentium. Quare nerui sunt constituti ob sensum præcipue tactus, qui sensus fit excitata facultate à cerebro ad partes, excitatur autem, quia in neruis continentur spiritus, qui sunt apti recipere talem facultatem, qui spiritus non transfunduntur, vt dixi, ne intercederet tempus, neque de nouo gignuntur eadem ratione, sed cõtinuo ibi sunt spiritus, aut perpetuo sensim ac sensim manantes à cerebro,

Instrumentum facultatis animalis.

Quomodo deferatur sensus ad vniuersas partes per neruos.

cebro, aut quia in ipsis gignantur perpetuo, non refert. Cauitates autem neruorum sunt insensibiles, quia ea soliditate prædit i sunt, vt poros habeant, quia nullum est corpus mixtum, quod non habeat poros: nam si debet trasmitti alimentum, de necessitate dantur isti meatus, non autem continentur in fistulosis meatibus apparentibus, vt Galen. lib. 15. de vs. part. cap. 1. & lib. de sem. cap. 5. dicit, quamuis postea ipse in lib. de placit. & in libr. de oculis & in libro de loc. affect. testetur neruos visorios esse perforatos, tamen in hoc excitata est summa quæstio inter anatomicos & Galenicos: & reuera anatome & sensus non indicat istas cauitates, adest tamen dissimilitudo substantiæ. Exit enim quædam substantia lactea & spongiosa: vnde ego non solum credo verum esse quod dicit Galenus; sed quod insint meatus ac laxitates maiores, quam in aliis neruis, sed quod sint perforati, non dico, quia reuera canales non adsunt veluti venatum & arteriarum, sed bene dixit Galenus, si per meatus maiores intellexit minus latentes, quam in aliis. Ac si dices, qua ratione transfundantur ad oculos & non ad alias partes? credo quod visio non fiat, quia spiritus subito transfundantur ad oculos, sed quia transfunditur facultas quæ copiosa est, quia transfunduntur copiosi spiritus etiam quod non fiat visio. & hoc colligere possumus, quia pupilla dilatatur, quando altera cōtrahitur etiam quod sit suffusio in oculo: requiritur autem tam copiosa spirituum transfusio, quia in visione plurimi disperduntur. Secundus vsus est, vt faciant ad motum tanquam prima instrumenta, quia nos mouemus digitos; immediata veto instrumenta motus sunt chordæ, & vt musculi moueantur, sunt spiritus in causa: vis autem ista est eadem facultas transmissa & recepta in ipsis spiritibus, & talis facultas communicatur secundum Aristotelem in lib. 3. de hist. animal. cap. 5. & lib. 3. de patt. animal. capit. 4. à corde, quia in corde sunt aliquot nerui, qui sunt principia istorum neruorum. In oppositum autem est tota schola medica & anatomicorum, & ego sentio deceptos omnes esse Aristotelicos in cognoscendo rem ipsam, quia omnes nerui à medulla spinali originem ducunt aut à cerebro: merito ergo inde accipiunt istam facultatem. At quomodo fiat motus, non ita explicatur ab autoribus; omnes enim volunt, quod musculi se ipsos moueant & contrahant suas chordas, sed quomodo, difficillimum est scire. Ego vero sentio, quod per facultatem transmissam ad musculos illuminantem spiritus animales, qui sunt in neruis, fiat quædam agitatio spirituum, vnde agitentur quidam vapores calidi commixti cum carne musculorum, quia vaporibus agitatis & concitatis de necessitate moueant sese tales musculi, quasi fiat in ipsis quidā æstus, suoq; calore turgeat ipse musculus, vnde contrahat suas chordas, vnde omnes musculi habent carnem.

Omne corpus mixtum habere poros. — *An in neruis visorio sit cauitas.* — *An visio fiat ex subita transfusione spirituū ad oculos.* — *2. Vsus.*

Tertius vsus, vt ipsi nerui percipiant propria damna, non enim solum constituuntur ad recipienda obiecta exctementa, sed vt etiā percipiant intrinsecam noxā, veluti putredines & grauitates: scio autem hunc posse referri ad primum vsum, tamē quia hoc nō est obiectum extrinsecum, ideo hoc modo distinxi.

3. Vsus.

Habent nerui suas passiones, quatum prima est illa, de qua Aristoteles lib. 3. de histo. animal. ca. 5. vt semper secundum longitudinem sint diuisibiles, quia omnes sunt per longum dispositi. Addit Galenus lib. 1. de mot. muscul. cap. 2. & lib. 1. de sem. capitulo quarto quod etiam in membranas & tenuissimas fibras diuidi potest, quod tamen fere idem est. Addatis quod hæc substantia duritie prædita est, inter se vero differunt secundum magis & minus respectu carnis & pinguedinis. Addatis quod est compactum & solidum corpus quamuis habeat meatus. Præterea addatis, quod exangues penitus sunt, vnde appellabant isti cutem neruum sanguineum, quia habet capillamenta venarum plurima. tamen notandum est, quod circa primas vertebras ceruicis sunt aliquot capita fibrosa, quæ videntur carnes callosæ, tamen sunt substantiæ neruosæ, ista autem corpora quandoque rubra sunt, & hoc credo prouenire ratione alicuius commixtionis cum sanguine, quem sanguinem neque compressione neque alio modo exprimere possumus. Quinto quod sunt ductiles, quamuis sint sicci ex libro 2. de gener. animal. capitulo quarto vbi dicit esse gratia alicuius, id est, & partes ipsæ, quæ debent flecti, possint flecti sine noxa neruorum ipsorum.

Passiones neruorum.

Sexto perpetuo habent hanc figuram, vt teretes sint & veluti orbiculares; septimo quod habent exquisitissimum sensum, id est, quod exquisitissime dolent & percipiunt noxam, tamen non exquisite sentiunt, quia non potestis respondere de qualitatibus sensibilibus; quia non sunt vera instrumenta sensus tactus: cutis enim extrinseca exquisitius sentit. Vltimo si incidantur, non coalescunt ac si comminuantur, non restituuntur exceptis puerulis ante septimum annum. & raro hoc fit: an vero hoc fit verum, inferius dicemus in tractatione de ligamentis.

De Ligamentis, vtpote de eius nominibus, definitione, materia generationis & materia nutritionis, forma, causa efficiente, temperatura, facultate, vsu, passionibus & dubitationum solutione. CAP. IX.

Nomina. Ligamenta sunt secundum genus neruorum, & teste Galeno lib. 15. de vs. part. cap. 5. ab Hippocrate ligamentum vocatur σύνδεσμος, quandoque vero ab Aristotele libr. 3. de histor. animal. cap. quinto, vocatur neruus, & à Galeno lib. 15. de vs. part. capite primo, dicitur neruus colligans. Sciendum tamen est, quòd talis substantia ligamenti, quamuis per se vna sit & simplex, tamen aliquando habet admixtam cartilaginem, de qua tractatum est, vnde componitur quoddam corpus quasi mixtum, quod in libr. 2. de administr. anat. cap. 10. à Galeno non solum dicitur neruus cartilagineus, sed etiam appellatur ligamentum nerui cartilagineum, ac lib. 1. de temper. appellatur à Galeno χονδροσύνδεσμος, id est,
Duo genera. neruosum ligamentum. Duo ergo sunt genera ligamentorum; primum verum & syncerum est ligamentum, de quo nos modo tractamus; de secundo vero, id est, de composito non agemus, sed de primo ac simplici tantum. videamus ergo, quid sit istud primum ligamentum.

Primo in natura ligamenti positum est, vt pars lentissima & tenax; præterea exanguis
An ligamenta habeant sensum. omnino est & sine sensu, & quamuis Vesalius præceptor meus & alii etiam aliquo prædita esse sensu videantur sentire; tamen sciatis, quod reuera non habent sensum; membranulę enim quædam sunt illę neruosę, quæ dolent: præterea sunt instituta, vt omnes corporis par-
Quid ligamentum. tes colligent, tam duras scil. quam molles. Quare ligamentum est tenax pars, lenta similarisque, expers sensus & exanguis à natura facta ad colligandas omnes partes corporis duras simul & molles, quæ duris hærere debent. & hæc est definitio ligamenti. Exanguis est vt lib. 1. de vs. part. cap. 17. Quod autem nullum habeat sensum, patet experimento: pariter nullum motum per se habet, vt à Galeno habetur lib. 1. de vs. part. capit. 17. quia ligamenta nascuntur ab ossibus & cartilaginibus atque in eadem desinunt, quæ sensu priuata sunt, Ergo &c. Secundo quia non oriuntur ligamenta ab aliquo principio sensus & motus: tertio, quia non habent transmissa instrumenta sensus vt lib. 16. de vs. part. cap. 2. habetur; vbi dicit, quod nullus neruus transmittitur ad ipsum ligamentum à cerebro vel à spinali medulla. videamus modo causas ligamentorum.

Materia ligamentorum duplex. Materia ligamenti duplex est; materia, ex qua conflatur, seminalis est, eadem fere penitus, quæ est neruorum: Et primo de materia seminali sciatis, à materia neruorum differre tantum secundum magis & minus: quicquid enim est in semine lentum & tenax, est materia ligamentorum ex lib. 1. de sem. cap. 10. ex eadem enim materia seminis terrestri natura fugit sanguinem & facit medullam: ex materia autem lenta & tenacissima fiunt periostia circa ossa & ligamenta; ex materia vero terrestri & atida, quæ restat, fiunt ossa. Materia vero, qua augentur & nutriuntur ligamenta, proponitur à Galeno lib. 3. de fac. nat. capite vltimo. & est mucus quidam lentus, qui semper apparet circa ligamenta ipsa.
Forma ligamenti. Forma autem ea est, quæ dicta est iam in definitione. Causa efficiens est calor ipse & fa-
Causa efficiens. cultas ligamentifica, eadem fere quæ neruorum, quæ resultat ex temperatura elementorum.

Temperatura. Temperatura ligamenti est, vt frigidum & siccum sit; & frigidius & siccius est ipso neruo, minus tamen frigidum & siccum, si comparetur ad cartilaginem. ideo Galenus lib. 1. de temper. cap. 9. & lib. 13. de vs. part. collocabat ligamenta inter neruos & cartilagines; alio vero loco inter chordas & cartilagines ponebat, quod non refert: chorda enim fere eadem est, quod neruus, ligamentum autem id mixtum ponendum est inter ligamentum
Facultas medica ligamenti. purum & cartilaginem ipsam. Facultas vero medica quamuis non proponatur ab autoribus, tamen dubium non est, quod refrigerent & siccent: & hoc verum est in omnibus animalibus, nisi dicamus, quod in animalibus calidioribus ligamenta non tantum refrigerent atque siccent: aliqua enim animalia calida sunt multum, sed ratione sanguinis & spiritus, non autem ratione ligamenti, quare hoc ligamentum vt ligamentum refrigerat & siccat.

1. Vsus. Vsus autem plurimi sunt, quorum primus proponitur à Galeno, & est, vt liget simul ossa & cartilagines, & omnia dura in corpore existentia, vt lib. 1. de vs. part. cap. 17. ac libr. 1. de sem. & de motu muscul. etiam cartilagines ossibus ligantur, vt patet in thorace. Præte-
2. rea habent etiam vsum alium ligamenta ex lib. 1. de administr. anat. ca. 2. vt scil. sint propugnacula neruosarum partium, vt patet in ligamento existente in cauitate manus, quod
3. format cauitatem & tuetur tendines digitorum. Tertius vsus est, vt ligamenta vestiant partes neruosas; nam vt videbitis in anatome, chordæ omnes, quæ diffunduntur per vniuersum

ſum corpus, habent tunicam extra ex ligamento ipſo, atque vt plurimum ipſi muſculi habent hanc eandem tunicam ex ligamento ortam, vt Galenus lib. 1. de motu muſc. cap. 1. affirmat. Quartus vſus eſt, vt diſtinguant inter muſculos & muſculos ne poſſint ſeipſos impedire in motibus contrariis, vt patet in brachio, in quo intercedit ligamentum inter radium & cubitum, vt diſtinguat muſculos interiores ab exterioribus. 4. Quintus vſus eſt, vt valide coniungant capita muſculorum ipſis oſſibus: coniunctio enim illa valida fit ratione ligamentorum tenaciſſimorum ac lentiſſimorum. 5. Sextus vſus eſt, vt ſubminiſtrent fibras ipſis muſculis, quia primo in muſculis adeſt caro, ſecundo adſunt fibræ nerui voluntarii. Tertio fibræ ligamentorum, quæ quidem quaſi rexunt totam ſubſtantiam muſculorum. 6. Vltimus vſus eſt, vt natura per ligamenta reſarciret & perficeret varias cauitates in oſſibus vt os aliud poſſint in ſe recipere, verbi gratia, in oſſe coxendicis adeſt cauitas, ſed non perfecta; Ergo natura vt iſta cauitas eſſet integra, expleuit multa copia ligamētoſa, aliud exemplum habetis in genu, in quo ſunt quædam corpora habentia naturam cartilaginis ac ligamenti, vt fieret repletio. &c. 7.

Paſſiones autem ſunt, vt primo ligamenta ſint candidiſſima, quia pars eſt exanguis & fit ex ſemine ſolidaque eſt particula, nulloque canali prædita, licet aliquod ligamentum perforatum ſit, tamen figura illa omni ligamento nō competit, ſenſu etiam caret ligamentum. Cauſæ autem huius priuationis à me redditæ iam fuerunt omnes, quæ ſunt, quia non habet inſtrumentum nec facultatem ſentiendi. fecit autem ea natura, vt eſſent ſine ſenſu: hoc autem fieri non debebat, vt poſſent percipere proprias noxas, cum poſſint pati inflammationes. Sed credo quod natura inſpexit in illud, quod inſpexit in formando oſſe. Si enim oſſa ſentirent, cum ſint in continuo motu. Debebant enim plurimum defatigari; vnde ſemper fuiſſet aliqua triſtis ſenſatio & hinc homo eſſet in continua laſſitudine & dolore: idem dico de ligamento, ex quo motus plurimi violentiſſimi fiunt in corpore, in quibus ligamenta laborant ac vehementer patiuntur; quæ ſi dolerent, nos cogeremur ab iis deſiſtere; hac ergo ratione facta ſunt ligamenta ſine ſenſu. Motus enim illi non corrumpunt ligamenta, ſentiunt vtique morbos, quia natura ligamenta veſtiuit tenuiſſimis membranulis, quæ maximo ſenſu præditæ ſunt, atque ſi ipſæ membranæ diuellantur aut inflammentur, ſentiunt. Præterea ductilia ſunt ligamenta & hoc reuera mirum eſt, cum tenax ſit & lentum corpus, vt poſſit diduci & contrahi. Addatis quod ſunt diuiſibilia in fibras rectas: & quamuis Gal. libr. 1. de plac. cap. 9. oppoſitum videatur dicere, quod ligamenta non ita facile diuidantur in fibras rectas, dicatis quod non ita facile ſicut venæ, at per fibras rectas intelligatis, id eſt, ſecundum poſitum articulorum. Vltima paſſio eſt quod reſecta & comminuta ligamenta non reſtituuntur ex lib. de conſtit. art. med. cap. 7. & lib. 3. art. med. cap. 93. & lib. 1. de ſem. cap. 11. vbi addit rationem, quia deeſt materia, ex qua generentur ligamenta ac reſarciantur; quia diximus ligamentum generari ex ſemine; talis autem ſeminalis materia deeſt, ergo &c. quod tamen falſum videtur pluribus rationibus, & primum ſi ipſum ligamentum alitur & creſcit, quia continuo aliqua pars materiæ altereturet & ſupponatur in locum deperditæ partis, quod patet in pueris; quæro ego, an à materia proportionali? certum eſt, quod ſic; Ergo materia iſta in corpore reperitur: ergo poterit reſtitui ligamentum deperditum. Secundo facultas gignendi ſeminis adhuc in corpore perdurat, ſicut patet in omnibus: ſi ergo quæro, à qua particula gignatur ſemen, non eſt dubium gigni à particula ſpermatica; teſtatur etiam Galenus in lib. 1. de ſem. cap. 11. & 12. facultatem hanc eſſe in corpore, quare ſemen non deeſt ergo nec materia, ergo qua ratione non poteſt reſtitui ligamentum reſectum? ergo patet reſtitui ligamenta. Tertio ſi venæ poſſunt reſtitui; ergo & ligamenta: antecedens patet ex lib. 1. de ſem. cap. 13. & lib. 14. meth. med. cap. 16. vbi dicit atque teſtatur Galenus ſe vidiſſe in vulneribus exulceratas venas & arterias, quas reſtitutas etiam vidit eiuſdem penitus ſpeciei. Ergo ſi venæ reſtituuntur, cum dubium non ſit venas ex ſemine fieri, vel proportionali; ſi ergo ſemen & materia adeſt pro venis reſtituendis, cur non adeſſet etiam pro ligamentis? Ergo ratio diuerſitatis aſſignanda eſt, quoniam ligamēta ſunt maxime neceſſaria & ad nobiliorem vſum. Quarto nos videmus, quod franguntur oſſa & reſtituuntur, reſtaturque Galenus reſtitui ex materia ſimillima oſſi quæ dicitur tophus oſſeus, qui cum ſit fere eiuſdē naturæ cum oſſe, quæro ex qua materia? ſine dubio aut ex ſemine aut ex aliqua materia proportionali ſemini, & adeſt materia iſta, ergo deberet quoq; adeſſe pro reſtituendo ligamento, præſertim cum ligamenta oriantur ab oſſibus & deſinant in os, fiantque ex materia viſcida ipſius oſſis: Ergo ex eadem aluntur. Præterea niſi ligamenta poſſent reſtitui & reſarciri, vani eſſent multi libri Medicorum, qui reliquerūt infinita medicamenta compoſita ad ligamenta comminuta contuſaque facientia: quare ratio & experientia indicat ligamenta reſarciri. His itaque rationibus poteſt improbari

Paſſiones.

Cur natura non dederit ligamento nec oſſi ſenſum.

Cur ligamenta ſentiant morbos.

Dubium, an ligamenta poſſint reſtaurari.

ſententia Galeni; tamen dum poſtea diligenter penſito eius ſententiam, video eſſe veram, nam reuera ligamenta non reſtituuntur, cur autem non reſtituantur opus eſt, vt diligenter conſideremus, & ad hoc indagandum penſitemus modum generationis eorum; primo enim requiritur materia, ſecundo cauſa efficiens, ita tamẽ vt habeant duas conditiones: primo vt ſint ſimul iuncta, id eſt, materia & efficiens: ſecunda conditio neceſſaria eſt, vt ea in vtroque adſit intenſio, quæ neceſſaria eſt, aliter non fieret bona coctio & bona paſſio: materia autem ſi nimis pauca aut nimis copioſa fuerit, nihil fiet. Idem dico de cauſa efficiente, quæ debilis eſſe non debet, nec nimis fortis. Requiritur ergo materia proportionata & efficiens: & in hoc conſiſtit ſolutio difficultatis Galeni ex lib. 1. de ſem. capitu. 13. nam quamuis in corpore reperiatur & adſit materia ſeminalis, tamen non tanta eſt, quanta requiritur: pariter de efficiente dico, quod adeſt facultas gignendi ſemen in hoc ſubiecto vel illo, concedamus, ſed non tanta adeſt, quanta requiritur, ſi continuatur ligamentorum vt poſſit reſtitui: materia enim ſufficiens non eſt, alitur tamen ligamentum, ſed longiori ſpatio; nam antequam aggregetur tanta copia materiæ, vt poſſit reſtitui pars deperdita, ſequitur aut vt pars reſtituenda corrumpatur, aut natura repleat ipſa carne cum cito nõ poſſit repleri ſimillima materia. At ſi quis dicat, quod male faceret natura, quæ impedit ſuas actiones, & ſic natura ipſa demens eſſet; dico quod bene agit natura, ne partes corrumpantur, & dico quod replet carne, quia cognoſcit tardam aliter fore reſtitutionem, quod tamen non eſt dicendum in carnoſis partibus, quia copioſa eſt materia & ideo reſtituuntur. Si quis autem replicet, quod reſtituitur vena & os, dico quod reſtituitur vena, quia in vena adeſt materia & efficiens copioſa. ſecundo in vena parum materiæ requiritur, quia ſunt tenues: præterea ſemper turgent ſanguine pituitoſo, qui facillime poteſt commutari & conuerti in materiam proportionalem ipſi ſemini. Amplius copioſam habent facultatem ſubminiſtratam; nam per venas hepar ſubminiſtrat facultatem omnibus partibus: ſed ligamenta ſunt dura neque viget in ipſis tanta facultas. Nam cum Galenus referret cauſam iſtius non reſarciendæ materiæ, referebat cauſam in cauſam efficientem. Nam in vtero duplex facultas, videlicet facultas formans ligamenta & facultas vteri fouens primam: at extra vterum & in adultis non adeſt facultas ab vtero: propria autem facultas ligamentorum comminuta eſt, at in venis licet non adſit vteri facultas, altera tamen eſt copioſiſſima, ergo reſarciri poſſunt. De oſſe autem notandum eſt, quod os directum atque deperditum non amplius reſtituitur, neque dubitetis, adeſt quidem materia proportionalis in oſſe ad os generandum, ſed facultas efficiens deeſt, vnde notandum eſt, quod ſi os fuerit detectum, non reſtituitur poro oſſeo ſed carne, quia in hoc caſu debilitata eſt facultas efficiens, vnde ne corrumpatur natura reſarcit & tegit os refrigeratum carne: quare os detectum habet vim gignendi carnem, non autem os aut callum. Os autem tectum & fractum cum facultatem debilem non habeat, poteſt callum generare, quoniam tunc non refrigeratur, ſed conſeruatur facultas & exiſtente etiam materia reſtituitur pars. Et hinc eſt, quod ſi frangatur os capitis, reſtituitur, quia tegitur ipſa cute. Quare dico quod tota difficultas in hoc conſiſtit, quod adſit tanta copia materiæ & tanta vigeat facultas, quæ requiritur: & ex his poteſtis ſoluere omnia argumenta.

Cur non reſtituantur ligamenta diſſecta.

Inſtantia.

Cur vena reſarciantur.

Cur os detectum non reſarciatur & tectum fractum reſtituatur.

Solutio argumentorũ.

Quare ad primum dicatis, quod pars augetur, poteſtque reſtitui, ſi adſit materia, quanta requiritur in tam breui temporis ſpatio: & ita dico quod adeſt materia, ſed non quanta requiritur & ita ad omnia alia argumenta, & ſi aderit, non aderit tanto breui ſpatio. Ad illud de medicamentis dicatis, quod ſi ligamenta non eſſent ita contuſa, vt poſſent conſui & tegi ab ipſa cute, credo quod poſſent agglutinari. Sed non libenter Medici conſuunt ipſa ligamenta propter membranulas veſtientes ligamenta dolentes: vidi tamen ego aliquando reſtituta ligamenta, quia contingit tunc, vt cutis eſſet ſuper inducta & inde facultas debilitata non fuerit: tot ſunt paſſiones ligamenti. Et hæc de ligamentis.

Cur non cõſuantur ligamenta diſceſſa.

De chorda, videlicet de eius nominibus, definitione, materia, differentiis, nutrimento, ortu, temperie, vſu, ſenſu, paſſionibus & opinionibus autorum.

CAP. X.

Tendo quot ſignificet.

TEndines vel tẽdones ita ab interpretibus autorũ Græcorum appellatos chordas à noſtris dictos eſſe cõſtat. Tendones aũt dicũtur à tẽdo, quia his intẽdim⁹ & extẽdim⁹ articulos

ticulos & musculos. Sed notandum est ex Vesalio, quod tendines etiam significant quosdam musculos, qui collocantur in posteriori ceruice qui dicuntur tendones, quia sunt facti ad similitudinem tendinum. Amplius lib. 1. de art. text. 50. & 52. appellantur ab Hippoc. tendines quædam partes carnosæ efformantes cauitatem in axillis, quare per tendinem & chordam hæc tria intelligimus, ne vox hæc difficultatem faciat. Ista chorda etiam nomine nerui appellatur ex Gal. lib. 1. de vs. part. cap. 17. & lib. de ossib. dicitur etiam ἀπονεύρωσις, id est, eneruatio, vel deneruatio, vt apud Galenum lib. 1. de vs. part. capit. 16. & libro primo de mot. muscul. capitulo primo. Dicuntur autem chordæ eneruationes, quia musculus solet semper finire in eiusmodi chordas, quasi sint consumptio ipsius musculi. videamus ergo quid sit ista chorda & ex qua materia & ex quo efficiente fiat & reliqua.

Natura huius partis in his consistit, quod sit similaris pars & communis, quia ad sensum non patet aliqua substantiæ dissimilitudo, atque exanguis est & candida, & cum sit pars ipsius musculi, habet vt semper hæreat musculo; nam nunquam erit chorda sine musculo, quia non potest esse pars sine toto. Præcipue autem factæ sunt ad motum, dicamus ergo chordam similarem communemque & exanguem esse partem, lentam, albam à musculis perpetuo exortam ad motum musculorum à natura institutam; & hæc est chordæ definitio. Huius autem omnes partes maxime patent, quod sit exanguis & communis & similaris, patet. quod autem oriatur à musculo, non est dubium: & quamuis hoc sit verum, quod nulla sit chorda, quæ non oriatur à musculo, tamen multi sunt musculi, qui in fine nō habent chordas, vt musculi buccarum oculorumq; aliqui, & musculi sunt, licet imperfecti. Adnotandum est, quod Galen. lib. 11. de vs. part. cap. 15 dicit, quod omnes musculi hoc habent commune, vt desinant in chordas: at oppositum dixit lib. 1. de mot. muscul. capit. 3. pro cuius contradictionis solutione mihi videtur sic dicēdum, quod vt plurimum musculi inseruntur in ossa ad articulos mouendos & tales habent chordam: ideo Galenus ad hoc in lib. 11. de vs. part. respiciens dixit omnes habere musculos hoc cōmune vt habeant chordas, musculi vero, qui non habeant chordas, pauci sunt, & non sunt instituti, vt moueāt ossa, ac videntur mouere aliquod, quod primo ad motum institutum non est: animal enim progressiuum dicitur, quia mouet ossa, non genas, & ideo musculi mouentes ossa, veri videntur musculi, quare nulla est contradictio. Quod si instetis, quod etiam ex illis qui mouent ossa, aliqui non habeant chordas, veluti quintus mouens femur, & in coxa sunt, qui non habent chordas; sciatis autem non esse tres aut quatuor musculos, qui non habeant chordas inter mille musculos; non tamen ob id communis sententia euellenda est, quoniā vt plurimum sic est; Quare Galenus de primis musculis ossa mouētibus intelligens verum dixit, quando autem in li. de motu musculorum dicit, non omnes musculos chordam habere, loquitur de omnibus musculis confuse.

Chorda quid sit.

Contradictio in Galeno.

Succedit materia, in qua non est laborandum, cum ex Gal. lib. 1. de motu muscul. ego supponam constare ex neruo & ligamento, namque hanc proponit sententiam, quod in principio musculi adsit ligamentum, cuius copiosissimæ fibræ disseminantur per substantiam musculi, & in medio musculo fibræ istæ dilatētur & ibi oriatur caro: pariter quod in musculo oriuntur partes neruosæ, & quod fibræ nerui disseminantur in infinitas fibras & deueniant ad chordas cum fibris ligamenti, vbi ita conglutinentur, vt faciāt vnum corpus similare, quod chorda dicitur, in qua chorda duo proponit Galenus, vnū quod chorda maior est crassiorque neruo, qui deuenit ad musculum, quia in chorda adsunt etiam fibræ ligamenti, vt talis sit proportio, vt vna sit pars nerui, & sex ligamenti partes, aliquando sunt decem partes ligamenti & quandoque plures & vna tantum pars nerui. Alterum proponit Galenus, quod quamuis chorda constet ex neruo & ligamento, non tamen est crassior & maior ligamento existente in capite musculi: non enim totum absumitur ligamentum in chordam, quare sequitur, quod materia chordę sit eadem quæ erat neruorum & ligamentorū; namq; non deberis credere, q̄ prius gignantur ligamēta & nerui, postea chorda, sed eodē instanti & eodē tempore pariterque nutritur & crescit eodem alimento cum neruo & ligamento. Sed aduertēdum est quod Vesalius litem maximam habet cum Gal. de ortu chordæ, nam vult, quod chorda suboriatur à ligamento tantum, vt patet lib. 2. cap. 2. & probat hoc variis argumentis contra Galenum. quorum primū hoc est; Omnis chorda nascitur à musculo, non omnis musculus habet neruum, quoniam multi sunt musculi, qui non habent neruos & desinunt in chordas: Ergo non omnis chorda habebit neruum, cum oriatur à musculo: quod autem sint musculi sine neruis proponitur exemplum musculi quadrati prope carpum circa vlnam & radium.

Materia chordæ. Opinio Galeni.

Differentia inter chordam & neruum.

Alimentū chordarum.

Vesalii opinio contra Galenum de ortu chordarum.

Secundum argumentum eius est, quia si nos accipiamus chordas & elixemus vt elixemus etiā ligamenta, nulla penitus apparet differentia, ita vt eadem videtur esse substātia;

Ergo chorda purum est ligamentum: at si quæras cur eas coquo? dico quia per coctionem dissipatur compositio & sic magis indicatur materia ex qua constat ipsa compositio: cum ergo per concoctionem non appareat nisi substantia ligamenti ergo &c. Tertio addit: si accipio chordam coctam & eam comparo neruo, nulla similitudo apparet, quia in neruo est laxitas, mollitiesque lentorque, & fibræ apparent aliquæ, quia in neruo est laxitas aliaque multa, quæ in chorda non sunt. Quarto, si volumus certo videre, chordam carere neruo patet, quia falsa est illa ratio, qua possumus probare, chordam constare ex neruo, quia sentit, cum ligamentũ non sentiat, dicit Vesalius, quod sint capita musculorũ, quæ habent etiam ex Galeno substantiã tantum ligamenti, & habent sensum exquisitũ, & nullum habent neruum, quare & chordæ sentiunt absque neruo.

Opinio propria, quod chorda sit composita ex neruo & ligamento.

Sed hæc sententia Vesalii, pace eius dixerim, tanti viri mihi non placet, quia reuera chordæ habent admixtum neruum, atque credo chordam compositam esse ex neruo ac ligamento: nam habent sensum, & sensum etiã habent maiorem & exactiorem, quam alia pars corporis excepta cute ac neruo, quod patet in vulneribus: Si enim comprimamus chordas, adest sensus exquisitissimus: cum ergo tantus sit sensus in chorda, non potest esse tantus sensus per consensum, vt adest sensus per consensum in capitibus musculorum. Quando enim separatur cutis à subiectis partibus per abscessum maximum, tunc neruuli immediati & subiecti iam sunt corrupti & dissipati, vnde cutis non habet neruos, tamen si pungatur, habet sensum, hoc autem non prouenit nisi per consensum, quia colligata est aliis partibus, non tamen exquisite sentit, vt antea. Idem patet si conspiciatis in vulnere magno, in quo succreuerit multa caro, tangaris carnem hanc, sensus erit obtusus, quæro quomodo sentiat. Sentit quidem per consensum, quia leuis quædam facultas communicatur, vnde leuiter sentit. Idem dico de capitibus musculorum: habent enim sensum obtusum, cuius signum est, quod læsa vel compressa non faciunt eas magnas conuulsiones, quas facit chorda, quare in chordis nõ adest sensus obtusus & per consensum sed per præsentiam nerui. Addatis secundo quia video substantiam chordarum molliorem esse, quam sit substantia ligamenti apparentis in substantia musculi, quare chorda etiam cocta mollior est ligamento ipso, neque vlla humiditas apparet ad sensum nec caro, sed pars aliqua mollis admixta est scilicet neruus: si enim chorda est purum ligamentum, non est dubium, quod eodem modo deberet apparere mollis. Tertio nisi in chorda esset substantia nerui, puncta chorda non fieret conuulsio, nam puncto ligamento non fit conuulsio in vniuerso corpore, quia non adest consensus cum genere neruoso, & tamen chorda trahit in consensum vniuersum genus neruosum, hoc non potest fieri, nisi substantia neruosa sit in ipsis chordis vltra ligamentum. Quarto si nos videamus puncturam in musculo temporali, puncturaque fit in chorda, statim succedit conuulsio oppositi musculi: & omnes dicunt causam esse, quia conuelluntur nerui, ac dicerem ego, si chordæ non habent neruos, quomodo? ergo ad chordam concurrit neruus. Vltimo si chorda non haberet admixtum & non omnis musculus haberet neruum, dico quod non fieret motus: nam si in musculo non esset neruus, quomodo fieret motus? dicet Vesalius, quia adest caro: motus enim in musculo fit propter carnem, quia sua qualitate calida statim communicata facultate fit æstus & agitatio, vnde sequitur motus, tamen immediatum instrumentum motus caro non est, & falsum est, quod omne carens carne non moueatur; nam multa mouentur in corpore, quæ non habent carnem, vt sunt arteriæ, licet non moueantur motu voluntario: nam si caro est instrumentum motus, secundum quam positionem fiet motus? non per longum, neque per transuersum, sed vndequaque diuisibilis est: ergo nullo modo fieret motus, hoc autem non facit ligamẽtum: Ergo sequitur, vt de necessitate in omni musculo requiratur neruus, & hoc indicant nerui recurrentes, qui oriuntur à sexto pari, qui ab inferioribus partib. ascendunt & perueniunt ad ceruicem & thoracem. Inquiũt omnes etiam Vesalius esse istos neruos, vt possint retrahere deorsum musculi faucium ipsam gulam: Ergo ductus ipsorum motuum fit per ductum neruorum, quare nerui in musculis necessarii sunt atque in chorda ipsa: Et hæ sunt rationes pro Galeno ac pro veritate ipsa.

Impositionũ falsarum Galeno à Vesalio adscriptarum refutatio.

Relinquitur vt dissoluamus argumenta Vesalii, tamen ante quædam mouenda sunt, & primum quod Vesalius imponit Galeno, quod chorda constet ex dimidia parte nerui & ex dimidia parte ligamenti, quod probat Vesalius, quoniam Galenus dicit, chordam cõtineri inter ligamentum & neruum tanquam medium, ergo constat ex vtrisque in æquali portione: sed hoc nunquam dixit Galenus, quod scil. tantum sit nerui in chorda, quantum ligamenti, imo testatur paucissimam esse partem nerui & copiosissimam ligamenti & quandoque eius sex esse partes, quandoque decem, vnam vero tantum nerui: dixit quidem

quidem chordam mediam esse, quo ad temperaturam, non tamen exacte mediam: nam colores etiam medii dicuntur absque eo, quod contraria in eis sint æquis portionibus; quare Galenus id non est opinatus. Secundo imponit Vesalius, quod Galenus dicat lib. de motu musculorum, quod neruus antequam dispergatur per musculum complicatur cũ fibris ligamenti; tamen nunquam vidi hoc in Galeno, & scio certe non reperiri in libro de motu muscul. quem citauit; eius enim dogmata non sunt contraria rationi sensuique, sed alteri tantum quandoq; at dicere neruum coniungi cum ligamento antequam dispergatur per musculos, repugnat sensui & rationi; ligamentum enim disseminatum est per musculum. Tertio imponit, quod dicat chordã esse maiorem capite musculi, quia habeat admixtam substantiam nerui, at in capite musculi est tantum ligamentum, in chorda vero est ligamẽtum & additur neruus, neque hoc dicit Galenus, quod ego meminerim, neque legi, neque credo Galenum hoc vnquam dixisse, quoniam quandoque habemus maxima capita musculorum & quandoque chordas tenuissimas, aliquando chordas crassissimas & capita musculorum tenuissima, & hoc quia non totum ligamentum diffunditur per musculum neq; omnes fibræ pertingunt vsque ad chordam, & hinc fit, quod chordæ plurimæ minores sint ligamentis ac capitibus musculorũ, hoc tamen impositũ est Galeno à Vesalio: neq; est mirũm, quod arguat Galenum Vesalius; quoniam hæc si dixisset Galenus, fuisset reprehendendus, & repræhensio etiam in veritatem processit.

Quare ad ad argumenta Vesalii respondendum est, quorum primum erat, quod omnes musculi neruum non habent & proponebatur musculus quadratus in carpo; at dico exemplum fuisse falsum; nam ego testor neruum in eo musculo reperiri sicut ego vidi in anatome; videatis etiam Realdum Columbum, quia hoc idem testatur in sua anatome cõtra Vesalium; tamen hic musculus chordam nõ habet, quare etiam concesso, quod careat neruo, tamen caret chorda etiã; quare argumentum nullum est nullusq; musculus est, qui careat neruo, sed opus est diligẽtia in reperiendis neruis paruis. Ad secundum dico, quod maxima inest similitudo inter chordam & ligamentũ maiorq; quam inter chordã & neruum, quoniã maxima pars est ligamenti in chorda, & minima adest pars nerui, quare magis ipsi assimilatur chorda, non tamen sequitur & nullo modo concedendum est nullum neruum commisceri. *Responsio ad argumẽta Vesalii.*

Pariter ad 3. argumentum respondeatis paucam esse similitudinem propter mixtionem ligamenti in maxima copia & hæc componentia sensu inuestiganda non sunt in mixtis corporibus, quando bene facta est mixtio, vt est chorda ipsa optime mixta, sed in confusis sensus facit distinctionem.

Ad quartum argumentum de sensatione probabat neruos non venire ad musculos, quia musculi ipsis non indigent ad motum nec ad sensum, quia capita musculorũ sentiunt & mouentur sine neruis. Respondeo quod si daretur æqualis sensatio & æqualis motus capitibus musculorum & ipsis chordis, valeret argumentum, sed quia inæqualis est sensus, quoniam exquisitissimus adest sensus in chordis, in capitibus vero musculorum obtusus est; ideo non valet argumentum, quoniam in capitibus musculorum adest sensus per consensum & per propinquitatem: Ergo licet in capite non sit neruus, tamẽ debet esse in chorda, vt fiat sensus exquisitus. His ergo rationibus concludimus chordam constare ex neruo & ligamento & per consequens in vtero fieri ex parte seminis proportionali & neruis & ligamentis ipsis. *Conclusio.*

Succedit chordæ temperies, quæ non est dubium, quod est frigida & sicca, collata ad cutim ipsam temperatur minus tamen frigida & sicca est, si comparetur ligamentis solidiorque est neruo & mollior ligamento, exceptis quibusdam chordis callosis factisq; fere aut cartilagineis ob admixtionem alicuius portionis cartilagineæ aut factis osseis ob nimium vsum & laborem sicut apparet in auibus senioribus quæ quidem habent chordas osseas propter nimium vsum & laborem; at iuniorum auium chordæ molles sunt, vnde nos loquimur de chordis proprie dictis in propria natura ac veris. *Temperies chordarum.*

Vsus autem chordarũ præcipuus est, vt moueant, vel ossa vel cartilagines vel alias partes motu voluntario, vt dicit Gal. lib. 1. de mot. muscul. & etiam experientia testatur. Notãdum tamen est, quia inter chordam & os non est bona proportio; ideo natura seruauit in extremis chordarum corpus cartilaginosum vt esset veluti gluten ac medium quoddam, quo hæreret chorda ossi. *Vsus.*

Secundus vsus ex lib. de vs. part. & lib. 1. de mot. musc. est, quod chordæ colligãt partes inferiores musculorum ipsis ossibus diligentissime.

Chordarum autẽ plurimæ sunt differentiæ à figura, situ consistentia & numero, quæ poterant à nobis per vosmetipsos diligenter inquiri. *Differentia.*

Passiones chordarum variæ sunt, & primo vt sint albæ & ita albæ vt videantur argenteç, & nihil pulchrius reperio in anatome quam chordas & humorem crystallinum. Secundo habent duritiem & soliditatem, & admodum densæ sunt vt sint duriores & solidiores quam alia neruosa corpora excepto ligamento. Præterea in fibras rectas diuiduntur vt lib. 1. de vs. part. cap. 4. Præterea vim habent contractionis & dilationis vt se contrahant. Præterea sensum habent non tamen exquisitissimum, si conferamus ad neruum & cutim, respectu vero capitū musculorū & aliarum partiū exquisitum sensum habēt ex lib. 1. de mot. musc. & alibi: Qua in re notandum, quod lib. 3. de fac. alim. ca. 4. videtur dicere Galenus, quod sunt tendones quidam sensu expertes, quod quidem dictum destruit prius, quod scil. omnes chordæ habeant sensum & hoc exagitauit viros magnos eosque decepit, quare opus est vt castigetis locum illum: nam Brassauolus deceptus est hoc in loco: nam inquit in suo indice, quod chordæ aliquæ sint sine sensu, & citat locum istum, tamen non est hæc mens ipsius Galeni: sed mens erat probare, quod circa partes excarnes corporum reperiuntur quædam partes, quæ neruosæ dicuntur ob similitudinem, & inter has partes connumerat ligamenta, quæ sunt sensus expertia & quosdam tendones ad differentiam eorum tendonum, qui non sunt in partibus excarnibus, ideo dixit quosdam, quare illud de tendinibus non referendum ad expertia sensus eiusque carentiam, sed intelligatis hoc modo quod corpora neruosa in partibus excarnibus reperiuntur ita dicta ob similitudinem. Istæ autem partes neruosæ sunt ligamenta & quidam tendones, non tamen dicendum est, quod chordæ aliquæ sint sine sensu; nam non omnes chordæ sunt in partibus excarnibus, quare locum illum castigetis, disponatisque verba hoc modo: Hæc autem sunt insensibilia ossium ligamenta & quædam in ipsis chordæ: ita enim se habent verba græca, & sic tollitur contradictio.

Contradictio in Galeno de sensu chordæ.

Vltima passio chordarum est, quod comminutæ & dissolutæ non possunt restitui, quod qua ratione fiat, superius probatum est, dum ageremus de ligamento; & hæc dicta sufficiunt de chorda.

De Membrana nominibus, natura, definitione, materia, causa efficiente, temperie, vsu & passione. CAP. XI.

Nomina.

INter partes similares connumeratur etiam membrana quæ dicitur à Græcis ὑμὴν similitudine assumpta à telis aranearum, quasi tela tenuissima: nostri autem latini membranam nominarunt potius ab vsu; Arabes barbarique panniculum vocant, & mea sententia melius dixerunt, attamen nihil refert quomodocunque vocemus.

Notandum est tamen, quod cum ex tali membrana fiant vestes plurimorum vasorum, hinc quandoque alia sortitur nomina, aliquando enim à Gal. vocatur tunica, quandoque inuolucrum, interdum vero munimentum pattium, quandoque operimentum & interdū etiam meninx, nostri vero dicunt matrem cooperientē cerebrum, quare substantia hæc, de qua tractamus propria voce membrana vocatur vel panniculus, & ab vsu nunc hoc nunc illo nomine donatur, quo constituto admiror ego Galenum lib. 4. de vsu part. cap 9. cum ab ipso proditum sit, quod ipse incusarit quosdam qui nolebant appellare membranam nisi substantiam quandam tenuem, crassam vero existentem vocabat tunicam non membranam, Galenus autem hos accusat, & nescio qua causa. Veritas enim hæc est, quod membrana ratione suæ substantiç & ratione suæ formationis proprie vocatur membrana, ratione autem vsus potest tunica dici, quare merito vtriusque, vsus scilicet & formationis ipsi conuenit vtrunque nomen veluti peritonæo ab vsu conuenit nomen tunicæ, ab essentia vero conuenit nomen membranæ, quare distinguitur nomen, ab vsu assumptum & à substantia. Quare non video cur ij accusandi sint, nisi forte eos accuset, quia nimis erant nominum obseruatores. Sed reuera multæ tunicæ sunt, quæ nequeunt esse membranæ, vt tunicæ ventriculi atque interna vesicæ, sed omnis membrana potest esse tunica: sed reliqua de membrana cognoscamus: vnum præcipuum notandum est. nam Galenus libro septimo, de anat. admin. capite secundo, facit mentionem non solum membranæ sed corporis membranosi, ne ergo decipiamini, sciatis corpus membranosum esse distinctum: est enim vel ligamentum vel neruus expansus ad similitudinem membranæ: membranæ vero non sunt expansæ, vnde nos non loquimur de corpore membranoso.

Defensio quorundam contra Galenum.

Differentia inter membranam & corpus membranosum.

Hæc autē membrana habet hanc naturā, vt primo sit pars similaris & veluti alterum commune corporis elementum, tenuitate, mollitie atq; densitate telæ araneæ simillimum factū ad custodiendas partes corporis humani. Addatis sensum exquisitū membranæ inesse.

Membrana natura & definitio.

esse. dixi autem similarem esse partem, quod patet: dixi esse alterum veluti Elementum corporis, quod colligitur ex Aristotele lib. 3. de histor. animal. cap. 2. & 17. & libr. 3. de part. animal. cap. 11. dicitur autem veluti elementum propter carnem: nam caro est primum elementum corporis, quia nulla pars reperitur sine carne: sed quia paucæ sunt, quæ non habeant membranas, ideo dicitur veluti alterum elementum, vt cutis habet cuticulam pariter ossa & membra. Secundo dicitur elementum, quia dum secamus partes corporis, tandem deuenimus in membranas, quare dicitur alterum elementum similare, quod affirmat etiam Gal. lib. 5. de administr. anat. cap. 6. & libro 7. eiusdem cap. 2. vbi dicit non habere fibras, tanta est eius simplicitas, & enumerat succingentem membranam, peritonæum, meninges ossiumque tunicas & tunicas musculorum & inuolucrum cordis & quasdam membranas in corpore, quas dicit nō habere fibras, quod falsum apparet & repugnat sensui, quia in anatome & dissectione apparent fibræ, si dirumpamus texturam, tamen in libro quinto de vs. part. capit. 11. dicebat quod non possit dissolui in fibras ipsa membrana, quam sententiam assumpsit ab Aristotele libr. 3. de hist. animal. capite decimotertio, vnde ego habeo contra Galenum vsum primo & experientiam, quę indicat, quod omnes membranæ possint dissolui in fibras: præterea ipsum Galenum habeo in lib. 3. de fac. natural. ca. 15. vbi dicit membranas fieri ex multis fibris, quæ & similares partes & simplices particulæ vere sunt. præterea in lib. 1. de mot. musc. capit. 1. dicit membranas vestientes chordas constare ex ligamento & neruo, quare videtur negare esse partem similarem, vnde in membrana fibrę de necessitate continentur saltem in potentia si non in actu demonstrato. Quo stante nescio modum, quo dissoluam hanc contradictionem, nisi dicamus resolutionem ac dissolutionem fieri sensu visus absque separatione rei, vt per intellectum separo manum in digitos & volam & cutim &c. Quare nisi per resolutionem intelligat dissipationem visu tantum factam, ad quam similaritas apparet, nescio reuera quomodo intelligat; nam verum est, quod membranæ dissoluuntur ac dissipantur in fibras. Præterea tenues sunt membranæ & densæ. dixi primo esse tenuem ex Gal. lib. 1. de plac. cap. 9. vnde oritur difficultas cur Galenus incusauerit eos, qui nolebant appellare membranam, nisi substantiam tenuem, cū de essentia membranæ sit tenuitas. Dixi etiā esse densam ex Gal. sect. 6. aphor. 53. quia ad omnes vsus membranarum requiritur densitas ipsa. factæ enim sunt, vt foueant calorem naturalem. Addatis quod membranæ prædictæ sunt sensu, quandoque enim appositæ sunt vt partes sentiant: nōne legistis membranam viscerum additam esse, vt viscera proprias noxas appræhendant? si non legistis, videatis Galenum in lib. 16. de vs. part. capi. 2. quoniam hoc ipse ibi testatur. Materia membranæ ex Galeno lib. 1. de sem. cap. 10. Et in lib. de format. fœtus capit. 2. colligitur. Est enim pars tenax & lenta ipsius seminis, & hanc materiam vocauit Hippocrates in libr. de carnib. materiam glutinosam, quæ à calore expanditur & siccatur.

Dubium an membrana in fibras dissoluatur.

Contradictio Galeni.

Materia generationis membranarum.

Vnde ab Hippocrate habemus causam efficientem, nimirum calorem siccantem & Aristot. libr. 3. de hist. an. cap. 13. hanc sententiam probat, ex qua siccitate postea colligunt nostri Medici, quod difficile agglutinantur & vestiuntur membranæ propter siccitatem. Materia vero, ex qua aluntur, est idem, mucus lentus ex ipso sanguine, vt dicit Gal. lib. 3. de fac. nat. cap. vlt. Temperies particulæ huius proponitur à Galeno libr. 1. & 2. de temperam. quod frigida & sicca sit collata ad partem temperatam. minus tamen frigida & sicca est, quam sint ligamenta.

Causa efficiens.

Materia nutritionis.

Temperies.

Facta autem est membrana ad varios vsus, quorū primus est, vt sit partium indumētum ex Gal. lib. 7. de placit. Maior enim pars membranarum ad hoc facta est, quod etiam testatur Aristoteles libro tertio de partib. animal. cap. 11. & libro tertio de hist. animal. cap. 13. quia nulla est pars quæ habeat vestes à sua substantia distinctas, vt illud non sit à membrana. At dices tu, cur dixerim ego tunicam distinctam à propria substantia? hoc dico respectu intestinorum & ventriculi; tunicæ enim illæ constituunt substantiam illarum partium, nec diuisæ sunt ab illarum substantia, nec hæ tunicæ dici possunt membranæ, Secundus vsus est vt ligent partes simul, nec tamen sunt ligamenta, quia ligamenta duras ligant partes simul & duris molles, sed membrana ligat partes molles inuicem. quod patet in visceribus ventris inferioris, quare ab vsu ligamenta dicere possumus, tamen à substantia membranas dicimus. Sed notandum est cur natura non ita colligauit viscera ligamentis sed membranis istis, quia ligamenta facta sunt ad motus violentos; ideo dura fecit ipsa natura, vnde etiam opus erat vt faceret natura vt essent sine sensu, hoc autem non erat agendum in visceribus, quæ semper in eodem loco stare debebant; sed viscera voluit natura, vt non paterentur violentiam, ideo apposuit membranas sensu maximo præditas, vt sentiretur læsio quælibet. Tertius vsus est vt robustiora

Vsus.

reddant viscera ipsa. Quartus vsus est vt distinguat inter cauitates, vt inter ventriculos cerebri,& inter cauitates thoracis.

Quintus vsus est conseruatio caloris naturalis, vt scilicet calorem naturalem conseruent, quod patet in peritonæo. Sextus vsus est vt simul colligent viscera membranæ tanquam in sacco. exemplo sint vt pleura & peritonum. Septimus est vt claudant meatus aliquos, vt meatus venæ cauæ in ventriculo cordis dextro, ac venæ arteriosæ arteriæque venosæ. Et tot sunt vsus membranæ, quibus addere potestis differentias. Differentiæ autem ipsarum sumuntur à mollitie, densitate &c. Passiones autem propositæ sunt in definitione ipsius membranæ, quod scil. sint molles, tenues & difficulter resarciantur. Et hæc de membrana dicta sufficiant. Sequitur vt agamus de venis, circa quarum tractationem multæ sunt difficultates discutiendæ: & pulcherrima quidem est tractatio, ideo vos nunc attentos desidero.

Differentiæ.
Passiones.

De Vena & primum de eius nominibus, substantia, natura, definitione, constructione, causa efficienti & principio earum generationis cum rationibus Aristotelis & Peripateticorum CAP. XII.

PRoponitur nunc pars illa, quæ vena dicitur, in qua cognoscimus primo substãtiam talem, secundo eius formam ac figuram, sed nos præcipue loquimur de substantia, cuius ratione pars similaris dicitur. Circa hanc autem notandum est, quod antiquissimi scriptores per venam non solum hanc intelligant, de qua loquimur, sed etiam arteriam, de quibus non loquimur; nostrum enim institutum est loqui de vena quieta tantum atque non pulsatili, quæ vena dicitur ab omnibus græcis citra Galenum. Illa vero vena, quæ pulsat, dicitur arteria ab istis posterioribus, quare illa simpliciter dicitur vena, hæc autem vena pulsatilis. Ego autem venam simpliciter appellabo cum posterioribus Medicis omnibus. Prætereanotandum, quod hæc vena duplicem habet substantiam ex Aristotele libr. 3. de hist. animal. capite quinto, ibi enim dicit Aristoteles, quod est membranosa & coriacea, neque hæc duo idem significant apud Aristotelem, quare vena habet duplicem substantiam, alteram tenuem membranam, quâ extra vestitur, de qua parte egimus in sermone superiori: altera pars coriacea est, & est eius propria substantia, de qua nunc agemus diligenter. In hac autem videamus primo quid sit, quotque eius causæ, quare quo ad naturam dicimus venam esse similarem partem secundi ordinis triplici figura contextam, quæ canalis instar sanguinem crassiorem ad nutriendum corpus continet: hæc est venæ definitio. Primo autem ex Aristotele lib. 3. de histor. animal. cap. 2. dico esse partem communem ac similarem; nam hepar ex venis etiã formatur, multæq; aliæ partes venam recipiũt in compositione: dixi similarem, quia quælibet eius particula venosam habet substantiã nomenque ac definitionem, dixi autem secundi ordinis, quoniam dum obseruo partes has similares & communes reperio quasdam non habere actionem perfectam instrumentalem, vt est caro pinguedo, aliæque similes partes multæ, alias video partes habentes integras actiones, vt est vena, quæ est tanquam canalis deferens sanguinem ad partes omnes, pariter nerui & arteriæ facultates ac sanguinem & spiritus deferunt & sunt veluti instrumenta & habent actiones, ideo partes similares distinguo in similares primi ordinis & secundi ordinis. Partes autem primi ordinis sunt partes illæ, quæ actionem perfectam nullam habent: Secundi vero ordinis sunt vena, arteria & neruus. Hac ergo de causa dixi partem similarem esse secundi ordinis: addidi venã triplici constare fibra, quæ sensum latent: tamẽ si substantia hæc dissipetur, apparent fibræ, factæ autem sunt fibræ, vt vena haberet facultatem attrahendi, retinendi & expellendi. Rectæ enim fibræ trahunt, obliquæ autem retinent, at transuersæ exprimunt. Dubium autem non est adesse has facultates naturales, an vero id fiat à fibris, alias disputaui, qua in re non possum sentire cum Gal. sed alias in anatome hoc explicabo. Dico ergo venas habere triplicem fibram, vt possint ad omnẽ positionem extendi, vt multum sanguinẽ retineant ac possint contorqueri ac lacerari aliquantulum sine disruptione tamen quod incommodum fuisset. Hæc ergo causa est cur vena triplici fibrarum genere prædita sit; tamen notandum est, quod quamuis Galenus in loc. cit. in lib. 1. de fac. natur. & lib. 10. Meth. med. aliisque locis citatis dum agerem de carne dicat, in substantia venarum carnem esse, non tamen credatis venam dissimilarem esse, nam nec ratione nec sensu probare possumus huiusmodi carnem, licet Galenus id dicat: nam hæc substantia carnosa sensu non patet, nec rationibus eam inuestigare potui, quare supposito, quod vena fibrosam tantum habeat substantiam, nulla sit difficultas; neque faciat vobis difficultatem. Galenus in libro de inæq. intemper. ac in lib. de temperam. quod vena ex parte

Nomina.
Venæ substãtia duplex.
Natura & definitio venarum.
Partes similares sunt duorum ordinum.
Cur fibræ factæ sint à natura.
An caro sit in vena.

Venarum constructio.

parte membranosa constet ac fibris, id enim ex Aristotele assumptum est ac verissimum: nos enim tantum loquimur de parte coriacea seclusa parte membranosa. Componitur ergo vena ex fibris non apparentibus tamen ad sensum: addidi deinde, quod vena cōtineat sanguinem, veluti canalis, vt deferatur per omnes partes corporis. Materia venæ ex Hippocrate in lib. de carnibus proponitur esse semen, tamē non quælibet seminis pars est materia venæ sed proportionalis, quæ ex lib. 2. de sem. cap. 5. alteratur à calore atque perforatur, vnde habemus etiam efficientem causam, quæ spiritus est & calor vltro citroque percurrens, qui perforat hoc corpus, vnde habemus calorem efficientē causam & instrumētum spiritum ipsum. Cum autem vena ex semine fiat non ex sanguine, ego quandoque miror Galenum in li. 6. de plac. c. 8. qui dixit venas habere principium ab epate, cum prius gignantur quam ipsum epar, quod fit ex sanguine ipsi subministrato, qui per venas pertrāsit: Ergo mirum est, quomodo dicat venas oriri ab epate: non tamen consentio cum Aristotele, quod oriantur à corde: quare de principio venarum est instituenda quæstio, scil. de parte aliqua corporis, quæ mereatur dici principium venarum.

Materia venæ.

An venæ oriantur ab epate, vt dicit Galenus.

Venæ prius fiunt quam epar.

Principium tripliciter dicitur.

Sed quoniam vna pars tripliciter dicitur principium alterius, primo modo in generatione, secundo in facultatis subministratione, tertio vero modo in vsu ac famulitio, primo modo dicimus radicationem principium esse plantarum, quoniā in primo gignitur, ad quam deinde aliæ partes apponuntur, sed de hoc principio non disputamus, quoniā nulla est pars genita ante venas; venæ enim factæ sunt ante omnia viscera. Alterum principium est subministrans facultates, & de hoc dubium est an cor sit vel epar, quod subministret vitam & nutrimentum venis. Tertium principium attinet ad vsum, & in hoc præcipue quæstio versatur, vtrum venæ scilicet cordi inseruiant vel epati communicando sanguinem toti corpori. Quare quo ad principium generationis dico, epar non esse venarum principium, quoniam venæ factæ sunt ante iecur, imo, ab omnibus concessum est nullum esse viscus, quod sit ante venas & possit esse generationis principium venarum, cui scilicet vt radici plantæ adnasci possint; quare hoc modo venæ non habent principium. Secundum principium est pars corporis subministrans facultatem venis, vt dubium non est venarum vitæ principium esse ipsum cor, quoniam concordant in hoc philosophi ac Medici. Præterea venæ vegetant habentque facultates naturales, quibus se cōseruant, & hę facultates ab epate procedunt, vt omnes Medici consentiunt, Aristoteles autem & Philosophi cor constituunt harum facultatum principium. de hoc ergo principio dissidium est inter ipsos. Tertium genus principii dicitur in partibus, cum nobilis pars substituitur subministrans facultatem partibus. Quærimus ergo cum venæ deferant sanguinem ac facultatem naturalem omnibus partibus, an seruiant cordi vel epati? Medici proponunt epar, Aristotelici cor, de hoc ergo quæstio instituenda est atque distinctissime tractanda, non vt faciunt multi confundentes infinita argumēta ac problemata simul; in hac autem quæstione variæ fuere sententiæ non solum Aristotelis & Galeni, sed aliorū etiam. Quidam enim oculos proposuerunt pro principio harum facultatum, cum viderent hominem sine oculis semimortuū esse: autores huius sententiæ fuere Pelops præceptor Galeni & alii ex lib. 3. de histor. anim. c. 2. 3. & 4. vbi Aristoteles quæstionem hanc diffuse tractat: quod etiam habemus ex Gal. lib. 6. de plac. ca. 6. Aristoteles vero & Peripatetici cor posuerunt pro principio harum facultatum. Hippocrates autem & Galenus aliique Medici hepar volunt. Alii vero videntes magnam difficultatē & sunt doctissimi viri & anatomici, inter quos anatomicos credo ego meliorem omnibus aliis fuisse Herophilum, neque vllum futurum esse talem anatomicum, qui tamen noluit tractare rem istam, quamuis falsum sit, vt aliqui asserunt, se hoc ignorasse; dicit autem ipse nolle rem hanc tractare, nec vllo modo hoc nos posse perfecte assequi. Habemus ergo quatuor opiniones de ista materia enumeratas. Quare quo ad primam, non est quod multum laborem in ea confutanda, cum id optime fecerit Aristoteles lib. 3. de histor. animal. & de partib. animal. quod idē etiam fecit Galenus. Opinio autem Herophili mihi videtur timidi hominis nimis, quæque secum trahat incertam cognitionem rerum plurimarum. Quoniam autem video totam difficultatem esse inter Aristotelem & Galenum, ideo opinio Aristotelis examinanda venit. primo ergo rationes Aristotelis proponamus, quas enumerat libro tertio de hist. animal. capit. 3. & lib. 3. de partib. anim. capit. 4. vbi habetis plurima argumenta, prima autem ratio hæc est, Cor est principium caloris & sanguinis: venæ sunt instrumenta deferendi huis vtriusque; Ergo cor est principium venarum; per calorem autem intelligit facultatem, vt sępissime declarauit ipse: Facultas enim à calore resultat, Probat autem cor esse principium caloris & sanguinis multis in locis ac variis argumentis, quæ breuitatis gratia non sunt repetenda, sed hoc supponam. Hoc itaque supposito de necessitate sequitur,

An viscus aliquod sit principium generationis venarū.

Opinio Herophili refutatur.

Rationes Aristotelis.

quod aliqua pars in sanguineis animalibus detur nobilis, in qua resideat facultas princeps totum animal gubernans: hæc ergo pars aut erit illa, quæ primo oritur, sicut in primogenitis; quare quod prius oritur, est principium omnium partium, & hoc apparet in plantis etiam: vel pars illa erit, quæ erit magis necessaria & sine qua nec per momentum durare potest animal. Consentit igitur Galenus cum Aristotele, quod cor sit prima pars, quæ apparet inter carnosas; Ergo cor erit principium huius caloris & sanguinis. Secundo si nobilitatem consideremus, sine facultate cerebri homo potest esse & viuere: aufertur enim eius quantitas & viuit homo.

Præterea videmus hepar corruptum gignere aquam loco sanguinis: videmus econtra cor nullam ferre læsionem, quin statim animal moriatur, quod tamen alia viscera patiuntur: quare commune est principium venarum ratione vsus ac primogenituræ: ergo cor est principium venarum ac facultatum. Et hæ rationes satis sint ad principatum cordis.

2. Secũda ratio erit hæc, similitudo substantiæ debet vsum indicare inter organũ & illud, cuius est organum: nam organa similia principi parti illius potius instrumenta dicũtur quam dissimiliter. ac dubium non est, venas maius cum corde consortium habere, quam cum hepate: caro enim cordis durior est, hepatis autem mollior & flaccida, quare melius dicẽdum est, venas cordi quam epati famulari.

3. Addatis tertiam rationem, omnium venarum vnum est constituendum principium, quoniam factæ sunt venæ ad seruiendum: pluritas enim principum mala est: vnum ergo principium statuatur. Cum ergo habeamus venam atterialem, arteriam venosam, & arteriam ac venam cauam & venam portæ, dicit Aristoteles arteria venosa ac vena arteriosa & arteria pulsans oriuntur ab ipso corde. Ergo cum tria venarum genera à corde oriantur, dicendum est etiam alia duo genera ab eodem otiri.

4. Quarto venæ habent principiũ cor sanguinis materiæ ac facultatis, quoniam cor est verus fons sanguinis, venæ autem canales sunt & riuuli. In epate enim non videmus cauitatem nec fontem sanguinis, vt in corde. Sanguis enim epatis est in venis, at in corde extra venas in eius ventriculis, quare cor est fons sanguinis.

5. Quinta ratio est cum videamus venas partes esse alicuius visceris, non debemus dicere illud principium esse earum: nam venæ disseminatæ sunt per mesenterium & lienem, nec tamen inde oriuntur, sed rami venæ cauæ & portarum constituunt ipsum hepat: Ergo sunt eius partes, non autem instrumenta sunt, ac vena caua non ingreditur cor, sed astat ostio cordis tanquam famulus: quare venæ cordi inseruiunt non autem hepati.

6. Addatis sextam rationem siue argumentum, minorum maiora sunt principia; propositio assumitur ab Aristotele & est verissima, quod in plantis maxime apparet. Dubium ergo non est, quod illud viscus habebit rationem principii in ipsis venis, quod maius est reliquis partibus, verbi gratia, radicatio est principium plantæ, quia maior & crassior, quare in rebus, vbi sunt partes maiores & minores, maior pars subit rationem principii. Cum ergo inter venas habeamus partes maximas, minores ac minimas: Ergo pars maior erit caudex atque principium, sed pars latissima venæ ac maxima hæret cordi & strictior est vena apud iecur quam cor, ergo cor principium erit omnium venarum. His sex rationib. potissimis probant Peripatetici cor esse principium venarum. Præterea dicũt, vt euitare possint argumenta Medicorum, quod cor principium est perfectiuum, quia perficit sanguinem, quem concedũt fieri in hepate atque alterari, perfici tamen dicũt in corde, vbi perficitur omnino ac fit verus sanguis. Et Alexander cap. vlt. libri sui de anima huius limitationis fuit autor, & Themistius in Paraphrasti libro de somno & vigilia cap. 17. & Aristotel. in libr. de alimento quem non habemus quod ego sciã. Addere possumus autoritates Hippocratis & Platonis. Hippocrates enim lib. de carnibus dicit cor ad caput cauissimæ venæ positum esse: quare cum caput sit principiũ venæ: ergo & cor cum ad caput eius sit positum. Præterea Hippocrates dicit, cauissima vena est prope cor, non debet autem esse prope hepar, sed prope cor. Ergo cor est principium venarum. Præterea Hippocrates in libro de anatome dicit venam magnam à corde ad epar venire. Plato vero in Timæo fol. 429. in textu Græco inquit, non legi, in textu Latino cor est principium venarum & sanguinis fons, qui distribuitur per totum corpus; quare sententia Aristotelis vera est; & hæc opinio est Aristotelis.

Philosophorum euasio ab argumentis Medicorum.

Et hæ sunt omnes rationes & autoritates pro Aristotele & Peripateticis.

De rationibus Medicorum contra Aristotelem de principio venarum & responsionibus ad rationes Aristotelis & ad autoritates & de conclusione.

Cap XIII.

Epilogus. CVm vena sit constituta instrumentum deferendi alimentum, & facultates, opus est, vt seruiat alicui parti principi, vnde hanc facultatem accipiat. Omnes conceduut hoc: lis est in parte: aliis partes superiores capitis videntur: hi reprobantur ab Arist. & Gal. tota vis consistit in corde, & hepate. Arist. cor esse contendit, audiuistis eius rationes. Audiatis modo rationes, quibus Medici suam tueantur opinionem, & quamuis à Gal. leues afferantur plurimæ, aliquot tamen possunt stabiles adduci, vt demonstrationes quodammodo sint. Prima autem est assumpta à similitudine, & est Gal. Nam, vt in arboribus caudex, & radices habent principium alimenti, & disseminantur in terra, vt alliciant alimentum, quod collectum in capillatione subministretur omnibus partibus, eadem apparent in venis, & hepate. nam nos videmus intestina, in quibus continetur chylus, quæ habent similitudinem soli, per quod radices disseminantur; & quod inde venæ attrahunt succũ, & istæ venæ colliguntur, & faciunt vnam venam, quæ dicitur vena portarum, vnde iterum dissipantur venæ, & hoc est in hepate, vbi diffunditur plurimis capillamentis, vt sanguinem faciat, & det aliis, aliisq; subministret. ergo hepar est principium venarum, & venæ hepatis instrumentum. hepar est vera, & perfecta sanguinis officina, ergo ab ipso pendent, vt propria instrumenta, omnes venæ. ergo hepar est principiũ venarum. Maiorem probo. si non esset hepar perfecta officina; sed immutans chylum non perfecte in sanguinem, sequeretur, quod in venis esset sanguis distinctus à sanguine contento in venis hepati propriis. nam hic alteratur ab hepate, ille, qui ascendit per venam cauam habebit ortum à corde. At secate animalia viua, mortua, quæuis: nunquam reperietis tantillam differentiam inter carnem hepatis, sanguinem hepatis, & diffusum per vniuersum corpus, ergo illa est natura eadem penitus sanguinis, eædem notæ, & eadem accidentia, ergo opifex erit hepar: è contra conferatis sanguinem spirituosum, qui procedit à corde, cum sanguine hepatis, videbitis differentiam inter eos, sicut inter album, & nigrum; cordis est spirituosus, & purpureus, hepatis niger, & crassus. Tertia ratio. Nos supponimus certum esse, quod omne, quod alterat, alteret alteratũ in sui similitudinem: hoc non probamus. nerui. n. alterant in mucum, os in materiam crassam, &c. videamus an sanguis proportionetur cordi, vel hepati; non est dubium, quod nec partes neruosæ cordis, nec hepatis venæ primo, & per se faciunt sanguinem, sed substantia mer, id est pars carnosa. Hoc stante: alimentum fit sanguis: à corde, vel ab hepate? animaduertamus an sanguis assimiletur magis cordi, vel hepati tanta est similitudo sanguinis cum hepate, vt hepar, non caro, sed sanguis concretus videatur. à corde toto cœlo distat. caro pallescit cordis, non nigrescit, vt sanguis. vnde Antiqui parenchyma, id est, transfusum succum id est sanguinem concretum vocarunt hepar, à similitudine igitur hac colligitur hepar esse sanguinis officinam. Addamus in omni officina, in qua elaboratur materia aliqua, reperiuntur receptacula excrementorum, quæ resultant à materia elaboranda, dum præparatur, & alteratur materia: quotiescunque nos reperiemus excrementa materiæ alicuius circa aliquem locum, ibi dicemus esse officinam: circa tonstrinam capillos videmus; circa officinam fabri ferrarii, adest scotia ferri; & sic in omnibus officinis accidit. idem facit natura. si in corde perficitur sanguis, & cor est officina, ergo circa cor erit excrementum, & vasa illud continentia. vnde necessarium est, vt, dum concoquitur alimentum, excrementum fiant. sed vos reperietis receptacula excrementorum circa hepar, non circa cor: ergo hepar est officina. videtis lanificos istos: habent genus pectinis crassum, quod facit stuppam crassam, postea habent subtilius; sic dicunt Aristotelici, in corde non fit tanta stuppa, sed excrementum tenue. quæro vbi sunt receptacula istius excrementi tenuissimi? hoc non est. ergo, si expurgatur sanguis ab omni stuppa, & crassa, & tenui in inferiori ventre, sequitur, quod non modo primam, sed vltimam, & perfectam concoctionem recipiat à iecinore, & ibi ex toto expurgetur ab omni genere excrementi; ideo colligo hepar esse officinã sanguinis, ergo esse etiã principium venarum. Addatis, quod dicit Arist. venarũ dandum principiũ concedo: ergo vnũ: concedo. videamus si venæ oriuntur à corde. & loquimur de vena quieta: quamuis. n. reliqua tria genera dicantur venæ, tamen venæ non sunt. non loquor de arteria; quia illa sapit cartilaginis naturã. Videamus an maior pars venarum colligetur hepati an cordi: prima est vena vmbilicalis, quę gignitur primo in fœtu. secunda est vena portarũ. tertia est vena caua, istę venę à qua parte oriuntur? vmbilicalis nil penitus

Marginal notes: Epilogus. — Prima ratio. — Secunda ratio. — Tertia ratio. — Quarta ratio. — Quinta ratio.

habet commune cum corde, nec etiam secunda alia: sed connascuntur hepati, & sunt veluti ipsius substantia. sed maior pars venarum oritur ex hepate, quia ex tribus geminæ ab ipso oriuntur. Tertia etiam vena, cum hæreat ipsi, non est negandum esse eius instrumentum. *Sexta ratio.* Addatis: si vena esset cordis instrumentum, frustra ageret natura: quoniam fecisset aliquot partes ad vsum inutiles. sunt enim tres membranæ, quæ trisulcæ vocantur, quot sunt in quolibet animali, & sunt in dextro ventriculo cordis, & factæ sunt, ne sanguis egrediatur ad venas, ergo sanguis si transfunditur ad venas à corde; istæ tres membranæ erunt inutiles; quia, si cor mittit sanguinem, ipsæ non claudunt cordis orificium. Natura posuit illas ad hoc, ne egrediatur sanguis. si istæ membranæ funguntur munere suo, ergo cor sanguinem venis non communicat. dicent non impediunt, non faciunt munus suum. ergo sunt frustra, ergo natura aliquid agit frustra. Neutrum dicet Arist. ergo dicẽdum est quod venæ sunt positæ ad hepar, & ab eo principium sumunt: vos videbitis semper venas in hepate repletas esse, & nihil impedire, vt transfundantur ad partes. *Septima ratio.* Addite si vena instrumentum cordis esset, de necessitate sequeretur, quod vena pulsaret. respondent, quia non habet materiam aptam ad pulsationem: pulsaret, at non habet. alio modo respondent negando sequelam; nam aliæ venæ sunt à corde, & non pulsant, & à Gal. conceduntur. Ego dico quod omnes venæ ex Arist. sententia pulsant. vbi. d. quinetiã venæ omnes, & simul inter se *In lib. de resp. cap. 11.* pulsare solent; quia omnes à corde oriuntur. quæro cur pulsant arteriç? quia oriũtur à corde, ergo omnes venæ, si à corde orientur, de necessitate pulsare debent. Dicent non adest materia oportuna. Ar. non proponit materiam pulsationis esse substantiam venæ; sed potius calorem, & feruorem, & ipse Ar. ponit venas esse calidas, & deferentes sanguinem. adest causa efficiens scilicet calor, canalis mollis, ergo distendi debet vt scitis: quare ergo non pulsant? quia non à corde. vera est Ar. sententia: venæ à corde venientes pulsant, at ista non *Octaua ratio demonstratiua.* pulsat, ergo non à corde. Addatis octauo, quæ (mea sententia) demonstratio est, si vena caua, quæ defert sanguinem pro nutritione, deferret à corde, nec essarium esset, vt vena caua otta à corde diffunderetur per vniuersum animal sanguineum, hoc non fit, ergo sequitur, quod cor non est eius principium. Dicet Arist. non ne pars oritur à dextro ventriculo cordis? concedo in aliquibus animalibus, sed non in omnibus sanguineis. omne animal cor habet; omne habet sanguinem pro nutritione. Ego habeo pisces sanguineos, in quibus reperitur vena hæc amplissima, quæ habet proprium locum in hepate. & statim quum est supra hepar, diuiditur in tres ramos. (notate, quia hoc non est ab aliis adnimaduersum) in duos laterales tendentes ad superiora, magnos; & in vnum paruum, qui petit cor, & ibi cõplet cursum suum. si ille est, quç subministrat sanguinem vniuerso corpori, cur ergo non ascendit ad superiores partes corporis? ex hoc colligo, quod cor non potest esse principium venarum, nec sanguinis officina; loquor de venis veris, non de arteriis, sed in animali sanguineo, quamuis venç cum corde habeant coniunctionem, hoc est pro cordis nutritione; *Nona ratio.* in hepate autem, vt ex eo ad vniuersum corpus deferant materiam. Vltimo: si vena caua esset a corde, vnde orietur in animalibus, in quibus non est, nisi vnus ventriculus? vena caua oritur a dextro ventriculo cordis; sed non omnibus animalibus est dexter ventriculus vnde ergo orietur? non a sinistro, quoniam inde oritur arteria, vt in piscibus, ergo non a corde Ergo falsa est Arist. positio, & vera dicitur esse medicorum dicentiũ ab hepate principium habere venas. Addo totam scholam anatomicam præter Vesalium. qui nimis affectauit sectam Peripateticam. Aristotelis enim temporib. imperfecta erat anatome, nondum enim erat ortus Herophilus, qui fuit lumen artis huius. Quare excepto Vesalio omnes alii anatomici cum Galeno consentiunt, & explicantes venam cauam exordiuntur ab epate: Contra vero in explicatione arteriæ a corde incipiunt. Ex his igitur colligatis verissimam esse Galeni sententiam, & notandum est, quod anatome hanc difficultatem non determinat, sed aliquid facit ad hoc dignoscendum. Ego autem inclino in opinionem medicam, non quia Medicus sim, sed quia ratio me mouet: nam anima nostra tres habet facultates, primo vt moueat, sentiat & intelligat, secundo vt vitam subministret. tertio vt partes nostri corporis foueat, nutriat augeatq; aliaq; munera obeat, videoq; in rationali anima hominis alias contineri vt trigonum in tetrangulo. Quare cum tria viscera videam ac membra principia, & nullum reperio animal sanguineũ sine his tribus. Cum ergo tres hæ partes principales sint, cerebrum, cor, hepatque, & in quolibet animali repetiantur necessario, cogor vt distribuam tres has animæ potentias vnamquamque vni visceri. Iniustum enim esset, omnes has facultates vni tantum attribuere. Nam etiamsi anima tota sit in toto & tota in qualibet parte, non tamen tollitur, quin facultates in diuersis ac determinatis sint partibus. Anatome enim indicat motum & sensum esse ac fieri in cerebro: & qui negant hoc, negant sensum: suntq; dementes omnes Peripatetici, qui hanc sententiam tuentur, mihi parcant excellen-

cellentissimi, viri: Sensus enim hoc indicat, quare non est, vt disputemus in hoc. Secunda autem facultas, quia viuimus, ascribitur cordi: Medicus nullus est adeo impius, qui hoc neget: si igitur hoc est verissimum, & cum relinquatur vltima facultas vegetatiua ignobilior, illa hepati asscribẽda est. Cum igitur huius facultatis ac sanguinis distribuendi instrumenta sint venæ, ipsæ ab epate habent principium, quo stante non obstat illa multiplicitas principii: nam non potest dari vnum principium efficiens, nisi conseruans sit aut finis. Cũ ergo hæ tres facultates ratione differant saltem, quomodo poterunt habere principium vnum & idem ratione & esse atque actu determinato? Cum igitur cordis substantia vnica sit, non potest esse causa efficiens tot facultatum adeo diuersarum: nam si omnes actus peruenientes à partib. animalium fiunt à facultate resultante ex mixtione & temperatura earum, necessum est, quod diuersa temperamenta sint, vt actus mouẽdi, sentiendi ac viuendi diuersi sunt, ergo à differentib. facultatibus fiunt, ergo à variis temperaturis: Ergo in corde essent temperaturæ multæ ac diuersæ, quod absurdũ est: quare ego adhæreo partibus Galeni. Aristoteles præterea lib. 3. de partib. animal. capit. 7. dicit cor & hepar necessarias esse partes animalium, & dicit hepar alterare alimẽtum pro vniuerso corpore: Ex quo loco aliqui sunt, qui nimis addicti Aristoteli & Galeno venerunt in concilium vtriusque, & dixere hos consentire, quod sanguis fiat in epare, quamuis Aristoteles addat in corde perfici sanguinem ad vitam conseruandam non nutritionem, hoc legatis in tabula Zimaræ, vbi citat hanc sententiam & probat; quod nullo pacto possunt conciliari isti viri: cum ergo hoc ita sit, tuebor ego partes Galeni tanquam veriores. *Conciliatio inter Galen. & Aristotelem.*

Ad rationes modo Aristotelis respondeamus. Quare ad primam negandum est, quod cor sit principium omnis sanguinis: concedendum est, quod sit principium caloris ex Galeno in lib. de format. fœtus cap. 3. Præterea falsum est, quod tota nostra generatio ex sanguine sit, nam est etiam ex spermate. Præterea assumit Aristoteles, quod cor sit principium primogenitum, quod quando concedit Gal quandoque negat & res ita se habet, vt oculus humanus hoc non possit assequi, quod membrum prius genitum sit; expertus hoc ego sum in pullorum generatione, at nunquam potui videre, quod membrum prius genitum sit, an cor scil. vel epar, credoque vtrumque viscus fieri in eodem instanti; de necessitate autem ac præstantia operis ipsius cordis concedendum est, non tamen hoc cõcludit præstantiorem esse actum cordis quam cerebri: nam per cerebrum animal est animal, at per cor animal viuit veluti planta: quare quo ad facultatem animalem prę̨stantius est cerebrum, quare non valet, quod cor omnino præstantius sit, nam sine cerebro non erit animal, quare ratio prima nulla est. Ad secundam autem rationem dico, quod si loquamur de substantia neruosa æquæ similis est substantia neruosa hepatis atq; cordis: at substantia neruosa vtriusque visceris dissimilis est à venis, sed similitudo maior est inter substantiam hepatis & sanguinem quam cordis ipsius. *Responsio ad rationes Aristotelis.*

Ad tertium argumentum, quod omnibus venis dandum est principium vnũ: primo dicendum est, quod si omnes venæ idem agunt, vnum habent principium: sed cum non vnum & idem agant munus venæ non necessario requirunt principium vnum, venæ enim pulsatiles afferunt vitam mouenturque, ac venæ quietæ non mouentur ac deferunt alium sanguinem.

Præterea differunt toto cœlo venæ & arteriæ; venæ ergo omnes quietæ vnum habent actum & vnum principium, hepar scil. arteriæ autem illæ venę non sunt. Ad quartum dico, quod si in corde per se adesset dexter ventriculus & non per accidens, fortasse valeret argumentum; sed cum adsit per accidens, non valet argumentum. sed adest ventriculus dexter non ratione sui sed ratione pulmonis. patet hoc, nam animalia carentia pulmonibus, carent dextro ventriculo, at habentia pulmones habent dextrum ventriculum etiam, à quo per venam arterialem ipsi nutriuntur. Sinus autem isti quamuis in epare non sint, nihil refert: nam necessarii nõ sunt, imo fuissent incommodi: nam materia minutim concoquenda est, ideo natura fecit meatus angustos heparis, ideo cauitas non adest, quia incommoda.

Ad quintum, supponit falsum quod venæ cor non ingrediantur; non enim hoc obseruarunt Peripatetici: nam circa basim cordis sunt venæ coronales, quę diffunduntur per cordis substantiam: sed infinitæ sunt venæ disseminatæ per hepar, sed argumẽtum hoc Peripateticorũ si valeret, concluderet etiam, quod arteriæ non essent instrumẽta cordis, quoniam arteria magna duos ramos transmittit perforantes eius substantiam. Ad sextũ quod maiora minorum sunt principia, domini, opus est vt sciatis, nos posse appellare partẽ proximam cordi maiorem propter apparentiam: quoniam dum transfunditur sanguis ex vẽtriculo repletur auricula & latior videtur vena ibi: sed si mẽsuremus magnitudinem totam

ipsius venæ tantum, erit minor quam canalis factus prope renes & prope iecur, quare argumentum concludit tantum quo ad apparentiam, non autem quo ad rei essentiam & veritatem: his ergo rationibus diluerem ego argumenta Aristotelis.

Responsio ad autoritates. Autoritates autem Hippocratis suspectæ sunt Galenus enim non afferit librum illum esse Hippocratis. Præterea in lib. de carnibus, multa dicuntur, quæ repugnant dogmatibus Hippocratis. Præterea sententia illa in lib. de anatome etiã suspecta est: Galenus enim dicit in eo libro multas esse sententias quæ non sunt Hippocratis. Ad autoritatem autem Platonis respondet Galenus lib. 6. de placit. cap. 8. & in libr. de format. fœtus cap. 3. vbi inquit cor esse principium venarum, id est, arteriarum: nam Plato etiã venas arterias appellat, sicut etiã fecit Hippocrates in lib. de vulner. c. 7. quod testatur scriptura Platonis, quoniam loquitur de sanguine tenui ac impetu fluente. *Conclusio.* Hepar ergo principium venarum non est in generatione venarum: eæ enim ante epar genitæ, principium autem venarum vitæ est cor, sensus cerebrum, nutritionis epar: præterea venæ epati inseruiunt tanquam domino.

Venarum temperies. Quo ad temperiem venæ, Gal. lib. 1. de temper. cap. vltim. dicit venam frigidiorem ac sicciorem esse ipsa cute, minus tamen quam ligamentum aliæque partes, quo temperamento vena seipsam regit.

Vsus venarum. Vsus patet in definitione, & erat q̃ inseruiret sanguini deferendo & facultati, quamuis Aristoteles lib. 2. de gener. animal. capit. 4. videatur dicere venam factam esse propter sensum tactus, quare non est ad subministrandum alimentum: tactus enim in homine exquisitior est, quam alii sensus. Sed notandum est quod Aristoteles dixit venas factas esse ob tactum, & significauit ob alimentum, quoniam caro verum instrumentum est tactus, quare vena ob alimentum facta tactui deseruit, quoniam ex sanguine fit caro: vena autem non sic aliis sensib. seruit, tamen vt dixi potissimus vsus venæ dictus est in definitione. Venarum autem variæ dantur differentiæ a substantia tenuiori & crassiori, à situ, à magnitudine, à partibus, in quibus sunt, à figuraq;.

Passiones. Passiones variæ sunt, quarum prima est, vt omnis vena sit exanguis, vt lib. 1. de sem. dicit Gal. loquor autem de substantia, non de cauitate, quia facta est ex semine & consequẽter alba est, sed non ita alba vt neruorum substantia, quia cum continuo sanguinem contineat crassiorem, inficitur ipsius colore. Præterea secunda passio est, vt sensu sit destituta, nõ enim vllam speciem sensibilem cognoscit.

Sed notandum est, quoniam reperietis Galenum lib. 16. de vs. part. capit. 2. numerare *Dubium an vena sentiat.* venas quasdam inter partes sentientes & seipsas mouentes. Secundo Galenus in libr. de plenitud. cap. 4. dicit venas sentire, aliter non perciperent grauitatem ac pondus in plenitudine ipsa. Tertio addatis rationem, si enim sinatis pendere diu manus, deinde obseruate quid succedat, quoniam percipietis quendam leuem dolorem circa venas externas, quia turgidæ erunt; ergo venæ sentiunt.

In oppositum autem ego dicebã venas carere sensu, ex Gal. lib. 16. de vs. part. c. 12. quia dicebat cuiuscunque partis corporis venæ & arteriæ sunt sensus expertes: Ergo venæ non sentiunt. Secundo nos possumus esse testes, quotidie enim ligamus venas & arterias, & dũ facimus excoriationes, inducimus dolorem, detecta vero vena nullus fit dolor. Pro solutione autem dico, quod credo venas sensum non habere, quia sensum habentia aut sunt connexa cum cerebro, & inde necesse est, vt habeant facultatem subministratam, aut admixtos habeant neruos à cerebro vel à spinali medulla: in venis autẽ nullo modo hoc verificatur; Ergo venæ nõ sentiunt. Secundo quia si venæ sentirent, quandoq; continẽt sanguinem adeo acrem, vt eas mordicet ac erodat, tamẽ non sentiunt illam acredinẽ humorum. Tertia ratio, quæ me mouet, est, quoniam si non sentiunt solutionem continui, consequẽter non deberent sentire ipsas qualitates.

Ad autoritates Galeni. Ad Galeni vero autoritates in oppositum notandum est in libr. 6. de vs. part. c. 2. eum tantum loqui de quibusdam venis, quæ habent secum admixtos quosdam neruulos, vnde eas connumerat inter partes sentientes: sed per accidens sentiunt, quia per colligantiam sentiunt, sed non sentiunt per participationem, sed quia coniunguntur neruis, ita vt ad inuicem se tangant: Circa collum enim & femora reperietis venas cum neruo colligatas esse, & ideo sentiunt per accidens. In lib. autem de plenitudine dico sensum in plenitudine esse grauitatis, qui sensus dico quod potius circa membranas est venarum, quam in earum (venarum) substantia: In plenitudine enim fit extensio atque tristis sensatio comprimentis corporis: at venæ non aggrauantur, non comprimuntur sed extenduntur ac dilatantur, tamen non fit sensus nisi aggrauatiuus ratione membrorum adiacentium, nulla tamen indicatur extensio. Notandum tamen est, quod Galenus non curauit eo loco, an venæ sentirẽt

vel

vel membranæ venarum, quia satis sibi erat eo loco explicare certum signum, quo possemus explicare multitudinem sanguinis & plenitudinem, cuius signum est, quod in eodem capite dicit, quod ossa non habent sensum, inferius tamen admittit quendam percepisse dolorem ossis, & hoc fecit, quia non refert, dummodo tristis illa sensatio sit signum, quod affectum sit ipsum os; respexit ergo ad certitudinem signi & non ad naturam rei.

Ad experientiam autem illam de pēdulis inanibus dicatis, quod ibi adsint membranæ & aliæ partes, quæ compressę percipiunt tristem illam sensationem, inter passiones etiam venarum connumeretis substantiæ tenuitatem, vnde possunt in quibusdam ætatibus restitui, quia pauca materia requiritur ob earum tenuitatem. Hæc autem, quæ diximus de vena, satis sint. Sequitur vt de arteriis sermonem faciamus, & exquisitum: pulchra enim & curiosa ac necessaria tamen est earum pertractatio.

De Arteriis quo ad earum nomina, naturam, definitionem, substantiam, materiam, causam efficientem & vsum.

Cap. XIIII.

Arteria vocatur à Græcis ex Philareto in lib. suo de puls. c. 4. quasi aerem continens ac cōseruans: nō dicitur autem arteria à tirando aerem vt barbari nostri crediderę & dixere. vox autem ista varias habet significationes, sed proprie significat instrumentū quoddam, quod est in faucibus quod est instrumentum durum, oblongum & cartilaginosum, per quod aer descendit ad pulmones, & inquit Plato in Timæo, quod descendit per ipsum etiam potus, cuius opinionis fuere multi: vnde orta est lis inter veteres philosophos de hoc & Chrysippus philosophus inuectus est contra Platonem vnde Plutarchus in 7. libr. quæstion. conuiual. quæstionem doctam instituit de hoc, an potus scil. descendat per arteriam. Idem in libro de contrarietatibus Stoicorum aduersus Chrysippum, vbi Hippocratem ac poetas multos pro Platone citat, quod tamen non attinet ad propositum nostrum, vos autē legatis Galenum in lib. de vs. part. c. 12. & in lib. 7. de vs. part. cap. 6. quoniam nos de hac arteria non loquimur, quæ dicitur à Galeno aspera arteria ad differentiam veræ arteriæ ac simpliciter dictæ. *Dubitatio an potus descendat per asperam arteriam.*

Secundo notandum est, quod antiqui & præcipue Hippocrates appellabat nomine arteriæ omnes venas, vt in lib. de corde, vbi inquit, quod arteria aorta & arteria caua oriantur à corde, altera à dextra parte, altera vero à sinistra: nulla tamen datur arteria caua à corde, nisi de vena caua intelligatur, de qua locuti sumus. Tertio notandum est, quod scriptores appellant arteriam eam substantiam, de qua nos loquimur, quæ ab antiquioribus quādoque vena dicta est, vt apud Platonem in Timæo, & apud Arist. libr. 3. de histor. animal. cap. 4. & 5. & Hippocr. 6. epidem. sect. 6. text. 2. & in lib. de carnib. quibus in locis arteriam venam vocarunt. Aliquando etiam Aristoteles vocat hanc arteriam ἀορτήν, quasi semper visibilis sit, vt libro tertio de histor. animal. ca. 3. vocatque sic, quia semper visibilis est, quia magis expansa est. Secundo Aristoteles lib. eod. 3. de histor. animal. cap. 4. appellat venam neruosam, per quam intelligatis semper hanc, de qua loquimur, quia dura est ac solida neruoque similis. Tertio addatis, quod appellat venam minorem, præcipue in 3. de part. anim. cap. 4. quia vocarat venam cauam venam maiorem. Hippocrates etiam variis nominibus vsus est: aliquando enim eam appellat vero nomine arteriæ, vt 2. epid. sect. 4. & in lib. de carnib. & 7 epidem. pluribus in locis: at in 6. Epid. sect. 6. text. 2. appellat venam calidiorem arteriam istam. Tertio appellat in lib. de vulner. capit. venam vehementem arteriam istam de qua loquimur, nostri autem Arabes eam semper appellant venam pulsatilem, quia pulsat. & hæ sunt voces variæ.

Natura huius substantiæ est, vt sit pars communis ac similaris secundi ordinis instar canalis à corde ducens facultatem & sanguinem vitalem per vniuersum corpus, perpetuo agitata pulsu: nam continue mouetur. Et hæc est arteriæ definitio, si enim respiciamus ad partes, vera est communis pars, quia nulla est pars in corpore alicuius momenti, quæ non sit prædita ipsis arteriis: est tamen communis & similaris secundi ordinis, quoniam habeat actionem integram, scil. delationē facultatis ac sanguinis vitalis ad vniuersum corpus: similaris est etiam pars, neq; credatis compositam esse ex carne & fibra vt libr. 1 de temp. cap. 3. dicit Galenus, quod in substantia sit caro, quod facit nos inferre, non esse similarem partem; dixi & ingenue fateor, quod nō possum vllo modo fateri huiusmodi carnem sensu aut ratione; neq; reperio in arteria vllam substantiam à fibris distinctā, sicut dixi cum loquebar de carne, itaq; dico similarem esse & nullam habere substantiā distinctam à *Arteria natura & definitio.*

Contradictio in Galeno de tunicis arteriarum.

fibris ipsis. Sed aduertendum est, quod adest contradictio magna in Galeno, nam in libro septimo, de admin. anato. capite 5. vbi omnia elaborata conscripsit ac cum maxima diligentia, dicit, quod vnaquæque arteria constat ex duplici tunica. Deinde dicit, quod possit addi & tertia & quarta, quæ perpetuæ non sunt vt duæ primæ, & inquit, quod externa est ita tenuis, vt est membrana alicuius tenuis venæ, interna vero est crassior in proportione quintupla exteriori, adidque quod exterior habeat fibras rectas & longas & aliquot obliquas, quare habet duplex genus fibrarum: tunica vero interna habet tantum fibras transuersas: tertia vero tunica, quam dicit esse similem telæ araneæ, dicatis, quod non reperitur: quarta vero exterior, quæ communis est omnibus vasis, est illud commune inuolucrum omnium partium & viscerum, postea addit, quod in magnis animalib. reperitur aliquando tunica interna tenuis veluti aranea, reperiturque aliquando quarta tunica in ipsis: & ex hoc colligo, quod sit composita: respondeatis ad hoc, quod eadem est substantia tunicæ internæ, & externæ, vnde non sequitur, quod sit composita.

Contradictio in Galeno de fibris arteriarum.

Quid autem facit difficultatem, est, si legatis cap. 11. lib. 3. de fac. nat. vbi habetur, quod arteriæ tunicas habent veluti ventriculus, & quod tunica interna arteriæ habet fibras longas & obliquas: exterior vero habet transuersales, & hæc est contradictio maxima à nullo huc vsq; soluta, cum sit oppositum illius, quod diximus ex lib. 7. de adm. anat. c. 5.

Solutio.

Sed sciendum est ex his autoritatibus priorem sententiam veram esse, sicut omnes anatomici fatentur, nec certe potui per me ipsum reperire solutionem huius nodi, nec ab aliis intelligere, vnde credo corruptum esse codicem à quodam homine audaciori in lib. 3. de fac. nat. cum facilis fuerit mutatio: nam geminæ sunt voces græcæ similimæ, vna quarum significat intus, altera extra.

Correctio loci Galenici.

Cum ergo videret quod Galenus assimilat arterias vētriculo, qui intus habet longas fibras, extra vero transuersales, dixit tunicas arteriæ assimilari tunicis ventriculi & fibras fibris: vnde ego vellem, vt eo loco, vbi legitis interna, legeretis externa, & vbi legitis externa, legeretis interna: neq; ob id tollitur similitudo arteriæ cū ventriculo, quia in hoc non quærit similitudinem Galenus, quia cum ibi diceret facultatū instrumenta esse fibras & facultatem operari merito fibrarum, dicebat quoties in aliqua parte erit gemina facultas, ibi de necessitate duo erunt genera fibrarum, rectæ s. ad attrahendum, & transuersæ ad expellendum: aut enim ista pars constat duabus tunicis, & tunc vnum genus fibrarum collocatur in vna tunica, alterum genus in altera tunica veluti in ventriculo, at in parte vnius tunicæ, vt in vesica tunc in eadem tunica adsunt fibræ & rectæ & transuersæ & ibi confunduntur ac miscentur vtreque fibræ.

Ordo naturæ in tradendis fibrarū partibus.

Si autem partes opus habeant facultate retentiua veluti vterus, præter illas duas tunc aderunt fibræ obliquæ, & illæ obliquæ disperguntur cum rectis & transuersis, si fuerit pars vnius tunicæ, vt apparet in vena, sed si fuerit pars, quæ habeat duas tunicas, in vna erunt transuersæ tantum, in altera longæ & obliquæ, & hunc modum & ordinem semper seruauit natura & ibi proponit venam vbi sunt fibræ omnium generum, veluti in vesica & in vtero, deinde dat exemplum partium earum, quæ habent duas tunicas, & proponit arteriam & ventriculum, vbi dicit, quemadmodum fit in ventriculo, vna enim tunica habet fibras tantum transuersas, altera vero (tunica) continet & rectas & obliquas, & in hoc consistit similitudo: hoc stante merito dicimus locum esse corruptum.

Substantia arteriarum qualis sit. Aristot. opinionis confutatio.

Hinc ergo colligitur arteriā esse similarem, quamuis duas tunicas habeat, quæ eiusdem sunt substantiæ: Si vero quis quærat, an hæc substantia sit neruea vel ossea, Aristoteles lib. 3. de histor. animal. capite quinto, & etiam tertio respondet esse substantiam neruosam, quia inquit in extremis partibus fiunt solidæ: Galenus vero libro primo, de placitis cap. quinto, testatur Praxagoram substātiam hanc recepisse; sed hoc falsum est, quia nullus neruus est ita rigidus, qui renitens tactui sit. at arteriæ manent apertæ per se, nam concidérent in semetipsas veluti nerui si essent ex neruo. Secundo videmus partes multas arteriarum esse cartilagineas imo osseas, veluti in senioribus animalibus & maioribus, quod indicat non esse substantiam neruosam, & possum ego testari me vidisse in quadam vetula omnes arterias sinistras osseas esse factas, quæ passæ erant aneurisma.

Opinio Hippocratis.

Hippocrates autem in lib. de corde respondet arterias esse cartilagineas primo à colore, quoniam albæ sunt, secundo à similitudine inter substantiam epiglottidis, quæ est cartilaginea, & arteriam: tertio quia in se resilit; quarto quia videmus, quod in antiquioribus animalibus fiunt cartilagineæ, sed cum substantia arteriæ tota fibrosa sit, non possum dicere eam cartilaginē esse. Galen. autem noster seipsum non explicat, sed Vesalius videtur inclinare, quod sit cartilaginosa. Ego autē cum videā plures & diuersas cōditiones

vtriq;

vtrique similes, credo esse substantiam mediam inter cartilaginem neruumq; & mixtam esse cum substantiæ cartilagineæ tum neruosæ. Cum enim sit longa & possit produci, credo esse neruosam; quia vero renitens est, credo esse cartilaginem: credo itaque factam esse ex materia seminis, proportionata tum neruosæ tum cartilagineæ substãtiæ, dominante tamen materia cartilaginosa, & hinc fit vt facilius conuertatur in cartilaginem. Addebam quod arteria instar canalis inseruit cordi: nam cauæ sunt arteriæ & perforatæ à spiritibus percurrentibus, atque continent sanguinem spirituosum, vt Galenus libr. 16. de vs. part, cap. 13. & in lib. aduersus Erasistratum an sanguis in arteriis natura contineatur, vbi hoc diffuse probat Galenus, qui quidem sanguis primo accipitur à sinistro cordis ventriculo ab arteriis, iisque adducitur ad omnes corporis partes. Sanguis autem ex vena in arteriam & econtra permeat & transit, & hoc indicat anatome atque exitus sanguinis ex vena & arteria, & etiam Galenus hoc dicit in libr. de vs. puls. capite quinto, & hic merito aliqua pertractari debent de ipso pulsu siue pulsatione, quæ percipitur in arteria, circa quam vos attentos cupio.

Opinio propria.

Materia arteriarum.

Causa efficiens & vsus arteriarum.

De Pulsu & quæ circa eum notatu digna sint. CAP. XV.

CVm autem arteria hoc habeat vt perpetuo pulsu agitetur ex lib. septimo, de adm. anat, cap. 7. vbi ait, quod omne vas in corpore pulsans est arteria. Sciendum est per pulsum intelligi debere concitationẽ arteriæ motu duplici & motu contratio. Nam non semper mouetur à centro ad circumferentiam, sed aliquando, & tunc dicitur arteria, quod habet partem vnã pulsus. in pulsu ergo adest geminus motus, dilatationis s. & constrictionis siue contractionis. Dilatationem appellamus diastolen, contractionem vero systolen: & hæ sunt partes pulsus non autem pulsus. Pulsus enim motus compositus est ex duobus motibus, quorum alter fit à centro ad circumferentiam, alter econtra. Sed cum omnes Medici habeant veluti constitutum, quod pulsus sit veluti passio arteriæ, & quod moueatur motu contrario, fuerunt aliqui, qui negarunt duos esse motus, veluti, Archigenes; nam is motus, quo dilatatur arteria dicebat ipse, non est motus, sed est recursio ad suum locum, quia per se semper aperta manet; vnde dicunt, quod pulsus non est nisi contractio; sed decipiuntur isti. Et ego dico quod à causa quadam & dilatatur & contrahitur; nam si vultis videre, obseruate ipsum pulsum magnum & paruum: videbitis enim, quod in pulsu paruo persentietis dilatationem paruam, in vehementi vero pulsu dilatationem magnam. De necessitate ergo dicendum est, adesse aliquam causam dilatationis, quæ prius non erat. Sed isti respondent, quod tempore maioris dilatationis adest maior durities arteriæ & arteriam molliorem fuisse, cum paruam faciebat ac duriorem factam, fecisse magnam dilatationem. Sed quid dicent, quod in eodẽ instanti aliquando fit & magna & parua dilatatio ratione passionũ animi: hoc quidẽ non est referendum ad duritiem & mollitiem arteriarũ. Secundo si huiusmodi arteria non dilataretur dilatatione voluntaria, non egrederetur sanguis in ipsa dilatatione, nam non egreditur nisi quando dilatatur. Ad illam vero rationem, quã dicebant, quod in corporib. mortuis reperitur dilatata arteria, dicatis, quod verum est, quod dilatata apparet, sed parum dilatata, & non ex integro vsque ad terminum, qui fit à facultate, quia potest vlterius dilatari in viuis corporibus; ergo &c. Notandum est autem, quod inter hos duos motus datur quies quædam media, quæ cõprobatur ab Arist. in lib. de motu, & isti omnes termini sunt recepti in praxi, & quia duo sunt motus contrarii in pulsu, de necessitate dantur geminę etiam quietes; an vero quietes sint sensibiles nec ne, & an possint impertiri partibus, satis difficilis est tractatio, quæ ad doctrinam de pulsibus attinet. Quo ad vsum autem istius agitationis, fuit quidam autor libri de spiritu, qui continetur in libris Aristotelis, qui dixit nullum vsum esse huius motus, & nullum esse finem, sed esse quoddam accidentarium, quemadmodum cor mouetur, quia calidum est & nullum habet finem; sed hoc non est dicendum, quia natura nihil frustra fecit, quare dilatatur pulsus ob certum finem. Galenus autem lib. 4. de differ. puls. cap. 5. inquit factum esse ob tutelam insiti caloris innati, quia calor innatus opus est, vt conseruetur primo per substitutionem caloris actualis, quoniam diminuitur: secundo per remotiones eius, quod potest ipsum corrumpere & esse impedimento, id est, quod posset calorem ita feruidum reddere, vt fiat calor præter naturam; tertio addendo aliquid, quod contemperet calorem ipsum si quis addatur gradus præter naturam. Primo autem agamus de primis duobus vsibus. Galenus itaq; lib. 6. de vs. part. cap. 17. inquit, quod sint in corpore quidam vapores exusti & fuliginosi, qui si continerentur, calor innatus fieret igneus, vnde per contractionem arteriæ in pulsu expelluntur istæ fuligines, & sic conseruatur calor in

Quid per pulsum intelligatur, Et quod pulsus proprie sit.

Dubium an in pulsu sit duplex motus.

Duæ quietes in pulsu.

Vsus pulsationis

Galeni opinio.

Vsus Systole.

Dubium an adsint fuligines in corpore.

natus. Hic autem anatomici quidam irrident Galenum & Medicos, quia inquiunt quod non videant istas fuligines: sed opus est, vt cum crassis viris crasso modo loquamur: qui quidem si per fuligines intelligant fuligines veras caminorum, verum dicant: sed dicant quæso, non ne pili concrescunt & generantur per fuliginosos vapores, veluti fuligo concrescit circa caminum? Ergo per fuliginem Intelligimus vaporem quendam terrestrem calefactum, qui sine dubio cõcedendus est in corde, vbi tantus calor fouetur per systolen. Altera tutela erat, vt cum continuo possit nimium feruere, necessum erat vt in cauitate cordis attraheretur aliquid, quod contemperaret ex Galeno in libr. de vs. pulsf. cap. 4. & hoc est spiritus qui calorem contemperat, & vt in lib. an sanguis in arteria &c. capite octauo, dicit Galenus, per spiritum intelligens aerem, & propter hoc natura fecit diastolen. Sed quomodo iste aer attrahitur? legatis Galenum lib. tertio de fac. nat. cap. 13. vbi loquens de geminis genetibus attractionis dicebat, quod vna fit attractio ratione similitudinis, veluti quando ferrum attrahitur à magnete: altera fit ratione vacui, veluti quando arteriæ dilatantur & conttahuntur, ipsæ fuligines eliduntur; ita quando arteria dilatatur, maius fit spatium, & ne vacuum detur, ingreditur aer pariter in arterias: nam continuo pori nostri corporis sunt repleti aere frigidiore, & nisi hoc esset, nunquam actuarentur medicamenta applicita corpori humano, quod ego nunc non probo, cum alias dicendum sit, quia huius loci non esse videtur.

Vsum diastoles.

Quomodo aer attrahatur in arterias.

Secundus vsus diastoles.

Ista autem dilatatio alium habet vsum, vt scil. etiam sanguinem attrahant arteriæ, vt lib. 3. de fac. nat. cap. 14. nam cor dilatato ventriculo sinistro attrahit ex dextro ventriculo sanguinem tenuem; idem fit in arteriis, quę attrahunt ratione vacui sanguinem spirituosum ab ipsis venis coniunctis. Videte ergo, quamuis hoc non dixerit Galenus, quod ab ipso colligi potest; nam inquit, illa, quæ atttrahunt ratione vacui, prius attrahunt partem tenuiorem, postea crassiorem. Hoc ita stante, sequitur quod verum sit, quod dum contrahuntur, euacuantur fuligines; & dum dilatantur, replentur aere ipso: quod est contra Archigenem, qui dicebat, q. sicuti per nares contractas aer attrahitur, & cum dilatantur, expellitur; ita fit in arteriis, ad hoc ego non respondeo, quia Galenus fusissime respondet. Tertia ratio, qua tuemur calorem, erat, ne aliquando inclinaret à suo gradu, ne sit excessus in diminutione; vnde ratione motus per attritionem ipsam & agitationem conseruatur ipse calor innatus: nam cor & arteriæ dum mouentur, conseruant calorem suum in actu. At dices Galenus libro octauo, de placit. capite septimo, inquit, quod in corporibus animalium non fit calor natiuus & insitus per attritionem, veluti fit in lignis & in lapidibus similibusque. sed q. est ipsemet calor, qui est causa ipsius motus. Dico quod calor, qui est in actu, est calor insitus, quia primo est in illis partibus à generatione; insitus autem est, quia primo cor factum est ex sanguine & semine calido actuali, & iste calor est causa motus, quare motus non est causa caloris, sed effectus; vnde calor est causa istius motus, qui conseruat facultatem, quæ facit motum. Sed ego non dico, quod præcesserit motus ipsum calorem, sed quod vsus istius motus est causa efficiens conseruans ipsum calorẽ: vnde hoc modo motus est causa caloris ipsius & refert gratiam suo efficienti calorẽ ipsum conseruãdo: hic ergo est tertius vsus pulsus, & hinc est, quod cessante calore statim cessat motus, quia statim corrumpitur facultas; tamen cessante motu non statim corrumpitur calor, nisi aliquandiu remaneat, quoniã si longa esset quies, marcesceret.

Tertius vsus pulsus.

Pulsuum causa.

Rationes Erasistrati.

Verum cum ita se habeat, vt frustra non sit factus ille motus, quoniam vultis cognoscere causam huius motus, quæritur quænam sit ista facultas? Aliqui dixere hunc motum fieri per accidens, id est, ab aliqua causa distincta à substantia arteriarum: aliqui vero dixerunt & cor & arterias seipsas mouere atque habere causam in se: inter priores fuit Erasistratus, cuius opinio ponitur à Galeno libro quarto, de causa pulsat. capite secundo, nam volebat in corde esse veluti quasdam voragines calidas, quæ nunc absorberent, & nunc euomerent sanguinem in arterias, & ita colligebat, quod dum mouentur arteriæ, moueantur per accidens, & dum cor contrahitur, arteriæ dilatentur: dum vero cor dilatatur, arteriæ concidunt reuocato sanguine ad cor, quod patet exemplo chirothecæ inflatæ. Sed ista opinio tantum valuit, vt nostris temporibus aliqui etiam credant hoc esse verum: vnde afferunt aliquot rationes, primo vti Galenus libro septimo de anat. admin. capite octauo, si arteria mouetur, per se mouetur à principio voluntario vel naturali, non mouetur volũtarie, quia nullus vnquã hoc dixit: si à principio naturali insito, ergo aut ab elemento prædominante aut à facultate: non ab elemento, quia fieret tantum ad vnam positionem, aliter duo essent ponenda elementa contraria prædominantia: ergo ab ipsa naturali facultate. Sed venæ sunt prædita naturali facultate non tamen agitantur isto motu; ergo neq; arteriæ. Secundo videmus, q. in omni euacuatione

arteriæ concidunt; ergo quia per accidens euacuantur, contrahuntur, & quia per accidens replentur, dilatantur: hoc patet in passionib. cordis, vbi statim resilit omnis sanguis ad cor: tunc enim reperimus sine dubio arterias contractas. Tertia ratio est in animalibus viuis: si nos detegamus arteriam, percipiemus quod pulsat, at si ligemus eam, pars inferior non pulsabit amplius, quia, inquiunt, ratione vinculi non amplius regurgitat sanguis & impeditur cursus sanguinis ad eam atque recursus. Quarto quia obseruabitis, quoties erit puncta arteria, quod sanguis quando dilatatur, exilit; quando vero contrahitur aut non exilit aut vix exilit, hoc enim non fit, nisi quia sanguis fluit & refluit: nonne à Galeno ponitur, quod contractio arteriarum ad expulsionem fuliginum facit? ergo signum est, quod dum arteria dilatatur, impletur; dum euacuatur, constringitur. Quinto quia poetæ crediderunt, quod dilatatio thoracis à spiritu ipso calido fiat: Ergo &c. Opinio itaque istorum vult, quod pulsus fiat per accidens, id est, habeat non intrinsecum sed extrinsecum principium.

Atopinio in oppositum est Trusiani ex Aristotele in lib. de respir. cap. 11. vbi loquens Aristoteles de pulsu cordis inquit, quod fiat pulsatio in corde & in arteriis veluti fit in tumoribus dum maturantur: nam sanguis feruens crescit eliditurque in parietes minores & sic facit pulsationem, & inquit Aristoteles, eodem modo fit pulsatio in corde, nam semper transmittitur alimentum calidum ad cor, quod alimentum calidum feruet, & crescens in molem extendit cordis parietes, & hinc fit dilatatio. Causa autem contractionis est eadem, quæ in tumoribus, qui tunc contrahuntur & concidūt; aut quia magna pars vaporosi humoris resoluta, aut quia ista materia per alterationem facta est crassior, vnde conuersa est ad minorem copiam, vnde tumor decrescit pariter, ita in corde cum humor ille fit spumosus, fit dilatatio cordis, cum autem aliqua pars resoluatur, de necessitate cor concidit, & sic fit contractio, & talis est sententia Aristotelis eo in loco, & adducit aliquas rationes, quamuis aliqui interpretes hoc negent, veluti D. Thomas in eo libro; attamen ipse Aristoteles adducit rationes & disputat hoc. Idem videtur dicere Auerrhoes: tamen multi alii & omnes fere hanc sententiam Aristoteli attribuunt. Sed quicquid sit, non refert: veniamus ad arteriam nostram. Dicunt ergo isti, quod arteria dilatatur, quia recipit ipsum sanguinem feruentem, contrahitur autem, quia recipit in se aerem frigidiorem, qui refrigerat sanguinem, qui postea fit in minori copia, vnde fit arteriæ contractio, exemplum sit olla bulliens & feruens quæ habeat spumam vsque ad superficiem, quæ per sufflationem spirituum diminuitur iterumque ex feruore augetur: isti autem appellant remissionem istius feruoris humescentiam; quare per accidens fit iste pulsus. & pro hac opinione proponuntur illæ omnes rationes, quæ dictæ sunt pro opinione Erasistrati.

Opinio Trusiani in oppositum.

Secunda secta tenet oppositum, quod scil. per se & a proprio principio arteria moueatur. Quæ autem sit causa continens & immediata, non est facile vt explicemus, & magis difficile est, quia qui locuti sunt de hac causa, non sunt concordes, & id colligatis à Galeno libro primo de cauf. pulf. cap. 2. aliqui enim voluerunt esse calorem innatum ipsius arteriæ, sed hoc non potest dici, quia infinitæ etiam aliæ partes habent calorem innatum, & tamen non habent pulsum, sicuti venæ & multæ aliæ partes. Alii dixerunt esse tonum & tensionem, sed quænam sit ista tensio non explicauit Galenus, quod tamen nego, quia dubitatur à quanam causa fiat ista tensio. Alii dixerunt fieri à temperamento arteriarum; sed neque hoc est dicendum, quia frigidum & siccum est, quare non videtur consonum, vt tale temperamētum facere possit talem pulsum, & non videtur posse esse principium motus cum sit frigidum & siccum. Alii dixerunt esse spiritum vitalem contentum in arteria, sed cum videamus, quod affecto spiritu arteria non relinquit pulsum. Præterea spiritu nihil passo pulsum pati, nam si ligemus arteriam, pars inferior non pulsat, & tamen remanet spiritus & sanguis, spiritum enim habet quoniam non exhalauit. Alii dixerunt esse vniuersam structuram arteriarum & formationem: sed cum nos sciamus, quod est arteria tota quæ mouetur, id est, totum illud constructum, si eadem structura moueret, tunc idem esset & mouens & motum non solum definitione sed existentia & è conuerso, quod non est dicendum, quia agens & passum sunt contraria, ideo nec possunt simul esse: Ergo &c. patet hoc, quia structura est idem cum re constructa.

Alia secta quod arteriæ moueantur per principium internum & per se.

Quare cū Gal. videret hoc, dixit nō est dubiū, quod arteria mouetur, ergo aliqua adest causa efficiens, quæ habet facultatē, qua possit edere talē effectū: at inquit Gal. ego ignoro substantiā istius causæ efficientis, sed scio adesse facultatem incorpoream, qua talis substantia & causa efficiens edit talem effectum. & de hoc est dubium, an contineatur & sit in substantia & intra corpus arteriæ vel extra. hæc igitur est rei veritas à Galeno

Opinio Galeni.

Rationes opinionis vena. maxime ventilata. videamus ergo rationes probantium hanc virtutem esse in arteria; prima illa est, si arteriæ per se non mouerentur ab ista facultate, cum non moueantur ab elemento prædominante neque voluntarie, sequeretur dari aliquod violentum perpetuum, quod est absurdum & est contra Aristotelem lib. 2. de cœl. text. 18. quia donec sunt arteriæ, de necessitate mouentur. Secundo si arteria non moueret seipsam, sequeretur quod ista refrigerata posset se mouere: nam si refrigeretur arteria & repleatur ipso sanguine, quid impedit quin moueatur ac dilatetur? & euacuata quin concidat? tamen videmus, quod statim quando arteria percipit aerem frigidiorem & refrigeratur, amittit motum. at si vos iterum calefaciatis arteriam, iterum incipit pulsatio, ergo mouetur à facultate insita. Tertio si arteria moueretur per accidens, sequeretur, quod à causa incerta & inconstanti fieret aliquod certum & determinatum, aliter à corruptibili fieret æternum quid. at iste pulsus est effectus certus & perpetuo constans, quia perpetuo constanti motu arteriæ mouentur, dum arteriæ natura seruatur, at illa ebullitio & regurgitatio sanguinis est incerta & inconstans, nam in principio arteriæ aortæ est collocata triplex mēbrana σιγμοειδὴς dicta, quæ habet suum principium à corde, cuius membranæ munus est, ne illud, quod continetur in arteriis, possit resilire in cor, quia illæ membranæ claudunt orificium; *Vsus membrana Sigmoidei dicta.* vnde fit, vt recursus iste sanguinis sit incertus & inconstans, qui causa est systoles, quia impedimentum adest, tamen systole ipsa est certissima; Ergo arteriæ mouentur per facultatem insitam. Quarto natura nihil frustra fecit. verum si arteriæ per accidens mouerentur, frustra natura fecisset tunicam internam, quæ est facta pro instrumento ipsius motus, quia habet fibras transuersas, per quas mouetur à centro ad circumferentiam, & è conuerso. sed notandum est, quod dico, quod tunica interna habet fibras omnes transuersas pro instrumento motus dilatationis ac contractionis: & quamuis postea ad motum sequitur expressio, tamen illæ fibræ primo non dantur ad expressionem, sed primo ad motum contra Galenum. *Fibræ arteriarum.* Præterea notandum est, vt cognoscatis vsum fibrarum arteriarum, quod licet Galen. dicat fibras esse propter facultates, tamen ego dico, quod triplex est vsus omnium fibrarum, quæ sunt in corpore. *Vsus fibrarum arteriarum omnium corporis. 1.* Primus vsus est ratione motus, nam nunquam videbitis aliquam partem per se moueri motu locali vel secundum totum vel secundum partem, quæ fibras non habeat, & hoc est verum; dico autem vel secundum totum vel secundum partem, quia aliquæ partes mouēt seipsas in seipsis, sed vna pars modo magis est prope centrum, modo vero non, & ita mouentur secundum totum sicuti ventriculus. at dices quod digiti mouentur sine fibris, dico quod musculi seipsos mouent, & digiti non mouentur à seipsis, musculi autem habent fibras; id etiam comprobat Auerrhoes in digressione illa septimi Phys. text. 10 vbi loquitur de attractione.
2. Secundus vsus est, vt detur transitus alimenti vel alterius rei transmittendæ, siue sit humor siue sit facultas, siue vapor sit per vniuersum corpus & nunquam est pars corporis, per quam aliquid transmittatur, quæ non habeat per eandem viam fibras aut canales habeat, de quibus canalibus non loquimur. requiritur enim ad transmissionem rectitudo meatuum & fibrarum atq; ordo; exemplo sint nerui, qui habent fibras, in quibus quia adsunt meatus recti, ideo adsunt necessario fibræ rectæ.

3. Tertius vsus fibrarum est ratione texturæ: quando enim natura voluit formare partem aliquam, quæ posset vndique extendi per dimensiones, vt compositio esset valida ne disrumperetur & laceraretur, fecit vt textura ista constaret omnibus generibus fibrarum. Dico ergo triplicem hunc esse vsum fibrarum, sed dicebat Galenus vsum fibrarum esse vt expellerent & attraherent, hoc verum est: sed verū non est vt aliquo modo aliqua fibra habeat vim in se retinendi, mihi parcat diuinus præceptor, sed attrahunt primo illo suo vsu, qui erat motus localis; quia istæ partes fibrosæ localiter per rectum mouentur, ideo attrahunt, & ob id fibras rectas dicimus attrahere, quia rectæ fibræ sunt causa motus per rectū: fibræ vero transuersæ habent vim expellendi suo motu veluti intestina, quia principaliter contrahuntur fibræ transuersæ, ideo expellunt quicquid in ipsis cōtinetur. Quare fibræ ipsæ primo factæ sunt, vt partes seipsas possint mouere, secundario vero vt attrahāt & expellant.

Partes à fibris mota tripliciter mouentur. Addatis quod istæ partes, quæ mouentur ratione fibrarum, aut mouentur ratione voluntaria, aut naturaliter, aut medio modo: voluntarie mouentur musculi ratione fibrarum carnosarum, vnde omnes partes quæ habent fibras carnosas, possunt voluntarie moueri; arteriæ autē seipsas mouent naturaliter, cuius motus causa sunt fibræ sine carne, quia sunt cartilaginosæ & neruosæ. Aliæ vero medio modo se mouent, veluti intestina, ventriculus & vesica, in quibus non ita apparet motus voluntarius, sed est motus quidam mixtus; ideo istius partes non sunt neque absolute neruosæ, neque absolute carnosæ, sed constant

constant ex substantia neruosa admixta aliqua portione carnis, veluti sunt fibræ vesicæ, intestinorum & ventriculi. Cum ergo hoc sit constitutum, quod arteria moueatur, quia habet fibras transuersas, dico, quod essent frustra, nisi mouerent per se totam arteriam, quare mouent seipsas, quia fibræ mouent totam arteriam. Et hic est primus & præcipuus vsus illarum fibrarum, & non attrahendi & expellendi, quando eadem tunica, eademque fibra faceret ad expulsionem comprimendo & ad attractionem dilatando. At dices, si rectæ essent fibræ arteriæ, an possent arteriæ se mouere, dico quod non, quia lacerarentur, quia non adesset aliquis connexus: idem de reliquis fibris, quæ sunt in altera tunica, dico quod non habet fibras rectas ad attractionem sicuti dixi de fibris internæ tunicæ, quia si attraherent, attraherent ratione similitudinis, ac rectæ fibræ existentes in secunda tunica non possunt trahere vlla vera tractione, licet id dicat Galen. tamen admiror Galenum in hoc, ratio est, quia non possunt se mouere: non enim habet fibræ hæ substantiam carnosam mixtam, quare fibræ arteriæ non possunt attrahere, quia carnosæ non sunt, habent autem talem vsum pro transmissione, vt cor posset transfundere suos spiritus per vniuersam arteriam, vsque ad finem arteriæ non per cauitatem sed per propriam substantiam: Ideo secunda tunica habet meatus rectos, vt reciperent influxum à corde. Hoc ita stante, quod tunica interna faciat ad motum, externa vero ad transmissionem facultatis, quæritur causa, cur tunica, quæ faciat ad motum, collocata fuerit interior, quæ vero facit ad receptionem, collocata fuerit exterior, quoniam oppositum videtur ratio dictare, & sic fecit natura in ventriculo. Domini, in hoc admiror certe naturam, illud non fecit natura in arteria, quia commodū non fuisset: nam cum facultas ista trāsmittatur à corde, transfundaturque per fibras rectas, demus, quod ista tunica sit interior, & tunica transuersarum fibrarum facta ad motum esset extrinseca, quoties tunica transuersarum fibrarum contraheretur, ita ligaret internam tunicam deferentem facultatem, quæ fibras habet rectas, vnde facultas periret & clauderentur meatus, & ita nec moueri posset arteriæ pars inferior, vnde natura hoc modo, vt dixi, collocauit tunicas suis fibris. Cum ergo in arteria ipsa sit instrumentum motus, ergo arteria mouet seipsam, valet ergo quarta ratio.

An arteriæ si haberent fibras rectas, moueri possent.

Contra Galenum.

Cur interna tunica arteriarum & ventriculi faciat ad motum, externa vero ad receptionem.

Quinta ratio est. Si arteriæ non haberent hoc principium in se, sed mouerentur ab influente sanguine, necessum esset, vt partes arteriales mouerentur secundum ordinem, id est, vt vna post alteram moueretur & moueretur in tempore, quia vna pars prius quam altera reciperet sanguinem specificantem: sanguis enim non potest transire in instanti vsque ad vngues, tamen omnes philosophi & Medici inquiūt, quod vno & eodē tempore omnes pulsant & extenduntur. Sexta ratio sit, si fieret ab ebullitione sanguinis contēti sequeretur, cum ebullitio sit causa immediata huius motus, quod in maiori ebullitione esset maior eleuatio & econtra: at consequens falsum est, quod in maximis ebullitionibus sit maior dilatatio, sicut patet in febribus pestilentibus, vbi adest ingens ardor linguæ sitisque intolerabilis, ac maxima est ebullitio, tamen dilatatio arteriarum est maxime parua, ergo nō fit pulsus ab ebullitione sanguinis.

Septima ratio sit ex Galeni libro septimo de adm. anat. capite sedecimo, si enim accipiamus ac detegamus arteriam ac ligemus & infra deligationem scindamus per longum, imponamusque fistulam, quæ lateat in ipsa, deinde auferamus vinculum, & ligemus arteriam supra fistulam ne exeat, nō est dubium, quod per fistulam mediā recurreret sanguis per canalem fistulæ: Ergo si à sanguine fluente fieret pulsatio, ergo per partes inferiores ab ipsa fistula deberent pulsare, & tamen non pulsant, ergo non fit à sanguine ipsa extensio.

Octauo addatis, quod si ab ebullitione fieret talis dilatatio, sequeretur quod aut nunquam fieret systole, aut saltem nunquam fieret in calido aere. Suppono enim quod diastole fiat à sanguinis feruore, ergo semper extensa arteria manebit, quia sanguis bulliens non refrigerabitur vnquam; ergo nunquam concidet arteria: nec potes dicere aerem attractum sanguinem refrigerare, quia aer attrahitur ratione vacui, quod non conceditur ab ebulliente sanguine, quia non dabitur vacuum, vt ingrediatur aer in illa extensione, cum semper eadem maneat moles sanguinis: ergo &c. Vel saltem sequeretur, quod in hypocausto vel in aere calido arteria non patietur systolen, non fiet contractio, quia etiam si attraheretur aer calidus, non refrigeraret sanguinem, quod non apparet: ergo &c.

Nono si sanguis transmissus faceret pulsum, sequeretur, quod venæ deberent pulsare, nam in anatome viuorum colligimus, quod quando contrahitur dexter ventriculus cordis, regurgitat multus sanguis in auriculam venæ cauæ, & quando dilatatur, multus

ſanguis regurgitat in cor, ergo venæ deberent pulſare: ſed non pulſant venæ: Ergo &c. Iſti reſpondent, quod non pulſant, quia venæ ſubſtantia eſt inepta ad motum: At contra hoc ſic arguo; vel eſt inepta ad motum per accidens vel per ſe; ſi per accidens, hoc eſt falſiſſimũ, quoniam eſt molliſſima, imo effluente ſanguine concidit; Ergo non eſt inepta ad motũ per accidens, ergo erit inepta ad motum per ſe, quod negabat: ergo arteria eſt apta ad motum per ſe, ergo habet in ſe cauſam motus.

Vltimo niſi moueretur ex ſe ac à virtute intima, ſequeretur aut quod nunquam fieret ſyſtole, aut quod iſti duo motus contrarii fierent à duabus cauſis: nã demus, quod transfluẽte ſanguine dilatetur arteria, ergo contrahatur arteria recurrẽte ſaguine, quia ſua ſubſtantia rigida eſt & ſemper aperta manet; ergo ſyſtole non fiet; ſed fit: ergo ab aliqua virtute inſita.

De reſponſionibus ad rationes in oppoſitum per Eraſiſtratum & Truſianum traditas. CAP. XVI.

AD rationes autem iſtorum, ſcil. Eraſiſtrati & Truſiani reſpondeamus. Prima erat, quod non erat voluntarius nec naturalis ab elemento prædominante: dico ego quod fit à virtute naturali vitali, diſtincta tamen à virtute ſimplici naturali; quare venæ ideo non pulſant. Ad ſecundam de timoribus verum eſt quod in affectionibus animi concidit pulſus, dico tamen ſanguinem cauſam non eſſe motus iſtius, ſed quod recurrẽte ſanguine recurrunt etiam ſpiritus, quibus recurrentibus, qui ſunt inſtrumenta, cadit facultas, quia priuatur proprio inſtrumento. Ad tertiam dico, quod vinculum eſt in cauſa vt partes inferiores non pulſent, non quia deſit ſanguis, quoniam adeſt ſanguis calidus. & aperiãt & videbunt eum; ſed cauſa eſt, quia per vinculum conſtringitur exterior tunica & impeditur transfluxio virtutis ipſius. Ad vltimum de ſanguine egrediente ſciatis, quod ſanguis ſemper exit, tamen dum dilatatur, vehementius exit & ſalit, quia vulnus magis dilatatur: Exit autem ſanguis per ſaltum propter motum arteriæ, qui impedit continuum motum, cum vero contrahitur arteria, egreditur in minori copia, quia partes vulneris magis vniuntur. Impedit.n. ipſa ſyſtole, vt continuus non ſit fluxus, quare dilatatio nõ eſt cauſa ipſius ſaltus, quinimo ipſa ſyſtole; quinimo per dilatationẽ flueret ſanguis per continuum ductum. Ex his ergo colligamus ſanguinem non eſſe cauſam pulſus.

Dubium an facultas motrix à corde emanet in arterias.

Praxagoræ & Philotimi opinio.

Sed notandum eſt, quod Medici in hac concordes non ſunt: aliqui enim volunt hanc facultatem intimam, vt Praxagoras & Philotimus, vt refert Gal. lib. 6. de placit. cap. 7. & lib. 4. de differ. pulſ. capit. 2. qui volebant eſſe connatam ipſi arteriæ, ipſamque in ſuo agere: Nam dicunt, quod arteriæ pulſant, antequam cor ſit confectum vel ipſum hepar; & hoc non eſt, niſi à ſemine, quod quidem pulſat, vt Hippocrates ait lib. de nat. pueri, ſpiritus enim fuliginoſus & calidus continetur in ſemine & ipſa contractione attrahitur aer frigidior. Secundo ex anatome probant iſti, quia ſi detegamus arteriam in viuo animali, ſtatim refrigerata amittit motum, & hoc patet in ipſis membranis cerebri, quæ pulſant ratione arteriarum, ſi aliquantiſper refrigerentur, amplius non pulſant; ergo eſt quid inſitum arteriæ quod facit motum. Tertio ſi arteria non haberet hanc facultatem inſitam, ſequeretur, quod partes prope cor validius pulſarent, quam remotiores partes: nam illæ prius recipiunt facultatem tranſmiſſam à corde: nam omnes anatomici dicunt, quod nerui propinqui cerebro habent exquiſitiorem ſenſum, quam propinqui ipſi medullæ ſpinali; & hoc non eſt, niſi quia ſunt propinquiores ipſi membro, à quo fluit ipſa facultas. Quarto ſequeretur, quod partes ſiniſtræ corporis validius pulſarent, quã arteriæ partis dextræ, quia facilior eſt communicatio ipſius facultatis à ſiniſtro corde, quod tamen eſt falſum, Ergo non à corde habent facultatem hanc. Vltimo, ſi nos accipiamus viuum animal & amputemus partem alicuius membri, videbimus, quod pars illa palpitat, & etiam pulſat, ergo non à facultate tranſmiſſa, quia iam reſecta eſt; & in arteriis hoc eſt ingenitum & aliquid non eſt tranſmiſſum.

Opinio Hippocratis, Galeni & Herophili.

Galenus tamen hoc non vult, nec Herophilus nec Hippocrates, ſed quod facultas redundet ab ipſo corde. Nam ſi nos videmus, quod ad varium motum cordis variatur motus arteriæ; nam formicante corde formicans eſt arteria, languido exiſtente corde, languida exiſtit arteria. ſignum eſt quod cor communicat pulſum ſuum arteriis; Ergo vna & eadẽ cauſa facit ambas pulſationes; ergo vel in corde ponenda eſt, vel in arteriis, vel in vtriſq; ſed non in vtriſque, quia ſubſtantia arteriæ viſibilis toto cœlo diſtincta eſt à ſubſtantia cordis: Ergo potentia hæc & facultas, ſi conformitatem habet cum vno, differt ab alio, ergo non poteſt eſſe in vtroque. ergo vel in corde vel in arteriis tantum: non in arteriis tantum, quia conſonum non videtur, quod ab arteriis facultas hæc cordi communicetur: ergo neceſ-

satio dicendum est facultatem esse insitam in corde & in forma cordis, communicetur autem à corde per spiritus. Præterea si nullum aliud esset signum, ad hoc esset illud assumptum in tunicis, quod tunica vna est interna & habet fibras motus, pariter exterior habet meatus rectos, per quos transfundenda est facultas, aliter nullus esset vsus illarum fibrarum, quia fibræ illæ rectæ non faciunt ad contractionem & dilatationem, neque faciunt ad stabilem texturam, quoniam etiam aliæ adessent, & nullus alius darur vsus; ergo faciunt ob transmissionem aliquam: quæro quid sit illud, quod transmittitur? si non est facultas ista, nihil aliud potest transmitti: ergo &c. Tertio si facultas hæc in arteriis esset insita & ingenita, & non aliud emanans, sequeretur, quod in arteriis inflammatis deberet variare pulsus in frequentia etiam, non solum in magnitudine, quia huiusmodi facultas, si est insita, insita est in forma arteriæ, quæ est ipsa temperatura: at in inflammationibus temperatura patitur, ergo & facultas, vnde minor fiet pulsus & rarior, sed hoc non fit in inflammatione; Ergo arteria habet facultatem hanc à corde.

Quarto si arteriam vinculo intercipiamus, pars inferior non pulsat, quia facultas & spiritus non possunt ad eam transmitti: Ergo si haberet insitam facultatem vinculum, non impediret pulsationem.

Quinto nullum argumentum aliud est, quod magis probet, quam argumentum de fistula Galeni; quia imposita fistula si non ligetur arteria, pulsans inferiores partes, licet partes tactæ à fistula non pulsent: sed si ligetis ac comprimatis tunicam externam, partes inferiores amplius non pulsabunt; ergo &c.

Dicimus ergo quod arteria per se mouetur & non per accidens neq; ad motũ alterius sed per se, ratione alicuius facultatis insitæ in ipsis arteriis, non tamen connatæ sed transfluentis aliunde, sicut diximus, quod musculus mouet seipsum assumpta aliunde facultate ipsa videlicet à cerebro: hæc ergo fuit mens Hippocratis, Galeni & Herophili. & huius etiam sententiæ videtur esse Aristoteles, loc. cit. quando inquit, quod venæ pulsant, quia à corde est vis: licet aliter videatur dicere, vt isti hunc traxere.

Superest vt soluamus argumenta Praxagoræ & Philotimi, quorum primũ erat, quod arteriæ pulsant, antequam fit cor, ex semine pulsante, dum retinet spiritum fuliginosum & attrahit aerem frigidiorem, ergo non ab eo habent hanc vim: dico quod cõcedo, quod arteria pulset antequam fit cor, sed pulsat per facultatem communicatam ab arteriis vteri atque corii & secundinæ, quæ coniunguntur cũ arteriis fœtus. De pulsatione autem seminis non est vt simus solliciti, quoniam autoritas illa Hippocratis certe hoc non concludit, nec possumus vere, quod semẽ pulset, sed demus nos quod pulset, ego quæro, quod pariter venæ & ossa non pulsent, quæro ego rationẽ diuersitatis, quare etiã partes aliæ factæ ex semine non pulsent: argumentum ergo nullum est. *Responsiones ad argumenta Praxagoræ & Philotimi.*

Secundum erat argumentum, si detegamus arteriam, statim amittit motum, ergo habet facultatem insitam, dico quod idem dico de corde, in quo si non esset calor, non moueretur, non, quod fiat motus à calore, sed à facultate; sed requiritur calor actualis in corde vt conseruetur, idem est dicendum etiam in arteria, quia per calorem redditur corpus arteriæ aptum ad recipiendam facultatem, sicut per lumen corpus lucidum recipit species ipsas, & ideo cum facultas dependeat à corde sicut lumen à sole: hinc ergo fit quod deficiente calore actuali corpus arteriæ non est aptum recipere facultatem defluentem ab ipso corde, quare argumentum non concludit. Tertium argumentum erat de vehementia pulsus in vicinis partibus & remotis: dico quod in his actibus spiritualibus fit sicut in illuminatione, in qua vsque ad certum terminum cognoscitur nulla differentia luminis, neque vna pars magis alia illuminatur; at si longissimum fit spatium, varietas cognoscitur; idem dico de arteriis, quod cor transfundit facultatem, non ita tamen, vt debeat apparere aliqua diuersitas; facultas ergo eadem omnibus arteriis æqualiter communicatur, quia omnes sunt positæ ad certum spatium respectu cordis, vt non possit apparere aliqua diuersitas, aliter dico, quod nolo facultatem intensiorem communicari propinquioribus arteriis, tamen quia maius est corpus arteriæ prope cor & ad mouendum maius quantum maior requiritur virtus, ideo dico quod arteriæ æqualiter pulsant, non tamen est eadem facultas in intensione, quia illud fit idem à leuissima virtute in minimo corpore, quod fit ab intensissima in maximo corpore. Ad quartum argumentum de dextro & sinistro, videretur quod in sinistra parte deberet esse maior pulsus propter rectitudinem: tamen dextræ arteriæ vehementius pulsant. dico quod omnes arteriæ sunt sinistræ, quia oriuntur à parte sinistra cordis, diffunduntur tamen per dextram partem: nec iuuat rectitudo in hoc; validius autem pulsant dextræ arteriæ, quia dixi, quod calor in actu est ille, qui fa-

cit arteriam aptam ad recipiendam facultatem; vnde si magis calidum fuerit corpus, dummodo non recedat à commensurata caliditate per consequens erit magis aptum ad recipiendam facultatem; partes autem dextræ sunt calidiores veluti omnes philosophi & Medici consentiunt. Ergo &c. Ad illud, quod sit maior facultas circa caput arteriæ aortæ, non est, vt laborem, quia concedo; sed addatis, quod neruis asscribitur magis exquisitus sensus, non solum ratione propinquitatis, sed etiam ratione substantiæ: nam nerui à cerebro sunt molliores, quam nerui à spinali medulla. Alia erat ratio de palpitatione, dico quod non est pulsatio, sed palpitatio fit, quia vaporent vapores calidi; secundo, quia contrahuntur partes neruosæ, quare motus ille non est motus arteriarum, quia motus palpitationis inordinatus est & fit ratione vaporum, licet constituatur ex dilatatione & constrictione, quare facultas insita est per participationem & non per essentiam in arteriis.

Dubium an arteriæ sequantur motum cordis.

Quærendum deinde est, an arteriæ simul cum corde moueantur, an se dilatante corde dilatentur arteriæ; pariter è conuerso, si contrahantur. Omnes fere vsque ad nostra tempora, & Conciliator & Iacobus & alii dixerunt, q̃ constrictio vnius corresponderet dilatationi alterius & vice versa, id est, quod dilatato corde constringantur arteriæ; & dum constringitur cor, dilatentur arteriæ & infinita argumenta & varia isti pro sua opinione proponunt; ego autẽ tres rationes tantum in medium afferam, quæ videntur aliquid facere; quarum prima est, quod nisi hoc esset, cum suppositum sit, cor attrahere vndequaque aerem, sequeretur, quod nihil attraheret; quia si dum dilatatur arteria, dilatatur & cor, & quia dum dilatatur arteria, patitur vacuum: pariter dum dilatatur cor, patitur vacuum; ergo non posset attrahere ab arteria aliquid frigidi: & econtra, si dum contrahitur siue constringitur arteria, dilatatur cor, proculdubio ratione vacui attrahet cor ab arteriis. Secũda ratio est, quod in principio arteriæ sunt illæ tres membranæ ad claudendum orificium, tunc sequeretur, quod illæ membranæ essent frustra factæ & inutiles, nisi constricta arteria dilatetur cor; quia si constricta arteria constringitur cor, non esset periculum, sanguinem regurgitare in cor, quia iam constrictum cor est; ergo illæ membranæ inutiles essent. Tertio dicunt, quod sensu ipso percipimus, quod constricto corde dilatantur arteriæ, si ponamus manum ad thoracem & ad carpum. nam sentimus cordis percussionem, quæ est dilatatio. Alias autem rationes missas facio, quia leues & vanæ sunt.

Opinio Galeni.

At Galenus aliter opinatur, quod simul scil. & semel ambo constringerentur & dilatarentur bene affecto animali, cum vna & eadem sit facultas, & nos possumus hoc probare, primo quia omnes arteriæ simul & æqualiter pulsant, ergo idem dicendũ est de corde, quia idem eo tempore fit in corde ab eadem facultate ingenita: accipietis autem hanc sententiam à Gal. in. lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. & in lib. de vs. puls. cap. 1. & in li. de puls. ad tyr. capit. 1. cum eadem sit facultas semper: ergo vno & eodem tempore in omnibus operatur.

In oppositũ.

Ad primam rationem dico quod cor attrahat, quia maior est necessitas refrigerandi cor, & per consequens in corde maius est vacuum, vnde magis attrahit quàm minus vacuum, & ita arteriæ de necessitate trahunt aliquem aerem propter vsum cordis, & quia aliquid trahunt, ideo illæ membranæ non sunt inutiles vt concludit. Ad secundum argumẽtum dicatis illas membranas esse constitutas, ne id, quod est crassum, ingrediatur in cor: retinent enim sanguinem crassum non autem vaporem tenuem: & ita soluitur secundum argumentum. Secundo dicitur, quod licet non inseruiunt eo tempore, inseruient tamen quando in affectis præter naturam animalibus dilatatur vnum & alterum constringatur. Ad tertium de sensu, domini, decipiuntur, nam cum cor percutit, dilatatur, non autem cõstringitur, vt credebant isti; dico ergo, quod in thorace est fragor factus ratione insultus ipsius cordis: at dices, quod hoc non possumus videre: vos ex Gal. lib. 7. de adm. anat. capit. 14. percipietis præcipue in anatome viuorum animalium, vnde sensus potius pro nobis facit.

Collectio dictorum.

Colligatis ergo arteriam moueri à semetipsa per facultatem, quam habet à corde, quæ fouetur in arteria à calore actuali, non est tamen ingenita nec connata, sed transfunditur ista facultas à corde per meatus rectos exterioris tunicæ; superest vt videamus, quæ nam sit materia arteriarum.

Materia generans arterias.

Materia arteriarum proculdubio est seminalis, licet Gal. lib. 2. de nat. fac. cap. 3. videatur asserere fieri ex sanguine, tamen loquebatur ad hominem, quia lib. 1. de sem. cap. 5. & alibi asserit quod à calore concoquente & à spiritu formãte ex semine fiant, calor enim concoquit spiritusque vltro citroq; fluit & perforat.

Materia ex qua alũtur.

Materia autem, ex qua aluntur, ea est, quæ alit neruum & cartilaginem ipsam, vt diximus, quo ad temperaturam arteria est frigida & sicca. nam in lib. 1 de temper. cap. 3. dixit esse frigidiorem &. sicciorem ipsa cute, sed oritur difficultas: nam Gal. lib. 1. de temperam. cap. 3. dicit multas partes esse calidiores arteria; sed

Contradictio in Galeno circa tẽ-

in lib.

Arteriarum vsus.

in lib. 8. de vs. part. cap. 2. inquit, quod arteria sit calidior omnibus partibus in corpore humano: quare est contradictio in ipso Galeno, quę sic tollitur quod scil. in lib. de temperam. loquitur de caliditate temperaturę, in li. autem de vs. part. de caliditate actuali, nā hoc modo excepto corde nulla pars est calidior.

Vsus arteriarum primus erat, vt ministrarent cordi ad deferendum spiritum & facultatem vitalem: secundus, vt tuerentur calorem insitum, quia attrahunt aerem frigidiorem & excitant calorem suo motu & expellunt fuligines, & hic est potissimus vsus.

Vltimus vsus est, vt faciant ad conformationem aliquam partium, vt ad plexum retiformem, qui fit ab ipsa arteria, qui manifestissime est in brutis. Præterea plexus choroides in ventriculis cerebri conformatur ex arteriis.

Passiones.

Passiones autem sunt, vt primo sit exanguis arteriæ substātia; & hinc colligatis, quod etsi attrahant sanguinē à partibus ipsis, quod attrahunt per cauitatem & non per substantiam: pariter colligatis venam attrahere sanguinem ab epate per suam cauitatem & nō per propriam substantiam. Secunda passio est, vt sit candida naturaliter, quia ex semine & exanguis est. Tertia vt sit teres, oblonga excauataque, constans ex crassa tunica & non crassissima, vt libro sexto de vs. part. capit. 16. Quarta, quod sensu priuata sit ex libr. 16. de vs. partiū, capitulo secundo & duodecimo, at dices quod Galen. lib. 2. de loc. affect. capit. 3. & 8. & in lib. de tumor. cap. 8. dicit quod arteriæ dolent, tollatis autem vos contradictionem hanc sicut ego sustuli de vena, dicendo, quod loquebatur de sensu qui percipiebatur à membrana vestiente arterias. Vltima passio est, quod dissecta vel comminuta non coalescit nec potest restitui, ex lib. 1. de sem. cap. 14. neque agglutinari, primo quia est ex semine, quia cum tarde hoc deberet fieri, supercrescit caro, tertio quia continuo est in motu. At notandum est, quod Gal. lib. 5. meth. med. cap. 7. testatur se vidisse arterias & venas restitutas, sed loquitur ibi de ætate puerili, in qua (ante septimum annum saltem) possunt agglutinari; at in illo iuuene, quem eo in loco Galenus proponit, non fuit vera agglutinatio, sed fuit coalitus per mediam succrescentem carunculam. Et sic soluetis difficultatem illam. Et hucusq; de arteriis.

An arteria sentiant.

An arteria dissecta conglutinentur.

De Vnguibus. CAP. XVII.

Differentia inter vnguem & vngulam.

HAbemus geminas voces multum inter se similes, quę sunt vnguis & vngula, quę apud Gręcos dicuntur ὄνυξ & ὁπλή. quę voces ita inuicē respondent vt ὄνυξ Gręcis & apud nos vnguis idem sit, ὁπλή vero græce apud nos vngula dicitur illud extremum durum, atque quasi corneum cum fuerit integrum: at si bisulcum sit, vt in extremis animalium pedibus vngula dicitur. Illud vero durum, quo extremi digiti armantur & pedes animalium distincti in digitos, vnguis dicitur, de qua nos tractamus, quia connumeratur inter partes similares, quamuis aliqui hoc negarent; nam quædam est opinio apud omnes fere Medicos, dicentes vngues non esse corporis partem, & hoc tenent fere omnes recētiores, veluti conciliator Hugo Senensis, Trusianus & omnes fere recentiores, quos vidi, & vltimus omnium fuit Fernelius, qui tuetur hanc sentētiam multis rationibus: falsa tamen est cōclusio: nam ego teneo, nō solum vngues esse corporis humani particulas & necessarias, sed etiam optimum præstare vsum, licet hoc paradoxum videatur, tamen verum est.

An Vngues sint partes corporis.

Rationes negantium.

Rationes autem, quibus mouentur viri isti, plures sunt atque variæ; & inter alias prima, quod vngues non nutriuntur, ergo non sunt partes corporis; probatur consequentia, quia non viuunt: viuentium enim proprium est ali, quo stante per consequens non sunt partes corporis viuentis. Quod vero non alantur, patet, quia cum quid alitur aut conseruatur aut crescit, vt dicit Aristoteles lib. 2. de gen. animal. cap. 4. alimentum enim aut dat esse & conseruat, aut incrementum præbet per omnē positionem. Alimentū igitur, inquit Aristoteles duplex est, vel augens vel conseruans: at hoc non accidit vnguibus, quia si auferātur vngues, solū per longum conseruantur & crescunt, non autem secundū crassitiē & latitudinē, sicuti fit in his, qui vere crescunt & conseruantur per nutrimentū. Secundo probāt sic: nam Aristoteles loc. citat. & aliis infinitis dicit, quod corpus humanum habeat statum, incrementum, id est, cum peruenerit ad certum ætatis statum, ibi conseruatur, non crescit autem corpus animalium, quia eius particulæ, cum peruenerint ad certum tempus, amplius non crescunt, sed conseruantur, quod non fit in plantis, quæ quo vsq; viuunt, semper rami earū crescunt, hoc vero nō est in animalibus, pręcipue in homine, quia particulæ semper non crescunt, quæ componunt corpus ipsum: hoc stante, ergo quia vngues perpetuo crescunt, & non habent statū & determinatū incrementū, ideo corporis partes non sunt. Tertio si vnguis esset pars corporis, sequeretur, quod cum omnes partes crescerent & ipsi cres-

Alimentū duplex.

scerent,& cum aliæ decrescerent & ipsi vngues decrescerent:at contingit quod decrescentibus omnibus partibus corporis magis augentur vngues:hoc patet in senio,in quo corpus humanum deficit, & decrescit, & tamen tunc temporis magis crescunt vngues. hoc patet etiam in marasmo,in quo cæteræ partes comminuuntur,ergo non sunt partes. Quarto vngues crescunt mortuo corpore animalis;ergo non sunt partes corporis viuentis:antecedes patet ex multis experientiis, ergo non sunt partes. Vltimo dicit Auicennas fen. 1.li.1.doct. 5.cap.de membris, quod membrum est illud,quod fit ex prima commixtione humorum: at vngues non fiunt ex prima humorum commixtione, ergo nõ possunt esse partes: minorem probo ex Aristotele lib.2.de gen.anim.cap.4.vbi dicit,quod ab excremento nutritionis & augmenti fiunt ipsi vngues,pili,cornua & similes partes:ergo &c.patet etiam hoc ex sententia quorundam antiquorum,quos proponit Gal.libr.2.de adm.anat.cap. vlt.qui dixerunt,vngues gigni & constare ex neruo,osse & cute,aliqui addidere carnem,aliqui ligamentum.& hanc sententiam videtur laudare Vesalius lib.1.de ossib.capit.14.quod admirror:quo stante ergo non fiunt ex prima humorum commixtione. Postea addũt duas autoritates,quarum prima est illa celebris in lib.art.med. capit.9.vbi Galenus diuidit partes in quatuor genera,& asserit quod vngues & pili non habeant regimen à seipsis, sed tantum generationem:ideo non connumerauit vngues inter partes corporis;ex quo loco omnes

Opinio affirmatiua. præter Haly eliciunt hanc sententiam,vngues scil.non esse partes. Alia autoritas est ipsius Auicennæ,loc.cit.vbi ex proposito enumerans omneos corporis partes ac corpus componentes,non enumerat vngues.Tamen his non obstantibus ego oppositum teneo & credo esse partes corporis animalis,& primum mouer à definitione partis, quia cui competit definitio partis, eidem competit etiam definitum : at apud Galenum reperio duplicem definitionem partis, alteram, in lib.1. de vs.part.capite primo,alteram vero lib.1.meth. meden. cap.5.nam li.de vs.part.c.1. habetur, quod particula corporis est illa substantia consistens, quæ habet propriam descriptionem,atq; ita coniuncta est corpori, vt possint indicari termini illius.at nemo negabit vngues hanc definitionem habere; coniuncti enim sunt corpori humano,vt pedibus ipsis,& habent propriam descriptionem:ergo &c. Secunda definitio erat,quod quicquid complet corpus & ipsum integrat,illud pars est,at in libr. primo, de vs. part. cap. 6. & aliis sequentibus capitibus inquit, quod vngues sint partes corporis integrantes digitos & pedes, aliter nõ essent veri digiti & perfecti: digiti enim imperfecti sunt sine vnguibus; ergo sunt partes corporis. Secunda ratio est,quia video vngues habere vitã & sensum,q; isti negabant;ergo sunt partes corporis viuẽtis.Probo,quod viuãt,ex Galeno,nam in lib.2.de adm.anat.cap.vlt.inquit,quod vngues habent neruos,arterias & venas,quæ ad ipsos perueniunt ob sensum, vitam,& nutritionem. Idem Hipp. testatur etiam in lib.de nat.hum.Si ergo habent instrumenta ipsius vitæ,ergo viuunt. Quod habeant sensum,apud me non est dubium,& in hoc miror omnes fere anatomicos & etiam Vesalium, qui dicunt vngues destitutos esse sensu:Galenus autem asserit adesse sensum, quod nega-

Errores plurimi Montani. bat etiam Montanus prima primi c.2.de complexionibus, quo in loco plurimi sunt errores,quorum primus est,quia citat Galenum lib.5.de administr.anat.& est liber 2. Secũdus error est,quod dicit Galenum obiicere,his,qui dicebant secundũ antiquos esse cõnumerandos inter partes organicas:tertius quia citat Galenum in lib.2.de temper.dicentẽ,quod vngues fiunt per vlteriorẽ exiccationem ligamentorũ,quod falsum est: Quarto quia dicit, vngues destitutos esse sensu:quare credo, non fuisse hanc sententiam illius clarissimi viri: & hoc dixi vt caute legatis eius scripta.Sed quicquid sit,dico q; vngues habeant sensum:& adest experientia;vt enim habent sensum ipsi dentes, quia ad extremum eorum perueniat neruulos,ita & vngues,quia ad eorum radices finiunt nerui. Ergo &c.

Tertio ego moueor,quia video vngues nutriri vt cæteras partes corporis, & video hoc fieri duabus rationibus;primo quia vngues crescunt ad omnem positionẽ vsq; ad ætatem vigintiquinq; annorum,qui terminus est omniũ partium. Et hæc est veritas,neq; dubitandum:quisq; enim in seipso obseruare potest;nam vsq; ad hoc tempus crescunt vngues in omnem positionẽ; & quamuis terminetur incrementũ per profundũ & per latũ,& hoc commune est augmentũ cum aliis partibus corporis: sed præter hoc augmentũ, quod cessat & factum est, ratione totius corporis, est aliud augmentum factum ratione vnguium, quia absumuntur,& deteritur continuo,substantia eorum : ideo necessariũ fuit augmentũ hoc per longum,quoniã diminuuntur & absumuntur: & quod verum sit, conspicietis hoc idẽ in dentibus,qui vsq; ad vigesimum quintũ annum crescunt ad omnes positiones, quia tũc crescũt ratione totius corporis,post illud autẽ tempus dẽtes nõ sunt neq; latiores neq; profundiores,sed longiores tantũ:nam crescunt dentes tantum ad longitudinẽ, quoniã cum continuo ac continuo comminuatur eorũ substantia ac atteratur, inde continuo ac ipsũt

incre-

incrementum, quod patet, si quis exerat dentem, quod dens oppositus fit adeo longus, vt totum spatium cauum impleat, quoniam non atteritur ab opposito suo, vti solebat. eãdem causam dico esse augmenti vnguium.

Moueor etiam alia ratione, quoniam video vngues esse inter illa, quæ intenduntur à natura in generatione animalis, & perpetuo conseruari vsq; in extremum diem, & primo adest experientia, quia in formatione fœtus post 42. dies adest formatus vnguis, & in lib. de nat. fœtus inquit Hipp. quod in prima formatione fœtus formantur etiam vngues; non ergo casu fiunt vngues, sed sunt partes. Vltimo vnguium dantur morbi proprii ac peculiares, & connumerantur vngues affecti inter locos affectos & particulas affectas; nam particulas Medici locos appellant, & proponunt infinita medicamenta ad vngues affectos, ergo sunt partes corporis. Sed addatis autoritatem Aristotelis in lib. de partib. animal. infinitis in locis, vbi semper appellat vngues partes corporis animalis, & lib. 2. de gene. anim. loc. cit. & Hipp. in lib. de nat. fœtus idem testatur, Galenus etiam in lib. 1. de vs. part. Et multis aliis in locis & præcipue in lib. de inæquali intemperie cap. 2. Auerrhoes etiam lib. 1. collect. c. 2. & 13. idem testatur, vt alios autores multos omittam. His itaq; moueor rationibus vt credam vngues esse partes corporis animalis, quamuis sciam hoc esse paradoxum, tamen sententiam meam proposui & addo esse partes corporis, non tamen nobiles, sed potius cæteris partibus ignobiliores. *Autoritates.*

Quomodo ad argumenta in oppositum allata sit respondendum, item quæ sit vnguium natura, definitio, causa efficiens, materia, nutrimentum, temperies, vsus & passiones. CAP. XVIII.

CVm autem rationi consentaneum sit, vt tollamus argumenta aduersaria, quorum primum erat, quod non nutriuntur, dicatis & negetis vos, quod non nutriantur & quod non viuant, quia continuo crescunt ad omnem dimensionem vsq; ad 25. annũ: sed incrementum hoc intelligẽdum est circa partem mollem & circa eius radicem. Nec faciat vobis difficultatem Galenus lib. 2. de anat. adm. cap. 11. & lib. 1. de vs. part. cap. 11. vbi dicit, ꝙ non crescunt ad omnem dimensionem: non enim Galenus illis in locis loquitur de illo incremento vsq; ad 25. annum, quod fit ratione vniuersi corporis, sed loquitur de incremento necessario vnguibus ratione ipsorum propter eorum vsum, vt suis vsibus inseruire possint, ideo dixit in longum tantum crescere: tamen non negat, (Galenus) quin vsq; ad 25. annum pro conformatione vniuersi vngues habeant incrementũ ad omnẽ positionẽ, namq; illud idem possemus dicere de dentibus, qui post 25. annum tantum crescunt per longum.

Sed vnum notandum est, quod non videtur vera nutritio vnguium, cum fiat tantum circa radices aliqua additio, quia verum incrementum esset, vt in tota substantia adderetur aliquid, quare potius dicenda esset iuxtapositio. Ego autem appello vngues augeri, ad veram nutritionem vnguis, sicut aliæ partes, nam circa radices tantum non est aliud quod addatur, sed tota substantia attrahit & concoquit & alterat in naturam suam, sed quia determinatum est incremẽtum in latitudine & profunditate, ideo tota nutritio & incrementum procedit in longum, sicut in dentibus, in quibus circa radices additur aliquid dentem expellens in longum: & tamen dentes vere nutriuntur, vt omnes fatentur & vident. Ad secundum argumentum, quod erat quod vngues perpetuo crescant, & propterea non possint esse partes; iam dixi, quod in vnguibus & dentibus duplex est incrementum, vnum ratione vniuersi, & hoc statutum & determinatum est in dentibus & vnguibus ratione latitudinis & crassitiei, augmentum autem in longum non terminatur, sed semper durat propter necessitatem & vsum ipsorum vnguium: Facti enim sunt ad scalpendum, qui cum comminuantur & atterantur, necessum erat, vt restituerentur; & nisi hoc esset, illud idem dicendum esset de dentibus, quare neque hoc argumentum facit aliquid. *Dubium num vere nutriantur Vngues.*

Ad tertium, quod aliæ partes decrescant decrescentibus aliis partibus, vngues autem nunquam diminuantur, dico quod si valeret argumentum illud, idem dicendum esset de dentibus & de omnibus ossibus: nam in senio omnes partes minuuntur & decrescunt, tamen neq; ossa neq; dentes decrescunt, ergo non essent partes corporis, ꝙ nemo vnquã dixit, quare argumentũ nullũ est, neq; vlla potest assignari ratio diuersitatis. Ossa aũt in senio videntur augeri potius, suturæ enim cranei obliterantur & cartilagines osseæ fiũt. Sed dicet isti, quod eo tempore vngues magis crescunt, quam aliis temporibus: credo quod in senio magis videantur crescere quam vere crescant, quia iuniores eos comminuunt & atterunt suis continuis operationibus, quod non faciũt senes, qui cum non laborẽt vt iuuenes, pars

extrema vngnium non ita absumitur, vnde vidẽtur magis crescere vngues. Quare nõ sum certus de hoc, an s.cum videamus productiores vngues in senib. illud fiat, quia magis crescant, an quia videantur crescere, quod quidem apparet in dentibus seniorum, qui cum sint prudentiores, non atterunt corpora duriora, vnde eorum dentes non atteruntur; id dico de vnguibus. Sed demus, quod magis crescant, tamen id non sequitur, quod dicunt, quod nõ sint partes, quia dicerem, quod crescunt, quia eo tempore proprium abundat alimentum, pariter non præciduntur, quoniam proritatur morbus; idem dico de marasmo. videntur enim magis crescere, quia partes consumuntur & vngues videntur produci, quia in ægritudinibus crescunt vngues, quia non atteruntur, & raro etiam abscinduntur. Ad quartum, quod vngues crescunt mortuo animali, nescio quis fuerit admodum diligens, qui viderit eo tempore productiores vngues, quia vere non crescunt, sed quia molliores partes exiccãtur & cõtrahuntur, ideo ꝙ durũ est, magis productũ apparet: ergo &c.

Ad vltimũ quod erat, particula corporis ex Auic. fit ex cõmixtione humorũ, sicut ꝓbabam, ergo &c. dicimus esse falsum, quod vngues constent ex tot partibus, vt dicunt: & hanc sententiã confutat Gal. loco ab ipsis citato, cum non videã ego quomodo ex pluribus corporib. opacis simul mixtis possit fieri diaphanum, diaphanus enim vnguis est. Secundo cum nõ videã aliquam partem corporis, quę habeat neruum in substantia habere sensum per consensum & per accidẽs, at vnguis habet sensum per consensum & per accidens, quare nõ habet facultatẽ, qua sentiat omnes species sensibiles, tangibiles sicut dentes sentiunt per cõsensum, quia hærent partibus sentientibus per se, exempli gratia, dentes percipiunt caliditatem & frigiditatem, tamen non percipiunt duritiem & mollitiem neq; solutã continuatam, quia non habent facultatẽ qua percipiant per se ista sensibilia, quia species duri & mollis non statim communicantur parti, in qua est vis ipsa sentiens, quia species caliditatis & frigiditatis sunt magis spirituosæ, vnde facilius permeant vsq; ad principiũ sentiens, vnde dentes videntur sentire per accidens. Quod si haberent neruulum admixtum, fieret sensatio per se. quare cum ipse vnguis tantum patiatur à frigido & calido, & non à duro vel molli, ideo sentit per accidens & per consensum: sequitur ergo, quod in substantia sua non habeat neruum, sicuti illi dicebant.

Ad autoritatem Aristotelis.

Ad Arist. vero, ex quo probabant vngues non fieri ex prima illa cõmixtione humorũ, sed ab excremẽto nutritionis & augmenti partiũ, per excrementũ Arist. illo in loco intelligit partem crassiorem, non autem verum excrementum, & quod verũ sit, statim subdit, quod ex tali excremento fiunt ossa, i.e. ex parte terrestriori & crassiori ipsorũ humorũ, vt in ossiũ tractatione audiuistis.

Ad autoritatem Galeni.

Ad autoritatẽ autẽ Gal. quæ ita grauis est, vt secum traxerit omnes, quos dixi, ad hanc sententiam, tamen nõ videtur nos posse elicere ex eo loco, non esse partes. Credo igitur in eo loco Gal. secutum fuisse ipsum sensum, & hac ratione separasse à partibus vngues & pilos. Nam cum durissimi & siccissimi sint, ideo non apparet, quod nutriantur, sicut aliæ nutriuntur partes. Cum ergo partes diuisisset in principales & earũ instrumenta & in partes eas, quæ se regunt, & in eas, quæ de vtrisq; participant, quæ omnes partes habent in se regimen & continent seu cõseruant seipsas, statim subdit pilos & vngues, quas partes ipse nõ proposuisset, nisi opinatus fuisset esse partes, partes tamen nõ habentes in se regimen: Cum .n. proposuisset partes, quæ habent regimen à seipsis ad sensum, subiungit quod pili & vngaes non habent regimen ad sensum: quare ibi non separat vngues & pilos simpliciter à partib. corporis, sed ab illis partibus habentib. regimen ad sensum, quæ sunt vngues & pili. Tamẽ posset dubitari de pinguedine, an habeat regimen. & ego habeo plura argumenta & autoritates, præcipue cũ generatio pinguedinis sit per accidens.

Ad autoritatem Auicenna.

Ad autoritatẽ Auic. qui dimiserit vngues, dico, ꝙ ipse fecit mentionẽ tantum principaliũ partiũ, & quod verũ sit, dimisit magnitudinẽ, quam ꝓponit Gal. quare dimisit, tanquã non essent exquisitæ partes & eius ordinis, cuius sunt ceteræ partes, quare Auic. de partibus minoris momenti non fuit sollicitus. sed nõ quod partes corporis nõ essent.

Vnguium natura & definitio.

Hoc stante, cum colligã vngues esse partes, ignobiles tamẽ, corporis humani, sciatis totã earum naturã consistere, vt sint particula nõ valde cõmunis, similaris quidẽ, non tamẽ primi generis, cornea veluti substantia cõsistens, q̃ extremos animalium digitos nutriat. & videatis quare ego dixi, non valde communem partem, quia quamuis requirantur ad constitutionem digitorum, tamen non requiruntur ad alias partes sicut nerui & aliæ partes, & credo ad hoc respexisse Aristotelem lib. 3. de part. animal. cap. 3. vbi facit quinque genera partium communium. Et in quarto genere proponit ipsos vngues.

Dubium an vnguis sit similaris.

Dixi similarem, quod testatur Galenus in libro de inæq. intemp. cap. 2. quod etiam testatur ipsa experientia, nam non possumus accipere minimã particulã vngnis, quæ non sit eiusdẽ substãtiæ cũ toto. At dices, ꝙ in meis digitis primo est pars siccior, postea est pars candida, deinde est pars rubea, videmusq; circa radicẽ vnguium candidã partem, quã vocant aurorã: ergo similaris non est vnguis, variante enim colore variat substantia.

Dico ego colorem rubeum in vngue nō esse vnguem, siue, vt melius dicam, vnguiū, sed carunculæ subiectæ. Succrescit enim caro, quæ ligat vngues ipsis ossibus, quæ caruncula cum sit prædita optimo sensu, facit illos intolerabiles dolores, si pungatur, quos nouerūt ipsi Turcæ, & cum illa caro sit rubra vnguis diaphanus repræsentat illum colorē. Secundo color candidus in extrema parte vnguium, dico quod verus est color vnguium, maculæ autem vnguiū sunt potius passiones & affectus præter naturā vnguium, qui oriuntur ex aliquo humore crudo opaco tosto, qui non potuit verti in substantiam ipsius vnguis, sed conuersus est in corpus opacum. *Cur in vngue appareant varij coloris.*

De colore autē existente circa radices sciatis, q. color ille est color chordæ digitorum quæ extendit vnumquemq; digitū, quæ chorda inferitur in dimidiam partē ipsius ossis, & ita quāto maior pars vnguis erit extēsa sup ipsam chordā, tāto magis apparet chordæ color. Hinc est, q. cum in omnibus digitis non extendatur eodem modo vnguis super istā chordam, ideo eodem modo non apparet in omnibus digitis iste color albus; quare diuersitas hæc colorum non tollit, quin vnguis pars sit similaris.

Et hinc notate errorem aliquorum anatomicorū, qui volunt illā chordam peruenire vsq; ad extremū ipsius vnguis; totus enim appareret albus vnguis, si hoc esset. Dixi præterea esse primi ordinis, quia vngues non explent per se integrū munus sicut venæ, nerui & arteriæ: cum igitur vngues organa non sint, hac ratione sunt similares primi ordinis. Addebam constare substantia ferme cornea & mouebar hac ratione, quia videbam maximum consortiū inter substantiam cornu & vnguium. Primo enim video substantiā cornu flexilem, secundo diaphanā, tertio albā, quarto possunt cornua in fibras scindi atq; laminas, quę omnia sunt in vnguibus: vltimo vna & eadem videtur durities vtriusq; corporis: conspiciatis vngues brutorū & conferatis cum cornibus, eadē videtur esse substantia. Et hinc miror Hieronymū Cardanum, q. lib. 1. contradictionū medi. loquens de vnguibus dixit esse vngues ex substantia cartilaginosa ex mente Vesalii, quod tamen nunquam somniauit Vesalius, quod autem vngues muniant digitos, declarabo cum de eorum vsu agam. *Cardani error.*

Deueniamus modo ad causas. dixi quod aliqui ex antiquis, vti habetur à Galeno in li. 2. de anat. adm. ca. 11. credebant vnguem esse os, neruum, cutem & ligamentū; quæ sententia à me confutata fuit cum Galeno loc. cit. Sed à Galeno veras causas non habemus; nam in lib. 2. de temper. c. 2. loquens de his, quę gignuntur ex semine & ex sanguine dixit, quod coagulata ipsorū substantia generantur ossa & vngues; vnde colligimus vngues esse ex semine vel sanguine, quod tamen ipse non aliter declarat. *Causa vnguium.*

Hippocrates autē in lib. de nat. fœtus dicit, q. primo formantur quædā particulę, quibus formatis formatur integer fœtus spatio triginta dierū, fœmina vero spatio 40 dierū, postea incipiūt partes, q iam cœperunt formari & poliūtur & magis pficiuntur vsq; ad spatiū trium mensium, ad quem vsq; terminū fit, vt moueatur fœtus. In prima formatione, inquit Hippocrates, non fiunt vngues, sed in secunda. Ex quo loco nos colligimus, q. cum omnia in prima formatione fiāt ex semine & ante 30 diem formētur, postq; trigesimū nihil seminis remaneat, & post triginta dies fiant vngues, sequitur vngues non fieri ex semine sed ex alimento addito. & mihi videtur, quod Aristoteles soluit hanc difficultatē, nam in lib. 2. de gen. anim. c. 4. pponit duplex excrementū, ex quo fiunt particulæ, alterum, quod ipse appellat seminale, quia reperitur in massa seminis, alterū incrementum est nutritionis & augmenti, & est pars quędā ex ipsis humorib. ex quib. fit nutritio vel augmentū. Notate tamē cum dicit excrementū intelligit substantiā quandā crassam & terrestriorē in vtroq;, nō autem substantiā inutilem, ex primo excremento seminali, inquit, quod fiant ossa & nerui & aluntur, & addit Aristoteles, quod crescunt & aluntur ex secundo excremēto nerui & ossa, vngues autem fiant ex secundo excremento; vnde habemus non fieri ex semine. Et in hoc cōcordat Arist. cū Hipp. materia igitur vnguiū erit excrementū ipsius alimenti. Subdit etiā Arist. q. id excrementū habetur ab eo vnde habetur alimentū q. alimentū aut ab vtero habetur, aut de foris, quia accipit fœtus vel lac vel cibū. Istud v. excrementū quale sit difficultas est, & à quo alteretur, dico quod præparatur ista materia excremētosa ab ipso semine, q. semen cum statim est in vtero, statim nutritur & alitur, augetur & sugit ab vtero sanguinē & præparat ac concoquit sanguinem, cuius pars nutrit partem tenuem seminis, alterat vero crassam, & pars, quæ superflua est ac inepta nutriendo semini in vngues & pilos formatur; inquit enim Hippocrates hoc alimentum ita præparatū concoqui & alterari ac inspissari, vnde formantur vngues; materia igitur vnguium est pars crassior alimenti prius pręparata à semine dum nutritur: semen autem nutriri supponatis tanquam verissimum, patet enim hoc etiam in seminibus plantarum, neque hoc aliter probo. Hoc autem stante non placet Fernelii sententia, qui libro primo suæ medicinæ natur. cap. 15. inquit quod materia *An vnguium materia sit semen.* *Vnguium materia.* *Fernelii error.*

vnguis est eluuies & excrementum chordrum: aduersatur .n. Aristoteli vt videtis. Aluntur autem vngues ex proportionali materia, quę eadem ferme est, quę alit cutim, licet crassior sit, pars enim tenuior alit cutim, terrestrior vero alit vngues, & hoc credo ego propter exemplum Æthiopum & colores vnguium brutorum: nam vngues brutorũ habẽt eundem colorem cum ipsorum corio, cum color sequatur ipsam substantiã: cum igitur idẽ color sit vtrinsq; nutrimentũ idem fere est. Prętera etiã video Æthiopes habentes coriũ nigrũ habere vngues nigros, in albis v. candidos vngues sicut coriũ: ideo credo alimentũ esse idem.

Vnguium nutrimentum.

Causa efficiens. Causa efficiẽs vnguium ex Gal. lib. 2. de temp. est calor densans & frigus coagulans, primo ergo à caliditate concoquente, deinde ab aliqua congelatione; patet hoc, quia à calore mollescunt, ita vt cocto vngue in aqua recipiat sigillũ, q; signũ est aliquo modo cõcretos esse à frigore, nõ omnino tamen à frigido, quia eliquarentur omnino à calore, & ita habemus immediatam causam vnguium & secundã causam. *Temperies.* Temperatura autem vnguium ex Gal. lib. 2. de temper. c. 3. est, vt vnguis sit siccius & frigidius corpus quocunq; existente in corpore nostro exceptis pilis. Et hinc est, q; Medici apponunt in affectibus vnguiũ medicamenta robustissima calida & sicca in quarto gradu, ex quo colligitur talem esse eius temperiẽ vt diximus. *Vsus.* Habet vnguis varios vsus. Gal. autem lib. 1. de vs. part. cap. 10. accusat *Aristotelis & Platonis error.* Platonẽ & Aristotelem: Platonẽ quidem negligentiæ, quia dixerit casu factos esse vngues in brutis, & cum natura viderit eos vtiles esse, ipsos etiam dedit hominibus, & in hoc Plato merito accusatur, accusatq; Aristotelẽ qui in lib. 4. de part. animal. c. 10. dixit, q; vngues sint munimentũ partium extremarũ: sed accusatur à Galeno, quia non explicauerit quodnam sit hoc genus nutrimenti; at Aristoteles subiungit in loco, quod vngues sint additi tãquam operculũ extremarum partiũ. Auerrhoes autẽ lib. 2. collect. cap. 8. dicit, quod primus vsus sit, vt veluti tubulus ferreus additur extremis partibus hastarum ne disrumpantur, hac ratione additi sunt vngues extremis partibus, vt sint earum (partium) tutela: & hoc patet in omnibus animalibus donatis vnguibus; & hoc videtur esse munimentum ipsius Aristotelis. Ex hoc colligatis, an merito accusetur à Galeno, qui proponit verum vsum ipsorum vnguuim in lib. 1. de vs. patt. c. 7. qui est vt fiat certa & bona corporum cum durorum tum molliũ apprehensio, & hic est vsus vnguiũ digitorum humanorum, nam corpora minuta aliter apprehendi non possent, & est potissimus vsus. Auerrhoes autem non consentit cum Galeno. nam hic, inquit, tantum est vsus digitorum manuum, nam non apprehendimus res vnguibus pedum, vnde nõ est cõmunis vsus omniũ vnguium. Domini, vt loquar deap-prehensione, credo si obseruemus digitos brutorũ, quę habent pedes distinctos in digitos, in quibus sunt vngues non est dubium, quod tales vngues facti sunt propter apprehensionem. Omnia enim animalia quadrupeda habentia vngues & digitos, celant vngues dum ambulant: sed cum aliquid volunt apprehendere, denudant vngues: sed in homine, vt ingenue dicam, cum vngues, positi sint in pedibus, credo esse appositos propter apprehensionem: quoniam cum incedimus, nisi digiti inclinentur, vt apprehendant ipsum solium, retrocedũt pedes, & hoc in rusticis potestis obseruare, qui nudis pedibus ambulãt, videbitis enim eos apprehendere terram: nos autem cum simus soleati, his non vtimur. Bene verum est, quod solea magis apprehendit, quia solũ nos arripimus digitis & vnguib. ipsas soleas: aliter certus nõ esset incessus, cuius signũ est, quod & ipsæ formãtur cauitate digitorũ. quare verus vsus vnguium est appræhensio: sed diuerso modo apprehendunt digiti & pedes.

Addebat Gal. alios vsus, s. vt nos possimus scalpere, excoriare, diuellere, & vti etiam illis pro armis, vt pueri faciunt & mulieres ineptæ, sicut etiam dentibus vtuntur, licet natura hoc non voluerit donans ipsi homini dentes & vngues. Vltimo ipsi physiognomi dicunt, vsum vnguium esse, vt indicent bonam vel malam fortunam, vitia & virtutes: legatis Hieronymum Cardanum lib. 18. de subtilitate. *Passiones.* Passiones vnguium sunt hæ: Primo vt continuo crescant in longum ex Gal. lib. 1. de vs. part. c. 11. Secunda passio est, vt habeant quandam duritiem flexilem propter difficultatem patiendi, aliter facilime paterentur. Tertio vt sensum habeant per consensum & imperfectum, quia tantum sentiunt intensam caliditatem & frigiditatem. Quarto vt habeãt talem figuram, vt sint veluti canaliculi quidam, ita tamen vt habeant formam à partibus connatis: legatis Gal. lib. 1. de loc. aff. c. 5. & 2. de prog. text. 60. vbi inquit, quod in purulentis vngues incuruantur & vnci fiunt, cum tamen plani essent, & hoc mirũ videtur, & causam reddens Gal. dicit hoc fieri, quia partes spermaticæ & carnosæ circa vngues absumuntur ex toto à calore absumente vniuersum corpus, vnde in omnib. vnguibus, in quibus fit affectus aliquis præter naturam, si patiãtur partes subiectæ, patitur & ipsa figura. Addatis q; semper sunt diaphani & pellucidi: ar in Æthiopibus hoc non potui experiri, credo tamen esse diaphanos: addatis vt secundum naturã possint diuidi in fibras lõgas & laminas lõgas: vltimo vt in hominib. bis in anno ad minus per-

ĝmutentur vngues, & h.e.perpetuũ,dixi autẽ ad minus, quia sunt aliqui homines in quib. propter eorum exercitiũ ter & quater mutantur vngues, sicut in his, qui exercẽt manus in aqua calida,quæ multum facit ad incrementũ, mollities enim facit ad incrementum. Et hæc de vnguibus satis dicta sint.

De Pilorum nomine, definitione, materia, generatione, causis efficientibus, generibus, temperie, vsu, passionibus, colorum & crispitudinis causis & eorum casu. CAP. XIX.

Pilos vocant Latini extantes quasdã particulas tenuissimas, quæ pelli inhærent & à Græcis τρίχες aut τριχώματα vocatas à similitudine accepta à segetibus. De his autem nos agamus non tanquam partibus animalium integrantibus atq; animatis;nam in pilis nulla adest animæ facultas:aliqui tamen volunt pilos esse partes corporis;sed quia quæstio inutilis est,ideo rationes quasdam eorum propono,& eas quoq; soluã. Nituntur isti autoritate Galeni in lib.2.de temper. cap. 9. & vltim. vbi enumerat Galenus pilos inter partes, eorumq; temperaturam tradit,ergo partes sunt. Respondeatis, Galenum enumerasse pilos tãquam aliquid additũ corpori & ipsi coniunctum,non aũt tanquã partes similares:hoc patet,nam & phlegma & sanguinẽ etiam proponit,qui tamen humores partes non sunt ab vllo positi. *Nomina.* *Dubium an pili sint partes corporis.* *Responsio ad autoritates affirmantes.*

Alia autoritas Auicennæ fen.1.lib.1.c.2.de complex. eodem modo soluitur sicut ista Galeni. Alia erat autoritas Auerrhois lib.1.collectan.cap. 2. & 13.vbi ille enumerat pilos & vngues inter partes corporis:dico autem ego ad hanc autoritatem, quod per partes potuit intelligere aut partes constituentes corpus aut quamlibet substantiam repertam in corpore. Si primo modo intelligat, sciatis falsam esse sententiam: nam enumerat etiam spiritus & humores, quæ tamen omnia contenta sunt, sed intellexit secundo modo per partes quãcumq; substantiã in corpore repertam & sic humores & spiritus sunt partes sicut partes solidæ;Idẽ dico de pilis extra additis,& hac ratione enumerat Auerrhoes pilos inter partes.

Tertia autoritas erat Aristotelis,qui lib.4.meteor.& in lib.de part.animal.vt & Theophrastus in lib.de histor.plant.dicit pilos & cornua esse partes corporis, sicut fructus plantarum. Respõdeo quod per partes duo possumus intelligere,vel quicquid corpori coniũctũ est & sic pili partes sunt sicuti humores & excrementa etiã proponuntur ab Arist. inter partes:vel intelligimus partes viuentes,& sic,pili non sunt partes integrantes corpus.

Ad rationes autem quarũ prima validior est,pili intenduntur à natura in generatione prima,ergo sunt partes corporis. Domini,ex Galeno in lib. 2.de temper.ca 5.& lib.11.de vs. part.c.14.dicatis,falsum esse omnes pilos à natura intendi:aliqui enim casu fiunt & consequuntur temperamentum cutis;nam in viris fit barba siccata cute mẽti,quod nõ fit in mulieribus:Isti igitur pili non intendũtur à natura,nã fieret in omnibus. Aliqui autẽ intendũtur pili à natura, vt pili oculorum & capitis,de his ergo loquendũ, pili intendũtur à natura, ergo partes sunt:negatur vel negãda est consequẽtia,quia etsi intendãtur à natura, nõ tamẽ intenduntur vt partes integrãtes,& hoc patet,quoniã animati non sunt,sed sunt ad aliquẽ vsum. Secũda ratio erat,nutriuntur pili,ergo sunt partes; negetis antecedẽs; nam quamuis pili crescãt per accidẽs ab extrinseco,non tamẽ nutriũtur nec attrahitur alimentũ ad radicem,nec cõcoquitur ab ipsis:ꝑterea si crescunt,crescunt à fuligine. Tertia ratio:pili habent statutũ incrementũ vt reliquæ corporis partes:Ergo &c.nã in pueris videbitis pilos tenues & breues;at in iuuẽtute firmatur incrementũ pilorũ.distinguendũ autẽ est inter pilos:aliq enim ꝑpetuo augẽtur,aliqui nõ habent statutũ incrementũ, crescũt capilli & barba semp. pili autẽ palpebrarũ statutũ habent incrementũ,tamen nõ sunt partes,quoniã cadũt alternis semp annis,& nisi caderẽt, nõ possent renasci, quoniã non possent crescere, quoniã enim natura nõ potuit siue poterat ꝑferre longitudinẽ superciliorũ & palpebrarũ,voluit pilos cũ creuerint ad debitã magnitudinẽ cadere sicut cornua ceruorum & capreolorũ: nã magnitudo illa inutilis esset; quare pili isti, qui videntur habere incrementum terminatum, semper augerentur, nisi caderent: cadunt autem, ne nimis crescentes impediant oculum eiusque operationem;quare pili isti semper crescunt quousque stato tempore cadant ac renascantur:patet hoc,nam pili auulsi non renascerentur, nisi haberent augmentum.exẽplo sunt patiẽtes morb.gallicũ,in quib.pili cadunt & renascũtur. Quare dicamus pilos partes nõ esse, quoniã nõ sunt partes solidæ neq; humores, nec spiritus impetũ faciẽtes. Oportet igitur addere quartũ genus partiũ earum, q corpori adnascũtur, quarũ adnatarũ Gal. mentionẽ fecit, vbi tractat de ouis in 11.de simp.med.fac.nã ibi dicit oua esse partes adnatas;q adnatæ partes vel sunt diuersæ à subiecto corpore, vt est viscũ in arboribus & verrucæ &c.aliæ adnatæ partes vtiles sunt, vt oua & pili & similes partes ad vsum aliquẽ institutæ, quare dico pilos nõ esse nisi adnatas partes corpori nõ integrãtes ei⁹ constitutionẽ. Est aũt pil⁹ similaris & cuti tãtũ adnata pars animaliũ naturę ꝓpria & valde familiaris. dixi *Refutatio rationum affirmantium.*

esse particulam similarem autoritate Aristotelis lib. 2. de part. animal. c. 9. & lib. 4. meteor. capite decimo, & libro tertio, de histor. animal. capite secundo, ubi Aristoteles enumerat pilos inter similares: adest etiam ratio quoniam quælibet pars pili, pilus dicitur & est, nullaque est differentia. Addebam esse partem cuti tantum adnatam: in internis enim partibus non reperietis pilos nunquam enim vidi cor pilosum nec volam manus, licet id miraculosum referatur. Aristoteles autem lib. 2. de gen. animal. cap. 4. & lib. 5. de animal. c. 3. & Gal. lib. 11. de simpl. med. fac. cap. de ouis, testatur pilos adnasci tantum cuti: præterea in brutis color cutis & pilorum idem est, eædemq; sunt utriusq; passiones: in hominibus autem hoc non est, sicut notauit Aristoteles loc. cit. nisi cutis præter naturam affecta sit, nam si cutis vitiligine inficiatur, etiam pili adnascuntur albi sicut & ipsa cutis: nec in cicatricib. oriuntur pili, quoniam cutis non adest, sed callus quidam. Quod autem pili sint inter adnata familiaria & maxime propria utiliaq;, explicabo inferius, dum agam de ipsorum usu.

Materia pilorum.

Inter causas autem pilorum prima est materia, in qua te nemo est, qui dicat materiam pilorum esse ipsum semen, quamuis aliqui pili sint facti in generatione ipsius animalis. Sed Arist. proponit materiã in lib. 2. de gen. anim. c. 4. q. est incrementũ vel nutrimenti vel augmenti in utero & extra uterum. Naturã autẽ huius excrementi est, ut sit terrestre, crassum & tenax, namq; ductilis est pilus, quod indicat tenacitatem; & Arist. huic materiæ admiscet aliquã humiditatem, quæ necessaria est, ne nimis siccum sit excrementum hoc, cuius humiditatis meminit Arist. lib. 5. de gen. anim. c. 3. ubi istam humiditatem, appellauit pinguedinem per allusionem quandam. Galenus autem variis in locis, sed præcipue in lib. 2. de temp. ca. 5. loquens de materia pilorum dicit materiam esse fuliginem & fumum ex quo gignũtur pili: nam sicut in caminis concrescit fuligo facta ex minutissimis atq; atomis particulis ipsius fumi, veluti etiam in fructib. marcescetibus. Si .n. accipiatis malũ medicũ, id est, citrium & ipsum reponatis donec marcescat, marcescentia illa fit ratione putredinali, qui dum exhalat, facit lanuginẽ super ipsum malum ex fumoso halitu, qui continuo & cõtinuo exhalat, ita & in nostro corpore, cũ calor faciat plures exhalationes, exhalatio sicca peruenit ad cutim, cuius particulæ sensim ac sensim augent pilos in ipsis meatib. & hæc materia proposita à Gal. videtur esse fere opposita materiæ, quam proposuit Aristot. tamẽ mihi videtur, quod una & eadem sit (materia) : nam Galenus attestatur infinitis in locis ex materia crassa, tenaci & terrestri constare & fieri pilos, sicut dixit Arist. talemque materiam dicit esse fuliginem; differt tamen in modo atque accidente, quod inest illi excremento, quotiescunque enim terrestris materia fuerit calefacta & attenuata, fumus est & sursum fertur; tamen materia fumi est terra, quare pili materia est excrementum ab Aristotele propositum, tamen quia attenuatum & calefactum est, fit veluti fumus; non ergo inter se discordant illi excellentissimi viri. Notate tamen, quod requiritur ad generationem pilorum ut ista materia agitet se atq; protum pat expellatq; pilos genitos: nisi enim materia ista ex se erumperet extra cutim, non crescerent pili; erumpit enim, dum quærit exitum; propterea Galenus appellauit fumum, & sic videntur augeri pili, non quia aliquid addatur in propria substantia, sed quia iuxta ponitur hoc excrementum: nõ enim pilus attrahere potest, cum non viuat, nec cutis attrahit id, quoniam ex eo nutriri non potest: ergo vel expellitur vel exit in meatus pilorum ex seipsa, nõ autem expellitur, quoniam expelleretur secundum ductus varios fibrarum, ergo vim insitam habet materia, qua ducitur æqualiter à centro ad circumferentiã. Prçterea notandum est, quod materia pili re vera fumus non est, sed similis est fuligini, non enim fit fumus verus in corpore sed exhalatio sicca & terrestris fumo similis; exhalat enim à calore corpus sicut fumus ab igne. Huic autẽ excremento ex Aristot. additur humiditas pinguis. Sed notandũ est, quod per pinguedinem non intelligamus veram pinguedinẽ, sed per allusionem; quia si esset vera pinguedo, tunc pili essent apti ad nutritionem & eliquarentur & concoquerentur, nullum tamen animal pilis nutriri potest; nulla enim in ipsis adest humiditas pinguis. & ex hoc sequitur pilos non fieri ex materia, ex qua aluntur reliquæ partes.

Duplex generatio pilorum.

Et quoniam pilorum duplex est generatio, altera in utero vel ouo in prima generatione, post 30 tamen dierum spatium ex Hipp. in li. de nat. fœtus: altera est generatio cum adultum est animal, vel adolescens est homo vel virilis; quæro an una ac eadem sit materia utrorumq; pilorum in primo scil. & secundo ortu, dubium non est, quod materia pilorum congenitorum, eorumq. qui fiunt in prima generatione, est materia humorum, qui subministrantur in utero: in secunda vero generatione materia pilorum est materia fuliginosa & excrementum illud ortum ab alimento deforis accepto. Primum autem excrementum regulatur ab ipsa natura: pili enim vel nascuntur ut arbores nobiliores institutæ à cultore, vel casu oriuntur, ut herbæ viliores, quare excrementũ in utero est materia pilorum congenitorũ institutorum à natura, aliarum vero materia fuligo est, qua primi etiam pili conseruantur.

Dubium an materia pilorum sit eadem in primo & secundo ortu.

Decau-

De causa efficiente nescio quid ex Hippocrate dicam, quoniam non explicatur manifeste ab ipso, quod ego viderim, tamen Galenus duplicem causam efficientem proponit in lib. 2. de temper. c. 5. & lib. 11. de vs. part. cap. 14. & proponit distinguendo naturam pilorum: duo enim pilorum genera sunt in hominibus, alterum cōgenitos continet pilos similes plantis institutis à cultore, alterum genus continet postgenitos casu factos similesq; plātis circa voluntatem cultoris ortis. Quando igitur formatur animal, fiunt & pili congeniti, quorum quidem causa efficiens est natura & ipsa virtus formatiua communis omniū particularum, & est calor ingenitus spiritu tanquam instrumento vtens: Eorum vero, qui post geniti sunt, causam efficientem refert ad naturam ipsius cutis, id est, ad commoderatā caliditatem & siccitatem ipsius cutis, & præcipue ad siccitatem: cutis enim statim orta humida est & similis caseo nondum concreto, ex quo adhuc molli egreditur serum, nullumq; sensibile apparet foramē, ita quando oritur animal, cutis mollissima est, vnde cum fiant exhalationes, statim clauditur foramē cutis: quāuis enim in corpore pueri multa materia exhalet, tamen cū nimis humida sit cutis, statim clauduntur foramina, cum in sese concidant, ppter propriā molitiē. Pariter ista cutis si nimis dura & sicca sit, pili fieri non possunt, vt patet in caluitie, quādo pili cadunt, nec regenerari possunt, quia tāta adest siccitas & densitas cutis vt pili non fiāt, quia clauduntur pori, atq; ita materia pilorum exiccatur, vt insensibiliter exhalet. Requiritur ergo siccitas moderata: nā sicuti in caseo aliquantisper siccato apparēt meat' sensibiles ac aperti sunt, ita cutis meatus aperti manebūt atq; cōcrescēt in ipsis pili, dico ergo siccitatē commoderatā dupliciter esse causam efficientē: primo causa est quoniā remouet prohibēs impedimentum generationē pilorum, nam remouet ne pars ipsius cutis in se concidat. Secūda causa est efficiēs, quia dū fuligo illa, quæ sensim ac sensim crescit circa radices pilorum, sit aliquantulū humidior & siccitate ipsius cutis cōcrescit & aliquātulum exiccatur: patebit hoc, si extrahatis pilū è corpore, si in radice eius erit aliquid durū & callosum, sciatis casurū esse pilum illū: vel si extrahatis pilū cum radice molli ac tenui & glutinosa, eo modo fuligo hæc cōcrescit, circa n. radices non est verus pilus, nisi prius à siccitate cutis concrescat & densetur humida illa materia: hæc ergo erit mens ipsius Galeni.

Causa efficiens pilorū. *Duo pilorū genera in homine.* *Cutis qualis sit in primo ortu.*

Pilorum temperatura patet ex lib. 1. de temperam c. 9. & lib. 2. de temperam. c. 3. quod nempe siccissimi sint omnium partium animalium, quod patet, quia ab vllo animali nō expetitur pro alimento. Præterea si quis vult inficere & tingere ipsos pilos, opus est vti robustissimis medicamentis ad hoc efficiendum. Vsus communis pilorum est ab Aristotele explicatus lib. 2. de part. anim. cap. 13. à Galeno verò lib. 11. de vs. part. cap. 14. & est vt sit tegumentum partium corporis cum in brutis, tum in hominibus; apparet hoc in velleribus & capite. Secundus vsus proponitur à Galeno & est vt sint propugnacula partium, vt patet in oculorum pilis, qui prohibent, ne quid cadat in oculos. Tertio pili sunt facti vt addant decorem & maiestatem animali: si enim videritis leonem & leænam, & virum ac puerum vel fœminam, atq; consideretis in his pilorum ornatum maiestatemq; non mediocrem ex iis diiudicabitis.

Pilorum temperatura. *1. Vsus.*

Passiones quoq; plures sunt, quarū prima est, vt perpetuo crescant, & huius causa est perpetua præsentia materiæ, non quia necessitas adsit. Secunda vt si casu cadāt, possint renasci; in caluitio vero cadunt pili nec renascūtur, quoniam materia deest & cutis efficiens inepta reddita est. Tertia vt defluant certo tempore pili illi, qui à natura habent statum & determinatum incrementū, veluti pili palpebrarum & superciliorū certis tēporibus cadūt & iterū renouātur, & hoc apparet in multis brutis veluti in mula. Quarta vt omnes pili cadentes excepto caluitio renascantur, dummodo naturaliter sit affecta cutis, quare si vel ob tumorē vel morbum gallicum vel leprā cadunt pili, renascuntur. Quinta, vt semper sint aliquo colore infecti, cuius causa vna proponitur ab Aristotele lib. 5. de gen. anim. c. 3. 4 & 5. & est color ipsius cutis in brutis, vel temperamentū cutis ex Galeni lib. 1. de temper. ca. 5. & hoc maxime apparet in hominibus. Alia causa proponitur ab Arist. eo in loco c. 5. & est materia, ex qua fiunt pili ipsi. idem Galenus cōfirmauit loco dicto: vnde quale excrementū est fuliginosum, talis ēt est color pilorū: namq; videbitis homines biliosos ruffos habere pilos vel flauos. Sexta passio est, vt pili sint aut recti aut crispi natura, non loquor enim de arte sed natura pilorum. Idē dico de mollitie, duritie, crassitie ac tenuitate. Causam aūt crispitudinis refert Arist. in materiā, cuius pars humida exhalat, deinde sicca contrahitur: & Galen. idē confirmās refert etiā in hanc materiā, & dat exemplum de corrigiis: sed opus est, vt illa exiccatio sit inæqualis. Et huius causa ab vllo non redditur: sed in hoc casu referrē causam in inæqualē malamq; mixtionē illius humiditatis cum terrea portione fuliginis: vbi enim humiditas non erat bene mixta, facile exhalat, vnde vbi mala mixtio est, facile pars tenuis exhalat, nō sic autem ex bona mixtione. Aliam causam crispitudinis referebat Galenus in

Passiones. *Causa naturalis crispitudinis pilorum.*

naturã meatuum. intorti .n. meatus intortos faciũt pilos. & hoc patet in morbo illorum pilorum aliorũ, in quo pili inuertuntur, quia foramina intorta sunt: & ideo in Æthiopum corio propter densitatem pili crispi sunt, pariter materia crassa & latus meatus crassos generat pilos. Vltima passio est, vt dum cadunt, quandoq; renascuntur, & quandoq; non renascuntur. causę horũ dictæ sunt, sed cadunt duplici de causa, vt habetur lib. 1. de comp. med. sec. loc. capite primo & secundo, aut scillcet ex defectu alimenti aut potentia alicuius mali alimenti vel erodentis radices ipsius. Vltimo habent, quod sunt fissiles pili ex Aristot. libro tertio, de histor. animal. cap. 11. quia formati sunt per longum; aliqui vero pili fissi sunt & dicuntur lupi, & fiunt ab ariditate nimia & absumuntur pili, ad quod prohibendum inungatis oleo amygd. d. vel oleo aliquo odorato, & sic relinquatis per noctem, deinde mane lauetis lixiuio, quoniam ego hoc expertus sum in me, quoniam æstate labii superioris tantum mihi finduntur pili propter siccitatem, hyeme vero non; quoniam halitus exiens eos humectat: & hæc de pilis satis sint dicta.

Causa casus pilorum.

De humore crystallino & de tunica cornea. Cap. XX.

IN corpore animalium perfectorum adhuc supersunt tres substantiæ similares, quarum vna est, humor crystallinus, qui vni tantum oculo seruit, cuius naturam explicare bona fronte omitto, cum facile per ipsam anatomen pateat.

Altera pars est substantia illa, quæ cornea membrana dicitur circularis posita in anteriori parte oculi, liuidaque substantia est, & oculo tantum dedicata, quæ sapit naturam cornu; eadem tamen ratione prætermittere eam volo qua prætermitto etiam crystallinum humorem.

De cute quoad eius nomina, causas, materiam, temperaturam, vsum & passiones eiusdem. Cap. XXI.

Nomina. VLtima est cutis nunc explicanda, quæ δέρμα Græcis vocatur ex libr. 2. de vs. part. c. 2. quia excoriari possit, hac igitur ratione δέρμα dicta est à Græcis; à nostris vero corium præcipue in brutis, quasi sit corium quoddam scil. membrana vestiens fœtum ex Hippocrate. hanc etiam cutim dixere nostri, quia sit inuolucrum corporis, ita vt vestiat corpus. vltimo est dicta pellis à nostris; quæ vox cum aut vna multiplex sit; æquiuoca tamen est, nam per corium aut per cutim intelligimus illud totum, quod excoriatur à laniis in animalibus. quod constat ex tribus partibus, quæ omnes tres partes simul differunt substantia inter se, inter istas autem substantias illa, quæ est intima appellatur ὑμὴν à Galen. lib. 3. de adm. anat. cap. 2. nostri vero appellant panniculum carnosum. & hæc est prima pars corii. *Ex quot partibus constet corium & quæ sint. Panniculũ carnosum.* & quamuis Curtius & multi alii negent carnosi panniculi meminisse Galenum, tamen sciatis eos omnes quamuis doctos decipi, nam meminit sub nomine membranæ; hæc autem membrana simplex non est sed constat etiam carne & vasis per ea discurrentibus. Secunda pars est de qua nos loquimur. Tertia vero est quædam membrana, quæ vocatur ab Hipp. ἐπιδερμίς. nostri vero vertunt cuticulam, quæ est substantia callosa, dura, frigida & *Cuticula.* concrescit super corium, veluti cõcrescit super panatella crusta quędam siccata, vel in superficie polentę, & ista cuticula non est pars corporis, sed potius debet connumerari inter partes adnatas, quia non nutritur neq; habet generationẽ, nisi per accidens, quia gignitur per exiccationem ab ambiente, neq; habet sensum, & facile restituitur si auferatur. ista pars aliquando corium dicitur ex Arist. lib. 2. de gen. animal. cap. 4. quando inquit corium non habere sensum & crescere veluti velum super polentam; hoc enim dictum verum esse non potest nisi intelligat per corium cuticulam, quæ non habet sensum. Aliquando vero per corium intelligimus illud, quod vere corium est, id est, secundam illius substãtiam & mediã inter panniculum carnosum & cuticulã, de qua nos loquimur, tanquã de parte corpo- *Vera cutis* ris, cuius natura talis est. nam si volumus ipsam definire, dicimus, quod sit pars similis primi ordinis propria sui generis substantia constans, quæ cõmode vniuersum corpus vestit. dixi similarem. quia & ratione & autoritate colligimus esse substantiam similarem; autoritate quidem Aristot. Auerrois & omnium fere loquendo de vero corio, non autem composito. Postea ratio hoc indicat, quoniã ex Gal. lib. 3. de adm. anat c. 2. si separamus hanc substantiã à panniculo carnoso, quod facile fieri potest, videbimus substantiam vndequaque similem. dixi primi ordinis, vt satis facerẽ Galeno, quia inter partes similares aliæ sunt primi ordinis quæ nullam habent integram actionem, cuiusmodi corium est; aliæ sunt secũdi ordinis, quia habent integram actionem. testis est Gal. lib. de caus. morb. cap. 6. vbi dicit cutim esse priuatam omni actione perfecta naturali, vitali & animali, sed tantum vsum habere ad tegendum totum corpus: dixi ergo vt satis facerem Galeno, quia contra hanc positionem est ratio & autoritas: primo quidem est ratio, quia videmus corium esse verum,

certum

certum & vsitatum instrumentũ tactus, quia nerui & caro & huiusmodi partes non sunt factæ, vt percipiant exteriora sensibilia, sed vt proprias offensiones percipiant: sed corium factum est, vt si tangam puellam, percipiam an sit mollis, an dura, an calida vel frigida: & dum vult animal percipere obiecta sensibilia, semper adhibet coriũ: aliæ enim partes sentientes non sunt instrumenta ad sentiendas qualitates tangibiles sed corium; quo semper vtimur ad ipsas qualitates sentiẽdas. Pręterea nõ video in corpore aliquã particulã, in qua sit exactior vis sensus, quam in corio. aliquando enim nos tangimus frigido neruum neq; cognoscimus an sit frigidũ vel calidũ; non enim sic sentiunt nerui, quamuis insigniter doleant: habent autem vim, non autem substantiã opportunam. Præterea conspiciamus temperatutam cutis, quæ temperatissima est quasi ad librã composita, vt possit & calidiora & frigidiora & humidiora & sicciora percipere, quare verũ & certũ est instrumentũ tactus. Addamus autoritatẽ Galeni lib. 1. de simpl. med. fac. c. 4. vbi dicit, quod in cute manus est perfecta tangendi potentia, quare habet perfectissimam actionem. Præterea Galenus eodem loco vult ob id cutim habere hanc vim exquisitam, quia inquit ex Platone in Timæo cutis ex genere carnis est, quam sentẽtiam Arist. explicat. lib. 2. de part. animal. c. 1. & in lib. 2. de gen. animal. c. 4. vbi dicit cutim esse carnem siccatã; caro autẽ ex lib. 2. de part. animal. c. 1. est verũ instrumentũ tactus. ergo cutis est instrumentũ tactus & pars similaris secundi ordinis, ergo habet actionem propriam: Quod autẽ cutis sit caro siccata, patet ex lib. 5. de simpl. med. fac. ca. 16. ergo cutis est verum instrumentum tactus & vsitatum. Et hæc dicta sint dubitationis causa, non quia velim destruere primam sententiam Galeni, vos autẽ cogitabitis hoc domi. Addebam cutim habere substantiã propriã, quoniã nulla alia est particula, quæ cuti similis sit, licet assimiletur membranæ & neruo, tamen membranosa & neruosa substantia non est. Dixit autẽ Galen. cutim esse neruũ sanguineum, quoniã corium neruo est aliquãtisper simile & sanguine refertũ, qui sanguis est in corio tantũ, non autẽ in cuticula. Istud autẽ corium nullas fibras habere, videtur per dissolutionẽ, ita latent. quamuis ego credã, quod adsint, sed ita latentes sunt, vt vix appareant, ꝙ non est in panniculo carnoso: apparent .n. fibræ; cuticula vero omnib. caret fibris: at si coriũ siccetur, ad sensum apparent fibræ. Sed dices, quod ego dixi habere substantiam propriam sui generis, tamen postea dicebã esse carnem resiccatã: dicatis, quod quamuis dicebã cutim esse carnẽ resiccatam, ob id tamen, nõ credo esse carnẽ resiccatam: decepti enim sunt philosophi illi maximi ex cicatricib. quę carnes siccatæ sunt: credo .n. ego verũ corium esse partẽ spermaticã. Ad Gal. aũt vbi asserebat esse veluti carnẽ resiccatam, dicatis, quod ibi loquatur de cicatricibus, in quibus impropriecarnẽ resiccatã vocat cutim, quia cutis vera non est. legatis locũ. Quod aũt ambiat corpus, patet: quare colligo corium verum substãtia propria cõstare.

An cutis habeat substantiam propriam vel sit caro resiccata.

Cutis materia.

Causæ materiales huius corii ex Aristotele & Platone sunt sanguis ipse, cum dicunt carnem resiccatam. Sed hoc non placet variis de causis: primo quia restitueretur & regeneraretur: cutis autẽ non regeneratur ex li. 3. meth. med. c. 5. ꝙ etiam experimẽto cõprobatur: cum ergo non restituatur, ergo non est ex sanguine. Præterea Arist. lib. 5. de gen. animal. c. 2. dicit naturam cutis terream esse, at caro terrea non est, quare non possumus admittere cutim ex sanguine esse. Prætẹrea idem Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 13. & lib. 3. de histor. animal. c. 11. dicit, quod cutis non coalescit, sed quare? quia ex spermate fit, non autem ex sanguine, quare ratione & autoritate negandum est cutim ex sanguine esse: genita ergo est ex semine vt testatur Galenus in lib. de format. fœtus cap. 2. & lib. 3. de meth. med. cap. 5. & inter partes primogenitas numeratur. Hippocrates etiam in lib. de nat. fœtus dicit, quod in formatione prima & in prima generatione fœtus omnia fiunt aut ex sanguine aut ex genitura: & quod omne simile fit ex simili, id est, molle ex molli, rubrum ex rubro, quod probabat exemplo vesicæ: monet enim, vt accipiamus ramenta diuersorum corporum & appunamus in vesicam & impleamus aqua & flatu, & postea concutiatur, sinamus quiescere, videbimus, quod omne simile ad simile tendit, ita in fœtu agente spiritu concussa materia omne spermaticum, crassum currit ad faciendum suum simile. Hoc stante videamus, quæ sit similitudo inter sanguinem & corium. nulla quidem est; sed cum maxima sit similitudo corii ad sperma dicendum est ipsum ex semine fieri. Nutritur autem dices ex muco ex Arist. lib. 3. de hist. animal. cap. 13. dicente, quod omnis cutis repleta est mucosa substantia & glutinosa, & quod corium muco turget, tamen cum ego videam temperatam esse partem, & illum mucum esse frigidum, ideo non possumus dicere esse nutrimentum immediatum; fit enim cutis ex parte temperata spermatis, nutriturque ex optimo ac temperato sanguine, ideo dicimus esse partem magis temperatam sanguinis, qui sapit materiam omnium partium aduersarum.

Cutis nutrimentum.

Causa efficiens est vis formatrix & spiritus calidus vltro citroque percurrens, qui

percurrens efficit tot foramina & aurium & narium & similium partium. Suæ autem substantiæ causa efficiens est caliditas concoquens: at foraminum illorum paruorum formatio per accidens est, & sunt causæ vapores, qui quotidie & quotidie egrediuntur.

Temperatura. De temperamento autem cutis Galen. lib. tertio, meth. med. capite quinto, & libro quarto, de rat. vict. dicebat, quod cutis per collationem ad carnem est frigidior & siccior: sed hoc non quæro, sed quæro ego qualitatem per exuperantiam. nullum elementum in eo prædominatur aliis, omnia ex æquo mixta sunt; hinc est, quod apta est percipere obiecta sensibilia tangibilia & minima & immensa; vnde temperata est quod ad exuperantiam in qualitatibus.

Vsus. Vsus cutis ex Galeno in lib. de caus. morb. capite sexto, est, vt sit vniuerso corpori indumentum, ac semper quadrans præter senibus ac emaciatis, in quibus rugas facit. ego vero addo alium vsum, qui est, vt sit terminus extremus corporis humani, quo corpus sentiat sensu tactus omnia obiecta tangibilia.

Passiones naturales. Passiones autem sunt plures, & inter omnes prima, vt habeat sensum ex lib. 16. de vs. part. cap. 2. & ex libr. 3. de admin. anat. c. 2. habet autem sensum à neruis, qui ad ipsam perueniunt, & qui connectuntur suis apicibus cum ipsa cute. Præterea notandum est ex Aristotele lib. 3. de histor. animal. cap. 11. quod cutis, præsertim capitis, non habet sensum, intelligatis tamen non habere sensum per se & innatum, quia si intelligat sentire per facultatẽ transmissam à neruis falsum est. parcat mihi Aristoteles. Bene verum, quod vna pars magis exquisite sentit quam alia; cutis autẽ capitis non ita exquisite sentit propter pilos, vel dicatis Aristotelem intelligere per cutim ipsam cuticulam, & eum loqui de cuticula, aliter falsum dicit. Præterea cutis habet aliam facultatem vt casei modo concreti sit dum gignitur: dum enim generatur, est veluti cuticula casei recentis ex Galeno in lib. de caus. morb. cap. 6. & lib. 3. de temp. capit. 5. Postea vero superueniente tẽpore foramina apta sunt, & videntur siccato animali post septimum annum, vnde erumpunt pili ipsi. Addatis quod naturaliter cutis omnis aut habet pilos vel priuata est pilis. priuatur autẽ pilis ex Galeno com. 3. in 6. Epid. tex. 1 ex nimia humiditate & siccitate; pueri enim & fœminæ priuati sunt pilis propter nimiam humiditatem pariter propter nimiam siccitatem, sicuti in caluitio apparet, quare idem à contrariis fit causis.

Addatis quod ductilis est cutis ad omnem positionem in longum, latum & profundum, quod autem hoc sit verum, apparet in pinguescentia & augmento animalis, in quo latent fibræ quibus extenditur.

Vltimo habet hoc, vt comminuta non renascatur, sicut aliæ partes spermaticæ. Aliquæ autem cutis varietates in anatome explicantur ratione partium subiectarum. Hæc ergo dicta sint de partibus similaribus ad laudem DEI. cui gratias non minimas habeamus, quod hanc tractationem perfecimus.

FINIS. Tractatus quinti.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI, DE VVLNERIBVS IN GENERE SEV VNIVERSALI, TOMI II. Tractatus VI.

De Nobilitate & dignitate artis vulnerariæ, & qui auctores in tali materia sint legendi CAP. I.



EDICINAM Deorum inuentum esse, atque præsertim ad Apollinem referri, veluti præcipuum eius autorem, tradidit omnis antiquitas, quam etsi multi exercuerint, vnam tamen tantum esse semper compertum est, cum eam profitentes in solius sanitatis scopum oculos intenderint. Sed cum multi sint morbi variæque methodi in his curandis, hinc factum est, vt non vna tantum & vniformis perpetuo visa sit apud omnes; nam aliqui curationem morborum inquirentes solum experimento sunt vsi, solisque remediis contenti; alii vero rationem secuti ipsi soli innixi hanc artē tractarunt, ideo nunc Empirica, nūc vero rationalis facta est. Præterea cum tria sint in hac arte instrumenta, quibus mediis finem Medicus assequitur: chirurgia scilicet, victus ratio & pharmacia, hinc etiam factæ sunt tres Medicinæ partes, chirurgica scilicet, pharmaceutica & diætetica. Sed quoniam chirurgica varias continet partes inter se distinctas iuxta varietatem subiectorum morborum, namque modo pro subiecto tenet vlcera, modo tumores, aliquando fracturas quandoque vulnera, interdum luxationes aliaque affectuum genera, ob id & ipsa titulos varios diuersaque sortitur nomina, vnde alia dicta est vulneraria, alia est alio donata nomine, secundum varia, vt dictum est, morborum genera. *Medicina semper vna communis.*

Cum autem de iis omnibus totam completurus artem tractare intendam, ab illa, quæ de vulneribus agit, sumens initium, dico præstantissimam esse partem inter reliquas, quatuor potissimum de caussis, ratione scilicet necessitatis, certitudinis, facilitatis atque antiquitatis. Nobilis enim est primo ratione necessitatis, quoniam multi alii morbi à sola natura sanantur; nullum tamen vulnus momenti sine Medico sanatum fuit, quod patet ex rusticis, qui febre correpti Medicum non accersunt; sed si vulnerentur etiam eorum bones & animalia Medicos protinus aduocant. Præterea populi quidam Medicos tantum vulneratos vt aliis digniores honorant; non autem alios, sicuti olim fuit populus Romanus, qui primum eius Medicum Archagatum, summopere coluit & maximis honoribus decorauit. Secundo nobilis est hæc ars ratione certitudinis atque tutelæ ipsius artis; quoniam Medicus vulnerarius omnia tangit & videt & eo vsque manibus attingere potest, quo oculis penetrare valet, vnde neque errorem committere potest insignem. Tertio nobilis est ratione facilitatis, quoniam pars hæc facilior est aliis omnibus cum capitum tractatu: nam paucissimis contenta est axiomatibus atque remediis, licet plurima constent volumina de his; Ego tamen testor ex pura aqua vulnera cerebri sanata vidisse, atque aliarum etiam partium maxime lethalia. Quarto nobilis est ratione antiquitatis; Est enim hæc ars omnium antiquissima: nam post Apollinem datur palma Æsculapio, qui delatus est in Deorum numerum eo quod sanauerit Hippolytum vulneratum Thesei filium, quinimo eum ab equis ex terra per scopulos & saxa discerptum reuocauit ab inferis & pristinæ incolumitati vitæque restituit: & itidem Androgeum Minois regis filium maximis inflictum vulneribus recuperauit. Præterea Machaon eius filius ab Homero celebratus fuit: quia nouit exactissime curare vulnera; quare nobilissima est pars artis huius medicæ vulnerariæ dictæ.

Vulneraria ars nobilitas ratione necessitatis.

Nobilitas ratione certitudinis.

Ratione facultatis.

Ratione antiquitatis.

Cum autem ex antiquis Medicis multi & ex recentioribus etiam aliqui de vulneribus pertractent, optimum fore censeo vos monitos reddere, quos legere in hac imitandos materia debeatis, vt reliquis relictis horum tantum doctrinam percipiatis. Inter antiquos igitur est Hippoc. in libro de vulneribus, in quo multa ad vulnera attinentia inuenietis, in quem librum cōmentatus est Vidus Vidius Florentinus apud Pisanos celeberrimus; sed quoniam imperfectus est liber ille, quamuis maxima sit Hippocratis autoritas, *Autores tractantes de vulneribus.*

ideo pauca haurietis. Quod autem sit imperfectus, colligitur ex Galeno & ex re ipsa: nam in eo tractatur tantum vlcus esse siccandum & alia aliqua pauca, non tamen quicquam perfectum habetur. Celsus etiam scripsit de hac materia doctissime quidem; verum quia permiscet vlcera, tumores, fracturas & vulnera omnia confundens, ideo non est exponendus. Galenus integerrime de hac re scripsit in lib. 4. 5 & 6. Meth. med. in quibus libris nil exoptandum est perfectius, vt legenti doctrina eius sufficiat: attamen quia abundans est plurima verba proferens ac tædiosa nimis, & etiam quia ex se facilis & perceptibilis, non est exponendus & ipse. Auicennas vero, quamuis 1. 2. & 3. diffuse de hac pertractet, & breuiter postea de hac arte agat in quarto libro, attamen in fen 4. lib. 4. veluti defessus confuse admodum procedit, vt ipsum exponere esset difficillimum.

Inter recentiores autem aliqui non merentur legi, aliqui vero boni sunt, inter quos ego quam maxime laudo Guidonem de Cauliaco, qui legit artem hanc in Pessulano monte, qui Gallus fuit ac barbarus, quem Ioannes Tagaultius transtulit in Latinum, cuius ordo, quia mihi videtur satis laudabilis, hunc ego veluti imitatione dignum vobis pro-

Ordo tenendus.

pono, sicuti & ego eum in hac materia sequor. Tractaturus autem de vulneribus quatuor vobis aut quinque maxime necessaria declaranda proponam: inter quæ primo videndum erit, quid sit vulnus; secundo quot eius sint species; tertio quid præsagiendum sit in ipsis; quarto quomodo curanda veniant ipsa vulnera, agendo tam de vniuersali quam de particulari modo curationis eorum, id est, de modo respiciente locum affectum ac

Vulnus quid.

vulneratum. Quo ergo ad primum: Vulnus ex communi omniumque consensu nihil aliud est, quam dissolutio seu solutio continui seu continuitatis: quare vt melius pateat ac magis manifestetur natura vulneris, videndum est, qualisnam sit hæc solutio continui, ad quam pro cognitione vulneris nos transmittit Auicennas & etiam Galenus libr. 3. &

Solutio continui quid sit.

4. meth. Dissolutio ergo seu solutio continui, quæ etiam ab aliquibus dicitur soluta vnitas vel vnionis diuisio, nihil aliud est, quam separatio ad inuicem particularum alicuius membri; cui separationi contraria est vnio & continuitas: cum autem contrariorum eadem sit ratio & disciplina, si viderimus, quid sit hæc partium vnitas, ex hac sciemus et-

Vnio quid sit.

iam, quid erit vnitatis solutio: vnio autem siue vnitas partium dicitur constitutio secundum naturam atque compaginatio naturalis seu coniunctio. Si itaque vnio est cōstitutio naturalis, solutio huius vnitatis erit habitus præter naturam, vnde sequitur, quod sit morbus, ex Galeno libr. 1. & 2. Meth. med. & vbique. Sed quoniam morborum aliqui sunt simplices, alii compositi, alii communes, alii singulares, cum corpus constet ex partibus simila-

Morbus simplex.

ribus & organicis seu instrumentalibus, simplex morbus dicitur ille, qui lædit vnam dispositionem naturalem: compositus vero, qui plures dispositiones naturales lædit, vt calefactio manus est morbus simplex, quoniam corrumpit tantum temperiem & symme-

Compositus.

triam frigiditatis cum caliditate manus & excedit in caliditate. Morbus vero compositus est, vt inflammatio: quia corrumpit plures dispositiones naturales, vt quantitatis, qualitatis ac conformationis naturalis: cū ergo plures dispositiones corrūpantur, ideo plures latēt morbi sub hoc nomine inflāmationis. Morbus etiā simplex cognoscitur ex læsione vnius actionis; quoniam vbi plures læduntur actiones, affectio præter naturam multiplex

Dubium an solutio continui sit morbus simplex vel compositus.

est. Ad videndum autem an continui solutio sit morbus simplex, vel compositus dicamus, quod cum vnio sit vnica affectio naturalis, ergo solutio huius vnitatis erit morbus simplex. Præterea ex pluribus Medicis solutio continui est morbus partium similarium.

Communis opinio.

nam & ipsæ soluuntur, ergo simplex. Sed cum pateat etiam instrumenta hoc vitio laborare, colligitur solutionem continui esse morbum communem & similaribus & organicis partibus, in quo omnes fere videntur consentire. Galenus enim libr. 2. Meth. med. & alibi dicebat morbum esse dispositionem præter naturam à qua læditur actio, ne causam dicemus morbum, quamuis aliqui accusent Galenum, quoniam morbus lædit facul-

Falloppii fundamenta cotra communem opinionem.

tem; hoc tamen videtur leue. Sed quia facultas non apparet sed actio, quoniam non est facultas in actu, sed in potentia: ideo cum Medicus sit artifex sensatus, potest dicere morbum lædere actionem apparentem, non autem facultatem latentem; ideo Galenus recte definit morbum. Supposita ergo hac definitione morbi dico ego, quod morbus partis alicuius ille est, ratione cuius læditur propria eius actio: nam si læderetur in partibus similaribus, verbi gratia, motus, cum motus non sit propria earum actio ideo morbus tollens motum in ipsis, non dicetur proprius. Carnis enim, verbi gratia, & partium similarium actio propria est nutritio, reliquæ autem omnes actiones sunt partium instrumentalium; vnde si sit aliqua dispositio præter naturam, quæ non lædat actionem, dicitur tantum accidens, non autem morbus, vt cutis infecta colore nigro vel alio. Quare colligitur solutionem continui non esse morbum partium similarium, cum non lædat propriam earum actionem.

actionem. Quod autem solutio continui non lædat nutritionem patet, quoniam partes solutæ maxime nutriuntur & augentur & resarciuntur. Si quis autem dicat in vulneribus non fieri veram nutritionem, dico ego, quod restituitur eadem caro & eiusdem speciei, idem assero de callo osseo genito in fractura, imo dico quod gignitur maior quantitas partis quàm fieret absque vulnere. Sed contra dicet quis ex solutione continui lædi nutritionem, quæ est actio similarium; quoniam cum sint corpora cõtinua, ergo cum diuiduntur contra suam naturam; patiuntur vel pati debent. Quod autem solutio continui impediat nutritionem, patet, quoniam puncto neruo non amplius nutritur pars, cui inseruit ille neruus. Ego autem soluens dubitationem hanc dico, quod impedimentum hoc fit per accidens atq; per multa media, non autem impeditur nutritio à solutione continui per se & primo atque præcipue, quoniam ad punctam solet insequi spasmus & dolor, & à corpore pungente introducitur intemperies in parte puncta, ex qua tandem impeditur actio propria partium similarium, nutritio nempe ipsa. Ad rationem autem ipsorum, quod pars similaris corpus sit, respondeo, quod pars similaris, quatenus corpus non est similaris nec dissimilaris, sed similaris est, quatenus habet hanc substantiam sibi omnino similem eandemq; habet temperiem, pariter organon, hoc est organum & instrumentum, non quia corpus sed quia hac figura, superficie ac numero cõstat, iis actionibus seruit ac ista fruitur vnitate. Cum itaque pars similaris sit ex propria natura, non autem ex vnitate, si soluatur, patitur vnitas, non tamen similaritas eius ac natura propria, quare soluta vnitas non est morbus partium similarium sed instrumẽtalium, cum earum primo actiones lædat. Hoc autem dico ego exercitandi gratia ac pro paradoxo: quoniam reuera ex Galeno solutio continui est morbus cõmunis tam similaribus quàm organicis partibus. Si quis vero quæ- rat cur communis ponatur morbus à Galeno & Medicis? hoc dico ego fieri, quia multæ partes similares sunt, quæ organa sunt, vt sunt organa primi generis, & multa organa sunt similaria & econuerso. Sed quoniam hæ partes distinguuntur inuicem ratione vsus siue vtilitatis & etiam ratione actionis, vt Galenus ibi distinxit, ideo quinque erunt genera siue species morborũ, quibus opprimuntur & affliguntur organa & instrumenta quatuor proposita à Galeno & quintum à me additum, quod cõmune ponitur à Galeno, sed à me ponitur proprius morbus partium instrumentalium, vt infra dicam. Circa differẽtias autem vulnerum, cum plurimæ sint species solutæ vnitatis & à multis tractatæ, sciẽdum est, quod cõciliator differ. 181. solut. 11. diligentius aliis hoc tractat ex Auicenna fen 2. lib. 1. doctr. 1. c. 4. qui enumerat tredecim vel quatuordecim modos solutæ vnitatis, quamuis Auicẽnas ibi ponat & addat quinq; alias, quæ tamen sub illis tredecim contineri atq; reduci possunt. Sed quoniam differẽtiæ etiam fontes proprios, vnde oriantur, habent, ideo conciliator ipse quatuor ponit loca siue fontes, à quibus hauriri possunt & debẽt, quorum primus est locus affectus, secundus est situs siue positio solutionis in parte siue vulneris: tertia est magnitudo solutionis ipsius: quartus fons à quo sumitur, est excrementum quod exit atq; resudat ab ipsa solutione. Quo ad primum locum siue fontẽ à parte affecta, cõtinetur in eo cutis, os, caro, venę, arterię, nerui, articuli, panniculi, &c. In secundo vero loco circa situm solutę vnitatis obseruat partium principium & extremum vel secundum latum vel transuersum vel partis longitudinem: In tertio obseruat, an solutio continui magna sit vel parua: in quarto vero excrementa ipsa considerat, quæ diuersa sunt, vt dicemus.

Actio propria partium similarium.

An in vulneribus fiat vera nutritio.

Pars similaris cur similaris.

Instrumentum quare tale.

Paradoxũ Falloppii de continui solutione.

Cur continui solutio dicatur morbus communis.

Differentiæ solutæ vnitatis.

Fontes, ex quibus hauriuntur differentiæ.

De fontibus differentiarum & speciebus ipsius solutionis continui. CAP. II.

QVatuor ex conciliatore diximus esse fontes, ex quibus hauriri possunt vniuersæ vulnerum differentiæ, vtpote primo à loco affecto: secundo à positione & situ solutionis, tertio à magnitudine eius; quarto ab excremento resudante ab ipsa soluta vnitate. & ex his eliciuntur tredecim aut quatuordecim species ipsius solutionis: quoniam si detur solutio continui in cute per longum sed parua, non autem profunda, dicitur scarificatio, & est prima species. Si autem hæc solutio continui sit magna & per transuersum, dicitur excoriatio, dummodo non sit admodum profunda. Si vero in carne fiat solutio, dicitur vulnus aut plaga. Si autem solutio fiat in cartilagine vel osse per latum, dicitur incisio. Sed si hæc solutio continui emittat multam saniem, vocatur vlcus, non autem vulnus, quoniam vulnus proprie dicitur ante emissionem saniei.

Quatuordecim species solutæ vnitatis ex cõciliatore.

Quod si vero hæc solutio fiat per longum, dum parua sit, dicitur scissura. At si sit magna solutio & per longum, vocatur cõtusio: & ita sunt septem species, & tres easdem proponit in neruo, scilicet incisionem, scissuram & cõtusionem. Si autem musculi per transuersum soluantur, dicitur separatio circa extrema capita & ab Auicenna incisio. Si dicta solutio continui fiat per longum, dicitur liquefactio vel dissolutio. Si autem in chorda vel

neruo sit solutio continui per longum, dicitur attritio: veluti si sit in venis & arteria per longum, scissura. Si vero sit in iisdem per latum, dicitur incisio & separatio. His autem addit Auicennas perforationem & aneurisma, & est continui solutio cum abscessu. Si solutio sit in panniculis, dicitur ruptura, vt patet in disruptione peritonæi. Sed si solutio sit in articulis, dicitur dislocatio. Tot sunt species solutionis continui ex conciliatore, quas ego non laudo penitus: quoniam Galenus proponit decem genera solutionis continui in libro 1. 3. 4. meth. & 6. etiam meth. cap. 1. & lib. de differ. morb. capit. 11. prima species est vlcus, 2. fractura, 3. vulnus. 4. rithma, quam vocem alii vario modo transferunt, sed ego eam voco rupturam; quinta dicitur ab ipso Galeno thlasma, id est, contusio. sexta spasma, quod potest transferri conuulsum, non autem conuulsio, quæ dicitur spasmus à Galeno, qui accusatur in hoc ab Argenterio, sed immerito; septima dicitur ἀπόσπασμα, id est, diuulsum, octaua ἀναστόμωσις, à me vero vocatur hiatus; nona est insultus vel diffultus; decima & vltima est erosio. Sed animaduertendū est, quod Galenus hæc omnia confundit, ac nulli methodo hæret, quoniam primo ponit vlcus in parte carnosa & dicitur vlcus, quia distrahuntur partes solutæ in opposita capita, & hoc in libr. 3. method. med. cap. 1. Secunda species est solutio in osse dicta fractura. Tertia est vulnus in parte carnosa cum perforatione tamen. Quarta rithma in musculis ac neruosis partibus, quę in vasis ruptura dicitur. Quinta contusio, quæ est musculorum vel vasorum solutio. Sexta est spasma, id est, conuulsum, quod est soluta vnitas in neruo. Septima est ἀπόσπασμα, quæ est solutio in ligamentis. Octaua ἀναστόμωσις, quam ego voco hiatum, & est solutio in meatibus vasorum. Nona est diffultus qui est solutio in textura vasorum, quia vasa texuntur variis fibris ac filis. Vltima species est erosio, & est genus morbi mixtum ex soluta vnitate & amissione substātiæ & est quasi venarum propria solutio.

Decem species solutæ vnitatis ex Galeno.

Confusio Galeni.

At lib. 4. meth. med. cap. 7. & lib. 5. meth. med. c. 2. hæc omnia confundit: nam dicit vulnus esse solutionem in musculo, vena arteria & neruo; secundo dicit rupturam esse in vasis ac musculis: deinde dicit esse solutionem in neruis; tertio dicit spasma esse in neruis; at in illis locis dicit, esse in parte carnosa; quarto dicit ἀπόσπασμα esse solutionem in omni organo; quare confundit hæc omnia. Hippocrates etiam variat. Nam facit contusionem & rupturam in ossibus. Deinde vulnus ossi ac cerebro asserit: præterea vlcus omnibus partibus applicat, vnde maxima arguitur difficultas in illorum dictis.

Confusio Hippocratis.

Excusatio Galeni.

Non tamen est accusandus Galenus, quoniam verba non curauit, sed secutus est sententias Medicorum aliorum: res enim ipsas semper affectauit maxime & enumerationem neglexit: hoc autem ostendit libr. 6. meth. cap. 1. vbi subdit voces non esse curādas iis, qui rerum cognitionem venantur, & ideo de vocibus non est sollicitus. Præterea cum aliæ possint addi differentiæ solutæ vnitatis: quoniam hæ propositæ à Galeno sunt differentiæ tantum sumptæ à parte affecta: differentiæ enim morborum à multis aliis accipiuntur quas ipse omisit, non tamen est accusandus, quia cum eius propositum sit docere modum curandorum morborum, ad quem scopum maxime conducunt differentiæ à parte affecta: ideo ab illa tantum assumpsit occasionem diuidendæ solutæ vnitatis. Non tollitur tamen quin & ambiguitas sit tollenda, & omnes species solutionis proponendæ. Primo igitur ea perpendenda sunt quæ necessaria sunt ad cuiusque rei contemplationem, quorum primum est causa morbi, secundum morbus ipse, tertium pars affecta, quartum modus morbi, quintum accidentia quæ morbum consequuntur: ex his enim capiuntur omnes species veluti à quinque fontibus, quos superius vobis recensendos proposui.

Vnde haurienda sint species solutionis secundum Falloppium.

1. species solutionis est vulnus.

Cum itaque sit solutio continui ab extrinseco aliquo corpore efficiente, quod facit morbum non solum nomine, sed curatione differre: nam cutis soluta à gladio & soluta à fluxione acri non eodem modo curatur. Per corpus autem extrinsecum intelligo ego omne corpus contentum extra superficiem partis affectæ cum internam tum externam: si quis enim deuorans vitrum patiatur vulnus in intestinis, illud corpus extrinsecum est, quoniam est extra superficiem intestinorum. Notandum est autem quod cum solutio continui non possit fieri nisi aut per lineam aut superficiem aut per punctum; si fiat per lineam aut per superficiem à corpore extrinseco dicitur vulnus, nec tunc à parte corporis oritur aliqua differentia, sed semper est vulnus & prima species, quæ etiam dicitur plaga & ictus & incisio: quamuis ego semper eam vocaui nomine vulneris dum fiat cæsim scilicet à corpore cædente, etsi ab Hippocrate pluribus aliis nominibus vocetur. Notandum est præterea quod hoc vulnus diuiditur, quia quandoque fit separatio sine profunditate, quandoque cum profunditate, vnde si fit sine profunditate, dicitur scarificatio, quæ non tantum in cute, sed etiam potest fieri in omnibus aliis partibus, & est solutio superficie tenus tantum facta. Quandoque vero soluta vnio sensibus percipi non potest

Notandum circa primam speciem solutæ vnitatis.

test recte, vt patet quando fit contusio in aliqua corporis parte, ibi enim est solutio continui, quæ tamen oculis non subiicitur: nam tunc inter minimas particulæ fibras ingreditur humor & soluit vnitatem, pariter cum rarescit textura, fit solutio continui, ignota tamen atque oculis latens. Si vero solutio sit cum profunditate, vocatur vulnus.

Addatis secundo quod omnis soluta vnitas aut sedē habet in se soluentis instrumen- 2.
ti aut non habet: sedes autem instrumenti non remanet nisi in vulnere & scarificatione. Si
autem diuidatur continuitas ab extrinseco instrumento ac remaneat sedes instrumenti
punctualis ac momentanea fit punctura appellata à Græcis vero νυγμός, de qua tractat Ga-
lenus lib. 6. meth. med. cap. 1. & 3. Si autem ab extrinseco corpore soluatur vnio non patens
ad sensum, fit θλάσμα, contusio vel collisio dicta, in qua non remanet instrumenti soluentis
sedes, vt si quis oculū pugno percusserit, ibi est solutio, non tamen vestigium aut sedes pu-
gni relinquitur. Notādum est tamen, quod quandoq; cum hac solutione immanifesta so- 3.
let concurrere vulnus ipsum; vnde Medici dicunt aliquando vulnus contusum quod cō-
positum est ex vulnere & cōtusione, Quarto accidit quandoq; vt corporis partes separen- 4.
tur manifesta diuulsione ac separatione, vt patet in suspensis ad tormēta per brachia, quo-
rum aliqui patiuntur lacerationem musculorum manifestam, alii vero immanifestam, &
tunc fit σπάσμα, id est, cōuulsum, quod ab Hipp. dicitur ἀπόσπασμα, & à vetustioribus Medicis
diuulsum teste Galeno in 3. comment. de offic. med. com. 31. quarta igitur species diuulsio
appelletur, Quinto quandoq; soluitur continuū à corpore aliquo intimo, quod motu vio- 5.
lento impellit partes ac illas manifeste disrumpit aut immanifeste; exēplo est halitus athle-
tarum sanguine repletus, qui dum feruet, rumpit venas, pariter flatus intestina quandoq;
lacerant & abdomen ac peritonæum, quod fit etiam ab humoribus fluentibus per spatia
particularum, qui ipsas disrumpūt & lacerant atq; separant. Si itaq; manifesta sit separatio
in venis, intestinis & abscessibus ipsis, omnes hæ solutiones cōtinentur sub ruptura. Si au-
tem immanifesta sit hæc ruptura in venis facit rarefactionem, dicitur insultus, quoniam
quando facta est hæc rarefactio, sanguis ipse exilit & quasi saltando exit. Si autem solutio
fiat in ostiolis venarum, quia solutio illa non patet ad sensum, vt fit in hæmorrhoidibus,
quarum solutio oculis occultatur, tunc solutio illa vocatur ἀναστόμωσις, id est, hiatus, & quam-
uis notissima sit à quo ad effectum, tamen immanifesta est ad oculum. Si vero solutio ista
per extensionem facta sit in tumoribus (omnes enim tumores habent coniunctam hanc
solutionem vnitatis) non habet nomen proprium, nisi sub ruptura contineatur, non e-
nim est pura ac simplex soluta vnitas. Sexta species est, quando soluitur continuitas cum 6.
ablatione partis siue eius substantiæ: hæc autem ablatio substantiæ vel à causa interna fit
vel ab humore erodente, vnde fiunt vlcera omnia, & hic est locus proprius vlceris; & hæc
est differentia inter vlcus & vulnus: nam vlcus semper est cum ablatione substātiæ, & hæc
solutio dicitur ἀνάβρωσις, vel erosio. Si autem hæc solutio fiat à corpore extrinseco eroden-
te, vt à caustico, est idem vlcus, & erosio eadem, Si autem hoc instrumentum extrinsecum
secet, vt cum quis gladio partem secat, dicitur excisio, ἀποκοπή, & hæc solutio proprie dicitur
amputatio non autem vulnus. Sub septimo autem genere & vltimo continetur solutio 7.
continui in parte aliqua dura & manifesta, in qua tamen non remaneat teli extrinseci sedes, & fractura dicitur vel κάταγμα, quod idem est in osse & cartilagine: nam si est solutio immanifesta, esset contusio; si manifesta, & remaneat teli sedes, erit vulnus; si non remaneat teli sedes dicitur fractura. & hæ sunt species omnes solutæ vnitatis mea quidem sententia & diuisione aliorum etiam.

De vera definitione vulneris & differentiis à propriis fontibus ex Falloppii sententia, & causis. CAP. III.

VVlnerum species omnes, imo solutæ vnitatis differentias ex aliorum diuisione superius tradidimus, & ex mea etiam sententia; nunc modo transeundum est ad definitionem vulneris & eius differentias atque species proponendas, in qua re cum definitiones omnes vulneris à quocunque autore assignatæ vanæ sint vel mancæ vel superfluæ, vt patet ex superius dictis & traditis: ego veram & propriam vulneris definitionem assignans dico: vulnus esse solutionem continui in qualibet corporis parte factam ab extrinseco instrumento cædente. Cum autem vulnerum species ac differentiæ plurimæ proponantur à recentioribus, ego eas solummodo proponam, quæ ad curationem attinent, quæ à causis sumuntur, à morbo, à parte affecta, à modo vulneris & à consequentibus.

Quid vulnus secundum Falloppium.

Differentia vulnerum vnde hauriantur.

A causa quidem nulla videtur oriri differentia: attamen ego dico, quod quæuis causa procatarctica sit, tamen quia aliqua organa extrinseca inducunt malam qualitatem in vulneribus, vt si gladius rubiginosus sit vel limatus vel veneno infectus, curatio varianda

venit: sed si hæc non adsint, non variatur. Ideo dicendum aliqua vulnera differentiam sumere à causa ipsa, vnde dicere possimus, quod alia vulneta sint venenata, alia non, alia rubiginosa, alia non. & sic de cæteris: quoniã per venena intelligitur hoc in loco omnis gladii siue instrumenti cædentis infectio. A natura quidem affectus oriuntur veræ differentiæ elicitæ vel à quantitate seu magnitudine vel à figura vel à situ, vel ab ætate vulneris, de quibus pertractat Gal. in lib. 3. meth. med. cõtra illos qui assignabant inflammationẽ, erysipelas & huiusmodi affectiones pro differẽtiis: morbi enim per se consistunt. Differẽtiæ autẽ à magnitudine aliquid indicare in curatione, vnde habemus vulnus magnũ, vulnus paruum, profundũ & superficiale. A figura vero aut rectum aut obliquum aut rotundum.

A situ autem vel fit per longũ partis vel per transuersum, vel per obliquum: hæc enim variant curationẽ, quoniam recta vulnera ligãtur, transuersa vero consui debent. Quamuis enim in omnibus vulneribus indicetur agglutinatio, tamen non ob id tollitur varietas curationis vulnerum, non enim solum in medicamentis collocatur res sed in tractatione chirurgica, quod patet, quoniam solo vino quandoq; & aqua vulnera sanantur.

Error modernorum circa ætatem vulnerum. A tempore vero oriuntur differẽtiæ, quas neglexere moderni, quoniam vulnus non appellant, nisi principio quando cruentum est, deinde transeunt in vlcus, sed hoc falsum est, nam vulnus habet sua tempora curationem variantia, quare vulnus aut est recens aut antiquum, aut stans aut declinans.

Pars etiam affecta maxime variat curationem totam, vnde Galenus ad hoc tantum respiciens proposuit differentias solutæ vnitatis tantum, à loco affecto: hæ autem differentiæ tot sunt, quot partes corporis. quare ex vobis ipsis eas enumerare potestis. A modo autem vulneris non variatur curatio, & ideo non est sollicitandum de hoc. A consequentib. autẽ oriuntur differentiæ: nam aliqua cõsequuntur ad vulnera, quæ speciem vulneris non *Accidẽtia propria vulnerũ.* cõponunt, alia vero consequuntur vulnera atq; ipsa variant, de primis autẽ veris accidentibus est cruoris fluxus, dolor & saniei fluxus. & omnib. vulneribus hęc habentibus cõuenit definitio vulneris superius data. Hæc autẽ accidentia sunt cõsideranda, quoniã aliqua vulnera etiã per tres dies sanguinẽ emittunt, aliqua non, & ex his curatio variatur, præcipue circa sectionẽ venæ: ego autẽ vos moneo vt hoc maxime obseruandũ habeatis, vt scil. *Notandũ maximum circa fluorem sanguinis.* permittatur maxime sanguinis copia effundi; testor enim me semper sanatos vidisse illos, quibus sanguis capiosus effluxit; nisi enim copiosissimus effluxerit sanguis, vulnera recidiuant, aut succedunt erysipelata aut herpetes miliares molestissimi, quare ego propter manib. sanguinẽ exprimere tento & permitto copiosissimũ effluere & cum successu. Aliqua etiam vulnera cum dolore sunt, alia non, aliqua humidissima, alia siccissima, quæ differentiæ omnes curationem variant.

Attendendum est etiã ad consequentia impropria, ac ad ea quæ vulnera cõposita faciunt; cõpositi enim morbi maxime Medicos fatigare solent, quare maxime notanda sunt vulnera cõposita cum inflammationib. erysipelatibus, œdematibus & huiusmodi aliis af-*Causa vulnerum.* fectionib. & morbis. Circa causas autem vulnerum habemus ex lib. 4. meth. c. 3. Medicos antiquissimos ipsas maxime inspicere tanquã indicãtes curationẽ; isti tamen accusantur à Gal. & merito; nam causæ vulnerum obseruandæ sunt tantum duplici de causa, primo vt cognitionẽ præstent Medico vulneris, secundo vt præmoneant nos de aliquo imminenti malo vel bono, quod possit succedere, an scil. instrumentum magnum sit vel acutum, vel *Cur causæ sint cognoscendæ.* ponderosum, an venenatum sit nec ne, an rubiginosum sit re aliqua mala infectum. Causa ergo omnis extrinseca aut est animata aut inanimata; multum enim differt vulnus à gladio factum ab illo, quod morsu alicuius animalis est inflictum.

Signa. Signa autem non inuestigantur, quoniam oculis maxime patet, pro signo autem habemus læsionem actionis partis illius quam timemus vulneratam: habemus præterea excuntia, quæ signa sunt vulnerum occultorum.

De Prognostico instituendo in vulneribus, vnde habeatur, quæ sint lethalia vulnera, quæ non. CAP. X.

Habitis iam differẽtiis omnibus vulnerum, causis atq; signis, præcedente definitione, modo tractandũ est, de prognostico faciendo in vulneribus deq; cognitione vulnerum lethaliũ & non. Quo itaq; ad præsagium, sciẽdum est difficillimũ esse hoc caput, maximamq; diligentiã in eius tractatione requiri; attamen sciendum etiã est, quid præsagiendum sit: nam futura nunciãda sunt & ante tertium diem pro assistẽtium satisfactione atq; Medici decore, quamuis hoc maxime periculosum sit, quoniam ars proponit septimum diem ad præsagiendum. Primo ergo videamus quid prædicẽdum sit; secundo qua ratione *Duo prænunciãda.* hoc sit faciendum. Duo autem sunt præuidẽda atq; prænuncianda à medico; quorum alterum

terum cõtinet symptomata omnia vulneri contingentia vsque in finẽ, sed de hoc in curatione verba faciemus. alterum continet finem vulneris, mortem scilicet aut vitam, sanitatem aut non; & si sanitas futura sit, an tarda fiet vel cita, & an cum noxa partis vel sine vlla noxa: praeterea an noxa futura sit circa temperiem aut circa situm partis & huiusmodi, & si aeger non potest sanari, vidẽdum est an moriturus sit, vel viuere possit nec ne. In hoc autem casu obseruandum est aliqua horum fieri necessario, aliqua vero casu & contingẽter superuenire: aliqua enim ratione successionis necessatio habent pro fine mortem: quae lethalia & insanabilia dicuntur: aliqua vero saluberrima sunt, quae necessario sanãtur, & ista pauca sunt ac mitia, quaedam vero necessario non sanantur, sed semper noxam afferunt parti, & dicuntur malefica à nostris: quaedam vero vt plurimum, sed non necessario mortem afferunt, & à Celso lib. 5. c. 26. dicuntur vulnera periculosa. Alia vero ex aequo se habent & dicuntur grauia & difficilia vulnera, quae bene tractata sanantur, secus vero minime. Guido autem proponit horũ signa sumpta primo à partib. affectis, secundo à morbo; sed hoc imperfectũ est, quare ego ad perfectã horum inuestigationẽ quatuor proponam capita, primum à parte affecta, secundum à vulnere, tertium ab habitu, quartum à rebus non naturalibus, quae possibilem ac necessariam sanitatem vel mortem inducunt. Circa primum ergo caput obseruandum est organum & primo eius dignitas, secundo eius substãtia, tertio tẽperies, quarto situs, quinto quantitas partis vulneratae, sexto numerus, septimo conformatio atq; vsus & actio partis. Circa secundum obseruãdasest magnitudo vulneris, figura, situs, symptomata consequentia, vt dolores & huiusmodi: vltimo sunt considerandi alii morbi compositi & complicati cum vulnere. Circa caput tertium obseruandus est habitus totius corporis & partium principalium: cacochymia enim moram affert: habitus etiã singularum partium cõsideretur: praeterea an in toto vel parte aliqua sit quaedã infectio mala, vt febris aut morbus gallicus & similes affectus: praeterea aetas potissimũ patiẽtis est consideranda, quoniã & ipsa variat indicium. Circa caput quartũ considerãdus est victus praesens & praeteritus: qui enim inordinate viuunt, raro sanantur. Omnia ergo ad victum attinẽtia considerentur. Exemplum autẽ hoc sit, vulneretur pars aliqua nobilis & magna, quae sit alicuius facultatis principium, atq; continuo motu & a gladio venenato ac in habitu malo & in aetate senili, impossibile est, quin succedat mors. Sic ergo etiã obseruate alios casus. His itaq; stantib. si cor vulneretur, necessario vulnus lethale est: nullũ enim visum est cor vulneratum, quod mortẽ non intulerit, vel subitam vel citam, quod colligitur ex ipsius praestantia; cor enim partium omniũ est nobilissima; substãtia praeterea cordis haec indicat, quae cũ dura sit, glutinari nõ poterit: praeterea cor est in perpetuo motu, ratione cuius nunquam fiet consolidatio: praeterea temperies cordis est calidissima, & ideo facillime potest inflammari, quare necessario mors succedit: quod si etiam reliqua addatis, non est dubium, quod vulnus cordis lethale est necessario. Et ideo Hipp. sect. 6. aph. 18. & in lib. de morb. vulgar. Et omnes cum eo vulnera cordis proponunt lethalissima. Venę etiã cauae vulnera lethalissima sunt, primo ratione vsus, quia continet totum sanguinem: est enim veluti cella vinaria, in qua totus continetur sanguis, vnde ipsa vulnerata, totus etiam euacuatur & exit. Praeterea ipsa vena substantiae est neruosae, quae solidari non potest: praeterea ratione situs eius nõ possumus manum imponere ad sanguinẽ supprimẽdum; quare necessario huiusmodi vulnera lethalia sunt ex Galeno & Hipp. loc. cit. Arteriae aortae vulnera etiã lethalia sunt necessario rationibus dictis. Sicut etiã vulnera cerebri lethalia proponuntur ab omnibus: quoniam cerebrum est praestantissimum instrumentum, quamuis quo ad vitam nobilius sit cor: verum quia non mouetur, praeterea quia frigidum est ac molle cerebrum, possumus colligere vulnera eius non esse lethalia; quod si lethale est eius vulnus, id est ob magnitudinem vulneris & praecipue circa ipsius basin vel ob complicatos morbos, vt inflammationem, &c. quare videtur dicendum, quod vulnera cerebri lethalia sint vt plurimum: vel sunt vulnera eius ex aequo lethalia & non lethalia, teste potissimum Galeno sect. 6. aph. 18. & lib. 8. de vs part. in princ. vbi dicit plurimos esse sanatos vulneratos in cerebro vsq; ad eius ventriculos. Guido etiã exempla proponit plura, & sic Carpus, quin imo & ego ipse praeter alia multa exemplum habeo de quodã, cui Ferrariae in maximo frigore ac etiam Pado glaciato resecta fuit quantitas cerebri ad instar oui anseris, & tamen sanatus, quoniam cerebrum non est instrumentum vitae, nec est durum, nec in motu: praeterea possunt manus apponi ad eius vulnera, nisi sint circa basin eius, quare in reliquis partibus cerebri homines vulnerati euadere possunt, licet pauci. Sed Hippocrates in 6. de morb. dicit, quod homo vulneratus in cerebro moritur: attamen ego ad hanc autoritatem dico cum Galeno in 6. aph. 18. quod interpretandum est maximum vulnus cerebri & vesicae, quod ego probo ex eodem Hippocrate 2.

Ars prognostica in vulnerib.

Exemplum pro praesagio.

Vulnera cordis.

Vena caua.

Arteriae aortae.

Dubium, an vulnera cerebri sint lethalia an non.

prorrh. vbi se interpretatur dicens, quod partes vulneratæ, si inferant mortem, oportet vt sint validissime vulneratæ: quare dicendum est, quod ibi intelligat Hippocrates perniciosa esse vulnera, si valide vulnerata sit pars. Hepar autem non habet omnia vulnera lethalia; aliqua enim tantum lethalia sunt necessario, alia vero minime: quoniam substantia epatis facillime regeneratur: quoniam non tollitur sanguificatio ablata eius substantia etiam dimidia: vnde ego vidi plurimos vixisse cum epate obsesso à scirrho; quare idem potest esse in vulnere: si enim pars eius altera vulneretur, reliqua suum agit opus. Sed difficultas est ratione partium, ex quibus constituitur & ratione situs: nam ratione situs non possunt imponi medicamenta loco læso, ac præterea si circa venam cauam vulneretur, lethale est necessario vulnus, circa vero alias partes minime, cuius plurima sunt apud me testimonia, quæ breuitatis causa omitto. Aduertendum est tamen circa Galenum 6. aph. 18. quod legenda sit litera negatiua, vbi affert sententiam eam de globo ablato.

Hepatis.

Diaphragmatis.

In diaphragmate autem si pars eius carnosa vulneretur, vulnus est graue: quoniam ratione situs non possunt medicamenta apponi, ac præterea est in motu & circa thoracem facillime fiunt inflãmationes: in parte vero eius neruosa necessario mors sequitur, semper enim sequitur delirium, inflammatio & quandoq; conuulsio, ac nunquam medicamenta possunt apponi, quod ab omnibus confirmatur, & præsertim à Galeno lib. 5. meth. cap. 9.

Pulmonum.

De pulmonibus autem hoc scio, quod vidi plurimos sanatos, imo infinitos, infinitos etiam mortuos, quare vulnera huius partis ex æquo se habet: vnum tamen notatur à Celso, quod si vulnus sit in parte crassa venæ arteriosæ necessaria est mors propter cõtinuum motum pulmonum, ratione cuius sanguis sisti non potest: hoc autem cognoscitur ex natura sanguinis exeuntis, qui niger erit, signum enim erit sanguinis effusi à vena caua aut ab epate.

Spinalis medulla.

Medullę spinalis vulnera lethalia ponuntur ab Hippocrate. Ego tamẽ testor aliquos vidisse sanatos; verum tamen est, quod si vulnus sit in partibus superioribus, necessario mors sequatur; si vero in inferioribus, nisi vulnus maximum sit, non necessario sequitur mors, sed conuulsio partium inferiorum.

Vesicæ.

Vesicæ vulnera maxime in parte neruosa lethalia sunt, dummodo adsint aliæ conditiones: ego enim vidi militem vulneratũ sclopeto, qui mingebat ex femore & vesica perforata erat in parte illa, in qua ligatur ipsa vesica à lateribus. Quare si fit in ea parte vulnus, potest sanari: quoniam per ligamentum illud concrescit caro, & succedit sanitas, at si fit in aliis partibus, vulnus lethale est, & necessario lethale, si maximum sit.

Lienis.

Lien autem si vulneretur, non necessariam affert mortem: quoniam non est principium alicuius facultatis: sed si vulneretur circa vasa magna aut maximum vulnus patiatur, necessario mortem affert, quia sanguis non poterit supprimi, nec possunt manus imponi. Aliqui tamen dicunt lienem posse auferri sine morte, sed, vt ingenue fatear, nescio ego quid de hoc dicere, cum vnquam hoc non viderim, nec ex relatione aliqua fideli hucusque habuerim.

Vesica fellis.

Vesica fellis vulnerata necessario lethum affert ob eius situm, quia medicamenta non possunt imponi, ob substantiam neruosam, quæ solidari non potest ob excrementum, quod continet, mors tamen non subita, sed tarda ac longa succedit.

Renum.

In renibus autem cum duo adsint, substantia scilicet ipsorum ac cauitas & vasa; si vulnerentur tantum in propria substantia, non necessaria est mors, vt plurimum tamen succedit ex inflammatione: si autem vulnus insigne sit, & in sinum penetret, necessario sequitur mors & breuissime: at si vulnus paruum sit, potest sanari; & ego vidi post ictum pugionis concreuisse carnem illam laxam & sanasse, vt plurimum tamen mors superuenit.

Ventriculi.

De ventriculo. ego mulierem & hominem sanaui vulnus patientes in ventriculo & alium militem sanatum vidi sclopeto vulneratum: si tamen vulnus ventriculi sit magni momenti, vt plurimum mors succedit, & etiamsi paruum sit, quandoque tamen sanari potest: si vero sit os ipsius vulneratum insigni vulnere, semper succedit mors propter consensum totius corporis cum eo; quandoq; autem sanantur eius vulnera, quoniam medicamenta ventriculo possunt applicari vel saltem exhiberi, si non possent exterius apponi.

Intestinorum.

Intestina vulnerata non necessario afferunt mortem, dummodo possint ipsa consui, & etiam quamuis non possent consui, non tamen moriuntur semper ac necessario; plurimos enim vidi ego ita affectos sanari, vt plurimum tamen intestinorum vulnera mortem afferunt.

Mesenterii.

Mesenterium vero vulneratum vt plurimum mortem affert propter inflammationem sequentem.

Vulnera etiam circa alas & inguina in eorum vasis lethalia sunt, nisi adsit audax & peritus Medicus, qui sanguinem sciat supprimere & sanare, vt plurimum tamen curant, si recte tractentur.

Alia

Alia vero vulnera mortem afferunt nonnulla, sed non necessario, exempli gratia, vulnus in cauitate frontis, vt plurimum non sanatur: ego tamen habeo exemplum studiosi cuiusdam Foroiuliensis, in quo quamuis vulnus satis insigne esset in cauitate frontis, carotamen exorta est. *Cauitatis frontis.*

Asperæ arteriæ vulnus, vt plurimū non sanatur, vt & vulnera gulæ ac thoracis, dummodo partes internæ sanæ sint, vt plurimum enim in ipsis succedunt fistulæ, quare hæc etiam prædicere debetis. *Asperae arteriae.*

Ex vulneribus autem quædam sunt, quæ, etsi sanentur, noxam relinquunt ac membro inferunt vulnerato, alia facultatibus noxam relinquunt, & alia motum debilitant vel auferunt. Si igitur neruus aliquis læsus sit vel ligamentum, vel caput ossis, semper prædicetis læsionem articuli illius, & ista vulnera malefica sunt & grauia. Notandum tamen est, quod quandoque secantur musculi per transuersum, & tamen tunc semper non succedit impedimentum in motu: nam si vulneretur musculus in medio, fit consolidatio & potissimum facta consuitione nec partis læsio apparebit: sed si incidatur musculus in parte superiori aut inferiori, læsionem certam prænunciabitis. Præterea cum videbitis in articulo vulnerato naturalem humiditatem mucosam egredi, semper est prædicenda læsio illius articuli, quoniam ipsa egressa statim arescit articulus, & ineptus redditur motui: & hæc sunt maxime obseruanda. *Articulorum.*

De curatione vulnerum secundum varias intentiones & scopos. CAP. V.

Circa curationem autem vulnerum hunc ordinem seruabo: primo enim tradam curationem vulnerum simplicium, secundo curabo vulnera coniuncta cum accidentibus, tertio coniuncta cum aliis morbis, quarto loco autem vulnera etiam per loca sanabuntur. Quo itaque ad primum, si purum vulnus curandum sit, vnum indicatur, quod maxime respicere debet Medicus. Galenus enim in arte medica cap. 89. dicit, quod indicatur vnitas ac coniunctio, quæ est contraria dispositioni præternaturali. Notandum tamen est, quod partes dupliciter vniri possunt, quandoque enim vulneratæ vniuntur per glutinationem & coalitum, vt si cera vel glutine pars vtraque coniungeretur, & talis coniunctio dicitur κόλλησις agglutinatio, cum videlicet pars mollis ac viscida inuicem coniungitur: & est vnio naturalis ac perfecta, quæ dicitur prima intentio à nostris chirurgis, de qua Galenus pertractat, cap. 91. libri art. med. à quo tamen primus scopus vocatur. Secundo modo vniūtur partes diuisæ per colligationem, vt dicit Galenus, eum enim non possumus aliter pannum panno coniungere, consuimus, vt etiam patet quando fabri ex duobus ferris vnum faciunt eum stanno vel plumbo, & ista non est glutinatio sed colligatio. Idem enim fit in vulneribus, in quibus caro nascitur, & ipsa tota cauitas expletur ac partes per colligantiam coniunguntur: & hæc vnio seu colligatio vocatur etiam concarnatio, & est secundus scopus vel secunda intentio: vel coniungitur solutio cōtinui per generationem carnis exterius, vt in vulneribus arteriæ & venæ ex Galeni lib. 2. de compos. med. sec. loc. vbi loquitur de vulnerib. capitis ex Apollonio. Et de scissuris cranei ex Archigene: in ossibus autem superuenit callus, qui explet solutam vnitatem extrinsecus tamen. Quæ autem partes recipiant primum scopum, seu per primam intentionem tractari debeant, sunt omnes partes carnosæ & omnes partes spermaticæ in ætate puerili ac prima, in reliqua vero ætate post septimum annum omnes partes spermaticæ sanantur tantum per secundum scopum. *Indicatio communis vulnerum. Vnio partium duplex.*

Notandum tamen est, quod Galenus loquens de hoc in 90. capite art. med. dicit curationem solutionis continui esse vnionem, quæ in instrumentalibus partibus impossibilis est, in similaribus vero non semper possibilis: quæ quidem sententia est grauissima, vnde si vera esset, infinita sunt vulnera, in quibus nihil agendum erit, videlicet instrumentorum vulnera. Si ergo verba, vt sonant, colligantur, & intelligantur, maxima est difficultas: exponentes enim ibi Galenum intelligunt solutionem integram per transuersum, quia pars abscissa mortua est, nec potest vnquam viuæ vniri: ac dicunt partes similares sectæ iterum coniunguntur, vt si secetur vena in puero, restituitur solutio illa, hæc dicunt ipsi. At ego dico hoc falsum esse, & falsum videtur, nec Galenum sibi consentire, quoniam multa instrumenta sunt, quæ resecta sanantur ex eodem Galeno, libro 13. Method. med. & in libro de sen. vbi dicit, quod venæ, arteriæ, nerui ac chordæ in pueris sunt vnita, quæ ex Galeno sunt instrumenta. Vt ergo confusio tollatur, dicendum est expositionem illam malam esse, quia præcisio nunquam curatur in vllis par- *Expositio loci difficilis Galeni in art. med.*

tibus nec similaribus nec dissimilaribus siue instrumentalibus, sed intelligenda est quæcunq; solutio continui, & sic nulla est cōtradictio: quoniam hoc nomen instrumenti duo significat, aliquando scilicet partem, quæ instituta est ad vsum alterius partis, exempli gratia, nerui, venæ, arteriæ, quæ non deferunt facultatem propter seipsas, sed propter membra ipsa cui inseruiunt: nerui enim non propter se spiritus deferunt, sed vt cerebro deseruiant. In hoc autem casu cum instrumentum sit pars illa, quæ alicui seruit, non est curandum, an ex simplici vel composita constet materia: & hoc est primum significatum instrumenti, de quo non intelligit Galenus, quoniam instrumenta hæc primi ordinis sanantur, sed intelligit per instrumentum partem compositam simplici contradistinctam, quatenus vera sunt instrumenta, vt oculus, manus, pes, &c. & in hoc verissimum dicit Galenus.

Instrumentum dupliciter accipitur.

Dubiū an instrumēta præcisa vniri possint.

Instantia.

Sed datur instantia de plurimis instrumentis per medium diuisis, quæ tamen sanata sunt, & ego, vt verum confitear, plurima instrumenta sanaui ex toto quasi præcisa & fere amputata; ideo respondens instantiæ dico, quod Galenus ibi loquitur de vnione primi scopi, quæ est agglutinatio: nulla enim pars composita potest agglutinari ex eodem Galeno, cap. 91. art. med. vbi dicit, quod os solutum non potest vniri per primum scopum, sed tantum per secundum, & vtrumque declarat, quare sic verissima est eius sententia. Notandum tamen quod nostri chirurgi per primam intentionem intelligant quid latius quam intelligat Galenus: chirurgi enim, cum fiat, verbi gratia, vulnus in facie & consuatur, & si quid tenuis carnis in illo vlnere medio crescat, illam agglutinationē appellant: sed Galenus glutinationem vocat, quando partes nullo medio glutine interueniente coniunguntur; quare male nostri chirurgi vnionem illam glutinationem appellant, cum sit secunda intentio & secundus scopus, licet non ita aperte pateat. Si quis vero quærat, cur ego hanc differentiam faciam, dico quod nisi fieret hæc distinctio, Hippocrates falsum dixisset: nam sect. 6. aph. 19. dicit, præputium, auriculam aliasq; quasdam partes non coalescere, attamen partes istæ exangues nisi consuantur, nunquam coalescent ex carne replente totā cauitatem: si ergo loquamur de coalitu primæ intentionis, auriculæ nunquam coalescent: de secunda autem intentione, nisi consuantur, nunquam coalescent; tamen possumus ostendere mille auriculas conglutinatas non per primam sed per secundam intentionem, quæ fit cum medio aliquo: ideo errant chirurgi vocantes illam glutinationem.

Error chirurgorum in primæ intentionis acceptione.

Notandum.

Notandum est etiam vt pauca cauitas sit in istis vulneribus, consuenda esse; aliter natura nunquam replebit carne cauitatem illam magnam in aliis partibus, quam in carne ipsa. Vt autem Medicus proposito vulnere ac duobus istis scopis curet, vt coniungantur partes solutæ, oportet vt diligenter obseruet causas huius vnionis faciendo ex Galeno libr. art. med. cap. 9. & ex lib. 3. meth. med. cap. 4. Instrumenta autem & causæ, quibus assequimur finem intentum, duæ sunt, Natura scilicet & Medicus: natura enim est vera effectrix; sed auxilium Medici requirit: ego autem ex mea sententia addo tertium, quod est medicamentum, sine enim ipso neq; natura neq; Medicus opus perficiet; quod quidem medicamentum fortasse intellexit Galenus sub nomine Medici. Vtor autem ego hac in re distinctione: nam multa facit chirurgus absq; medicamento, & medicamentum absq; chirurgo; natura autem non aget, nisi omnia impedimenta tollantur à Medico & Medicamētos & in hoc quidem debemus nos naturæ auxiliari.

Instrumēta & causæ curantes vulnus.

Impedientia naturam quot sint.

Quatuor autem sunt, quæ solent naturam impedire: quorum primum est mala partis conformatio, vt quando gena vulnerata cadit: secundum est malæ cōformationis perduratio. 3. additio alicuius corporis ex toto præter naturam; vltimum est morbus aut insalubritas partis affectæ, per insalubritatem intelligendo intemperiem aut alterum morbum partis affectæ, qui præter vulnus in ipsa parte sit: non enim est dubium, quod, si quid sit in vulnere, non sanabitur. Et hæc sunt quatuor capita ex ipso Galeno proposita.

De iis, quæ naturam impediunt, ne vulnus sanet per certa capita ex ipso Falloppio distinctis. CAP. VI.

QVatuor dicebamus esse capita ex mente Galeni siue impedimenta ne natura ipsa finem suum consequatur in sanando vulnere: sed quoniam mihi diminuta videntur & pauca, vt distinctius nos procedamus, sex ego vobis proponam capita maxime animaduertenda & obseruanda in curatione vulnerum, ideo vos attentos cupio in his percipiendis capitibus, quorum primum est, vt caueamus ne quid extraneum in vulnus cadat. Secundum vt extrahatur è vulnere, si quid in ipsum inciderit. 3. quod in quocunque vulnere labia ipsius coniungantur inuicem. 4. vt ipsa labia iam coniuncta sic conseruen-

Sex capita in curatione vulnerum obseruanda secundū Falloppium.

seruentur. 5. quod symptomata, si quæ sunt, tollantur: & si immineant, prohibeantur. vltimum vero quod habitus & natura partis affectæ conseruetur, aut, si amissa fuerit, restituatur.

Quo itaque ad primum caput, sit Medicus sollicitus, ne quid extraneum in vulnus incidat, quoniam aliter nunquam sanabitur, vt est pilus vel aliquid vnctuosum, quia hæc impediunt agglutinationem: nam vnctuosum humectat, ac sua viscididate consolidationem impedit. Præterea cauendum est, ne oleum cadat in vulnus cum infunditur in ipsam partem. Paulus etiam monet cauendum esse, ne arena in vulnus cadat, quę cum tolli non possit, glutinationem impedit: quare quandoque ego diligentissime ablui vulnera, cum aliquid videbam relictum in ipsis: nam medicamenta aliquando non habent tantam vim vt ipsa possint extrahere. Præterea ex Paulo libr. 4 capit. 3. 6. cauendum est etiam, ne qua humiditas influat in vulnus, vel sanguis in grumum conuersus. Vt autem hæc non fiant, ex Celso, libr. 5. capit. 147. oportet, vt chirurgus videat quantum sanguinis egressum sit: si enim eius parum exierit, faciat multum exire comprimendo partem, habita tamen ratione habitus corporis. Quod si egressa sit quantitas debita, explendum est linimentis siccis vulnus ipsum, quæ filamenta dicuntur à nostris ex filis excerptis. I. *Præceptum Celsi.*

Chirurgi autem aliqui statim ad bombicem recurrunt, quæ materia inepta est: quoniam, quando vult Medicus eam euellere, excitat fluorem sanguinis, quare potius vtendum est filamentis; deinde Celsus imponit spongiam madidam aqua frigida, qua non iuuante vtitur aceto ne humores fluant in vulnus: caute tamen vtendū est aceto, primo quia dolorem facit, secundo quia sua qualitate offendit vulnus, constringendo nimis, non retinet etiam materiam bonam. Aetius addit, quod facit quandoque partes ipsas rigidas. vtendum est igitur potius posca, scilicet, aceto aqua diluto, vnde quando filamenta sanguinem non sistunt, ego accipio quatuor partes aquæ & vnam aceti si acre sit acetum: sed vt rectius procedatis, sciatis, quod mixtio illa optima est cum potest bibi posca sine gustus deprauatione, & hanc poscam impono, non tamen frigidam, quoniam frigidum est inimicum vulneribus. Sciendum autem est, quod acetum per accidens stringit, non autem per se, nisi vinum, ex quo factum est acetum, adstringens sit. Notandum est autem quod illa, quæ possunt fluere in vulnera sunt humores ex 90. capit. art. med. vbi Galenus dicit, quod impedire debemus fluxum humorum in vulnus non tantum in principio, sed etiam in processu: nam tunc quandoque oportet, vt faciamus materiam fluentem egredi etiam, ne fiat pus, vnde etiā quandoq; oportet secare vulnera ratione humoris fluentis & quandoque relinquuntur ostiola quædam in vulneribus, & hæc actio dicitur suffluxio pro qua agenda nostri chirurgi apponunt tentam & bene agunt, cum cauitas magna est, at si parua sit cauitas, hoc timeatur, fiunt turpes cicatrices, hoc itaque modo perficietur primum caput: sed antequā vlterius progrediamur, optimum fore duxi, si de materia excrementorum vulnerum tractemus: quoniam hoc maxime pertinet ad vulnerum curationem atque cognitionem ad ipsa curanda: Diuersitas enim excrementorum vulneris ipsius diuersum statum indicat, diuersamq; curationem requirentem. *Quomodo sistitur sanguis.* *Posca quomodo fiat.* *Acetum adstringit per accidens.*

De vulnerum excrementis, deque eorum nominibus, signis, speciebus, natura, materia, causis & ortu. CAP. VII.

VT exactam consequi possitis excrementorum vulnerum cognitionem, sciendum est, quod excrementorū variæ sint voces apud autores cum Græcos, tum Latinos ac barbaros: primo enim est sanies, virus, virulentia, pus, ichor, pus oleosum, &c. Apud Græcos autem tres tantum sunt voces, prima ἰχὼρ, secunda sordes, tertia pus & potissimum apud Hippoc. & Galenum, quas voces callere oportet. Quo autem ad ichorem sciendum est, quod apud Galenum non semper idem est; nam per ipsum quandoque intelligit Galenus humiditatem serosam mixtam semper cum sanguine in venis, vocatur quoque ichor aquosus & tenuis, de qua humiditate loquitur in libr. de tum. præter nat. cap. 1. vbi dicit in inflammatione ichorem semper fluere, & declarat quid sit ichor, quandoq; per ichorem intelligit, vt lib. 3. Meth. c. 3. omnem humiditatem tenuem egressam ex vulneribus: passam tamen aliquam alterationem: primus enim ichor fluit quandoq; quidem ex vulnere, sed sine vlla alteratione, vt etiam Galeni sententia est loc. cit. Notandum est autem quod Galenus in libro 2. ad Glauc. cap. 8. facit huius ichoris duo genera, alterum inconcoctum & alterum concoctum: hoc autem coctum concurrit quasi cum pure, inconcoctum vero ex libr. 5. meth. capit. 10. putridum dicitur, semper enim hæret, quare sciatis, quod vbicunque loquor de ichore, intelligam semper de illo secundo alterato in vulneribus. *Variæ nomina.* *Ichor quid significet.*

Sordes quid significat.

Per ῥύπον, id est, sordem intelligitur apud Galenum humor contradistinctus ab ichore, in omni enim concoctione separatur excrementum tenue, quod dicitur ichor: separatur etiam excrementum crassum, quod sordes vocatur, quæ ferme idem est cum pure Galeni, vnde ipse quandoque confundit sordem cum pure. Aliquando sordes significat genus excrementi adeo crassi & sicci, vt auelli non possit ab vlceribus & vulneribus, & hæc dicitur quandoque à Galeno sordes innata ac assata, quæ auelli debet manu aut gossipio vel instrumento aliquo. Et hoc modo loquens de sorde intelligitur quocunque in loco de ipsa verba faciam, sicuti vult & intelligit Galenus in libr. 5. meth. med. capit. 10.

Pus quid significet.

Pus autem ex sectione 2. aph. 47. & aliis etiam locis & ex Galeno, qui etiam vtitur hac voce, significat excrementum concoctum factum in vulneribus quando generatur bona caro: pus autem album esse debet vel cineritium, æquale non grumosum nec fœtens: cognoscitur autem melius hoc ex loco citato & ex libr. 2. ad Glauc. cap. 8. & libr. 5. meth. capit. 10.

Excrementa à Celso proposita.

Hæc autem eadem excremēta proponūtur à Celso, primo enim proponit pus: quod album est, crassum ac magis glutinosum, quam sanguis fluens: nam sanguis concretus glutinosior est pure. Secunda species Celsi dicitur sanies, quæ crassa est, alba & species saniei dicta ichor: per ichorem enim saniem intelligimus apud ipsum subalbidam ex vlcere egredientem. Tertia species est μελίγηρον, quod est sanies veluti mel album, crassa. Pus autem oleosum solet egredi ex vulneribus ossium & neruorum.

Excrementa recentiorum. Saniei species tres secundum recentiores.

Recentiores autem ponunt tres species saniei: quarum prima habet omnes notas puris, & dicitur bona sanies & laudabilis, æqualis, cocta. Aliquando autem per saniem intelligunt ichorem Celsi, quandoque pus oleosum, quandoque etiam intelligunt per saniem virus. Præterea distinguunt ipsi virulentam saniem in calidam & frigidam, cum tamen omnis virulentia sit frigida quo ad molem: quoniam plurimæ sunt partes in ea frigidæ. Tertio per saniem sordem intelligunt, quam vocant saniem grossam & sorditiem, quam postea distinguunt in albam, nigram & cinerulentam. Ex istis itaque ego colligo quod pus Celsi dicatur sanies bona, & à Galeno πῦον. secundo ichor Galeni sanies, ichor, μελίγηρον, & pus oleosum dicitur à Celso. Ab his vero sanies fœtens, virus ac virulentia. Sordes autem dicitur ab his sordities ac sanies grossa. Sed quoniam hæc nomina scire satis non est ad rem, ideo videnda est horum excrementorum caussa ac materia.

Natura excrementorum vulneris.

Quo itaque ad primum excrementum vulneris, quod nihil passum est, illud dicunt esse humiditatem cruentam retentam in venis cum sanguine, quod exit, quia capillamenra venarum aperta sint, & quia tenuis est humiditas illa, egreditur, & iste est ichor tenuis vel aquosus, & vulnus, in quo est hoc excrementum dicitur ichorosum, sicut datur etiā vulnus cruentum.

Ichor exiens è vulnere quid.

Ichoris signa.

Cognoscitur hoc excrementum à colore primum, quia erit veluti lotura carnium, dummodo purus sit sanguis in venis: nam si sanguis biliosus sit, ichor flauus erit: si melancholicus, niger. Addatur etiam substantia: nam hoc excrementum est tenue & aquosum penitus: tertio nullum habet fœtorem: nam fœtor indicat ipsum alteratum esse & corruptū quid esse in vulnere: hæc igitur sunt signa primi excrementi, cuius materia est serum in venis contentum & ipsius causa efficiens intima est.

Materia.

Secundi excrementi natura.

Secundum excrementum alteratum in vulneribus à calore naturali alteratur. Galenus autem lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 6. dicit tres esse immutationes in humoribus factas: prima à calore naturali, qui semper agit in humores: quos conuertit in bonam materiam pro nutritione partis; secunda est alteratio in humoribus facta à calore præternaturali, cum ipse humorem alterat ad putredinem & corruptionem, quæ cognoscitur ex malo odore, in quem terminat putredo ista. In hoc autem genere alterationis duo possumus obseruare, alterum quod materia bona ad malam corrumpatur, secundum, quod materia mala peior adhuc fiat per putredinem, tertia alterario facta partim à calore naturali, partim à præternaturali. ita tamen, vt calor naturalis vincat, facit enim quod materia illa non sit mala, nec lædat corpus: postea autem alteratio nulla fit in vulneribus; nam excrementum id non conuertitur in carnem: secunda vero & tertia apparent in vulneribus: & sic omnis excrementi vulneris causa duplex est; aut calor naturalis aut præternaturalis. Sanies ergo mala, virulentia & id genus alia fiunt à calore putredinali, quandocunque fit intemperies aliqua in vulnere, corrumpuntur humores à calore aucto ac putrido, vnde fit sanies fœtida, fit autem crassior vel tenuior, huius vel illius coloris, prout diuersa est materia, ex qua fit, ac prout caloris gradus ac vis intenditur: quandoque enim adeo adurit humores, vt colorem faciat nigrum vel etiam pallidum; Quare inter has sanies dantur plurimi gradus pendentes a materia & intensione graduum caloris. In vulneribus autem quandoque fit tertia alteratio à calore naturali vincente eam, licet non ex toto, & ista materia

Alteratio triplex fit in humoribus.

Excrementorum vulnerum omnium causa duplex est. Sanies mala à quo fiat & vnde acquirat colorem & substantiam variam.

teria sanies est cocta vel pus: nam ex Galeno in omni vulnere fit duplex excrementum, ichor videlicet coctus tenuis & sordes non tenuis: Iste ergo ichor coctus fit ab hoc calore naturali non tamen integro, quia esset sub alia forma & quantitate; semper enim laborat & agit calor naturalis in omni vulnere; quare ab vtroque calore fit excrementum hoc, tamen dominatur calor naturalis, quia non adest fœtor. Alterum erat excrementum hoc crassius & erat pus coctum quod bonum est, fitque ab hoc eodem duplici calore; fit autem crassius ratione materiæ, cuius necessario duo excrementa sunt, cum & ipsa habeat etiam duas partes, crassam videlicet ac tenuem. Tertio & vltimo si aut erret Medicus vel sit intemperies sicca in parte, fiet tertium excrementum bonũ illud, quod dicitur sordes, quæ maxime hæret, & potest fieri ex adstringentibus medicamentis ac nimis siccantibus; vel si sit vulnus nimis detectum relictum, tunc enim ab ambiente fit illa siccitas, quæ quandoq; potissima est causa huius excrementi crassi.

Ichoris ortus.

Sordis causa.

Materia autem vna est, scil. humiditas ipsa, varia tamen, quæ proponitur à Galeno in lib. 6. de simpl. med. fac. Hippocrates tamen proponit sanguinem in lib. de vlceribus, & per sanguinem intelligit omnes humores in venis contentos: addatis etiam carnem ipsam; nã sect. 2. aph. 47. caro contusa in hæc excrementa conuertitur vel etiam caro elixata. & hæc de excrementis vulnerum.

Excrementorum vulnerum materia.

Quo modo & arte tela & alia in vulnere contenta extrahenda sint.

Cap. VIII.

Secundum caput ex sex superius propositis hoc erat, vt si quid in vulnus inciderit, extrahatur. Tria autẽ solent esse genera contentorũ in vulnere; quorũ primum est continens illa, quæ habent aliquã similitudinem cum corpore nostro; secundum cõtinet remotiora; tertium vero remotissima. In primo autem genere continetur sanguis grumosus siue grumus sanguinis & pilus aliquis, quæ primo gossipio auferri debent, si possunt auferri, secũdo forcipe, tertio alumine; vnde Celsus vtebatur aqua pura, qua non iuuante vtuntur aliqui aceto, sed non placet, quia nimis dolorosum est, vnde ego soleo vti posca ipsa vel oxymelle cum aqua temperato: aqua etiam tepida iuuat. Si aut incidat vel hæreat pilus in vulnere, hæc eadem conueniunt. Si autem cadant remota quædam in vulnus, vt est calx vel arena, hæc tollenda sunt, si fieri potest, eodem modo. Fuligo etiam quandoque solet impedire consolidationem, & ablui non potest caligo ipsa, quia caligo illa siccissima cum sit, hęrere potest corpori nostro ita vt difficulter per ablutionem auferri possit. In hoc ergo catu moneo vos, ne ad sistendum sanguinem in facie recurratis ad gossipium vstum, quia relinquitur ex gossipio vsto nigredo illa turpis atque maxime deformis.

Quomodo extrahendus grumosus sanguis.

Quomodo pilus.

Gossipium vstum non conuenit in facie.

Quandoq; autem accedit Medicus ad vulnus curandum, in quo est instrumentũ, vel vitrum, vel spina, vel clauus, vel squamę piscium vel sagitta, vel pugionis frustũ. & hoc mirũ est, q. frequenter glandes plumbeæ in vulneribus remanent, quandoq; partes indumẽtorũ, & hoc est propriũ glandium plumbearũ, vt secum ferant in corpus indumentorum aliquid: hæc igitur omnia obseruanda sunt, & extrahenda.

Si igitur potest extrahi instrumentum feriens, videndum est, an possit facile extrahi necne; nam nisi facillima sit extractio, & homo possit viuere & sanari sine læsione, non est sollicitandum de extractione. Albucasis autem libro secundo capite 94. ponit quatuor exempla, & ego quamplurima habeo ac nobilissima exempla glandium plumbearum relictarum in corpore absq; læsione, nam extrahuntur postea suo tempore instrumenta illa: quando ergo symptomata mala non inducunt & cogunt hominem ad extractionem, omittenda sunt.

Quando extrahenda tela sint.

Secundo obseruandum est ex libro tertio de method. med. capitulo primo quod, si potest extrahi instrumentum, an homo statim moriatur vel superuiuere possit: non enim permittendum est, quod in nostris manibus moriatur. Nam si exempli gratia gladius infixus est dorso aut cordi aut basi cerebri, extrahere non debemus, quoniam statim exhalat anima, quod fit ex maxima fluxione sanguinis & maxima alteratione, quod idem dicendum est de vena caua, sed si extractio non coniungatur cum morte subita & afferat noxam parti, extrahendum est instrumentum.

Quando tela non sint extrahẽda.

Tela duplici modo extrahuntur.

Cum autem possit extrahi instrumentum aut medicamentis aut instrumento, sciendum est quod extractio per instrumentum citius operatur & conuenit, præcipue quando timemus inflammationem fieri & dolorem ex instrumento contento in vulnere. Præterea si adsit instrumentum venenatum ac malum. Si autem hæc non adsint, vti possumus medicamentis pro extractione teli.

Quo itaque ad medicamenta, quando adest vitrum vel ſpina in vulnere infixa, aliqui vtuntur incantationibus, vt Theodoricus lib. 1. cap. 22. Sed quamuis modus ſit pulcherrimus, tamen verum fateor, quod nunquam viderim ſucceſſiſſe.

Medicamẽtorum extrahentia triplicia ſunt.

Ex Galeno autem lib. 5. de ſimpl. med. fac. cap. 17, eſt triplex genus medicamenti attrahentis, quorum primum facit à tota ſubſtantia, qualia ſunt medicamenta purgantia & alexipharmaca, quæ attrahunt omne genus veneni appoſita vulneribus. Proponuntur tamen aliqua à Paulo libro 4. capit. 51. vt eſt ſemen hyoſcyami, quod trahit ſpicula: præterea medicamentum diabotanon dictum, quæ medicamenta frigida ſunt, & ideo ego fateor non comprehendere, neque percipere, quomodo attrahant: ſi itaque attrahunt: ergo à tota ſubſtantia & à latente ſubſtantiæ temperie habent hanc vim vt attrahant ex vulnerib. inſtrumenta ipſa. Secundum genus extrahentium eſt id, quod putredine ſua ad ſe infixum trahit, & in hoc genere eſt viſcum quodcunque, quoniam omne viſcum per putredinem fit; additur etiam fermentum & ſtercus columbinum non ſiccum ſed calidum & putreſcere incipiens; præterea triticum comeſtum idem facit putredine ſua. tertium genus ex Galeno eſt medicamentorum eorum, quæ calida ſunt in ſecundo aut tertio gradu, quæq; tenuia ſunt, vt penetrent, quia ſeparant infixum ab ipſa parte & extrahunt, & iſta plurima ſunt, ſed primo eſt propolis, id eſt, cera virgo, ſecundo eſt radix arundinis, cæpa communis cocta, narcißi cæpa, allium coctum, pix naualis humida, reſina pini nil paſſa, oxyridis gladioli radix, lac omnis tithymali, ariſtolochiæ rotundæ radix recens contuſa, dictamni albi radices, dictamni Cretenſis flores & folia, gummi elemi, aſſa fœtida, ſagapenum; ammoniaci lachryma etiam fortis eſt. Galenus præterea proponit capita lacertarum; addatis vos vltimo anagallidis vtriuſque ſuccum. Et hæc eſt materia pro præparandis medicamentis compoſitis ad extrahenda tela.

Materia pro componendis medicamentis extrahentibus.

Cum autem raro ſimplicibus vtamur, ne ſuo fine fruſtrentur, ideo inter compoſita aliqua à recentioribus facta ſunt, alia ab antiquis: ſed ego duo potiſſimum habeo familiaria medicamenta, quorum primum mitius hoc eſt.

℞ propol.
pulu. rad. ariſtol. rot. an. ℥j. ß
ſaga peni
fermenti
ſtercoris columb. putridi an. ℥j.
narcißi cæpam cr. j.
picis naual. liquidæ & mellis crudi an. q. s. Miſce in mortario contundeque & f. empl. quod imponatur tepidum.

Aliud autem robuſtius eſt hoc, quod maximam habet vim in extrahendis telis infixis in oſſibus.

Compoſitũ extractorium Falloppii.

℞ viſci querc. aut cuiuſcunque ℥ß
rad. dictam. noſtratis.
pulu. dictam. hortenſ.
ſagap.
aſſ. fœtid.
gumm. elem. an. ℥j.
reſinæ pini ℥j. ß
euphorb. gr. v.
ſulph. ℈ß
picis liq. & mell. crudi an. q. ſ. contundantur & miſceantur in mortario.

Non eſt autem negligendum medicamentum propoſitum à Guidone in eius antidotario aſſumptum ab Auicenna in lib. 5. ſub nomine Andromachi. Addatis medicamentum Melinum Serapionis & vſſiam dictum, & tertium dictum Venus, quæ exempla deſcribit Aetius lib. 15. ca. 14. quæ omnia ego vobis propono & enumero, quoniam varia ad hoc aſſequendum requiruntur medicamenta. Verum Galenus proponit tria (medicamenta) quorum primum in libro tertio, de compoſ. med. per gen. capite quarto, & fit ex euphorbio: ſecundum habetur in libro ſexto, de compoſ. med. per gen. capite ſecundo, circa principium, & inſcribitur diabotanon, id eſt, emplaſtrum ex herbis, ſed cum duo ibi ſint ita deſcripta medicamenta, intelligendum eſt de priori, nam poſterius malum eſt & prius illud compoſitum occulta potius qualitate agit quam manifeſta, quoniam frigida multa recipit & tamen valide extrahit. Tertium medicamentum ſacrum appellatur, quia repertum eſt in ædibus ſacri Vulcani in Ægypto. & hoc deſcribitur à Paulo

Medicamẽta extrahentia ex Galeno.

paulo inepte lib. 5. cap. 2. 4. & 10. sed nullibi eodem modo. Descripsit etiam G. lenus ex Hera & Asclepiade, sed illud Asclepiadis magis probatur. Hoc autem medicamentum dupliciter paratur; vel tantum ad extrahendum, vel ad vlcera mundanda; vnde ego ad spicula extrahenda describo hoc modo.

Emplastrũ diabotanũ.

Recip. ol. veteris lib. j. in æstate, at in hyeme lib. j. ß
lithargyri lib. j.
colophoniæ lib. ß.
ceræ ℥iij.
ammoniac.
aristol. rot. an. ℥ij.
mannæ thuris.
galbani an. ℥j. ß.
dictam. Cretens.
ærug. æris
aloes
propol. an. ℥j.
squam. ær.
gentianæ an. ʒvj. primum coquatur lithargyrus cum oleo, deinde addatur squama & ærugo, & cætera coquendo, donec non inquinet manus. & vtamini. & hæc satis sint dicta de medicamentis extrahentibus tela & alia infixa in vulneribus.

De Extractione manuali telorum & infixorum in vulneribus, & de instrumentis ad eam rem maxime aptis.

CAP. IX.

QVoniam multoties accidit, vt per medicamenta nihil agat Medicus pro extractione telorum ex vulneribus, ideo deueniendum est ad extractionem quæ opera manuali perficitur, & ad instrumenta ad id agendum idonea, in quo quinque sunt obseruanda capita. Primum enim videndum est, an sit commodum extrahere telum: vel potius relinquendum sit telum in ipso vulnere: quandoque enim processu temporis facilior est extractio. Secundo, est considerandum, an telum extrahendum sit potius trahendum, vel propellendum & expellendum ad aliam partem: aliqua enim instrumenta trahi non possunt, sed si debent eximi, ea oportet ad aliam partem propellere. Tertio videndum est, an ea, quæ infixa sunt, sint in extractione frangenda vel torquenda. Quarto videndum, quomodo euocandum sit telum: Quinto instrumenta cognoscenda sunt ad hoc apta, quia eadem non conueniunt in omni vulnere. *Quinque obseruãda.*

Hæc igitur sunt animo voluenda, vt ministri possint instrui pro horum cognitione. Instructio autem hæc facilis erit, si quatuor obseruentur, quorum est genus infixi teli, quo ignorato hæc recte describi non possunt: quare omne genus teli cognoscendum est. nam quamuis non faciat ad multam necessitatem, tamen multum facit ad vsum. Secundum obseruandum est, vt sciatis quantitatem cum profunditatis partium tum aliorum, vt sciatis distincte quousque pertingat ac penetret instrumentum. Tertium necessarium est, vt sciatur anatome ipsa, cuius cognitio perfecta haberi debet, aliter nihil vel parum admodum boni peragi potest. Vltimo requiritur, vt ante oculos habeantur symptomata præsentia & futura, quoniam dolor ingens ab instrumento factus vrget ad extractionem: syncope autem imminens extractionem prohibet subitam: venenum etiam cõsiderandum est & huiusmodi. Hęc ergo quatuor capita necessaria sunt ad cognitionem quinque illorum propositorum. *Quatuor a-lia obseruanda pro q[...] que priorũ cognitione.*

An vero telum extrahẽdum sit statim? Ioannes de Vigo expertus Medicus lib. 1. practicæ suæ compendiosæ cap. 9. vult statim educi debere spinam infixam omni modo: Auicennas vero & Albucasis aliquantum supersedent, deinde extrahere tela conantur. quam sententiam approbat Guido omnesque mitiores chirurgi: nam videtur immite esse id primum, quare summopere mihi placet opinio Guidonis; vnde & ego tela extrahere sum solitus quandocunque poteram absq; ægri periculo. *An statim extrahendum sit telum nec ne.*

Statim autem extrahendum est telum, præsertim, si adsit dolor continuus; secundo, si telum fuerit veneno aut rubigine infectum, nam aliter mors succedet: semper tamen in ipsis casibus sectio facienda est instrumento ignito, nam sanguinem supprimet & venenum superabit. *Quando statim sit extrahendum.*

Quando non.

Non debet autem statim extrahi ex Auicen. quando ex extractione maiora symptomata timemus futura quam præsentia: secundo obseruanda est natura teli, nam si latum sit, descendit; & ideo possumus expectare & non statim extrahere. tertio si factus sit tumor, & angustatum sit vulnus, expectandus est finis inflammationis, & non statim extractio instituenda. Quarto non est statim extrahendum telum, si careatis instrumento debito proportionato ac idoneo, sed differenda est extractio, donec adsit instrumentum opportunum.

Per quam viam telum sit extrahendum.

Secundum caput erat, per quam viam extrahendum sit telum ac educendum. Celsus libro sexto capitulo quinto, & Auicennas & Albucasis volunt instrumentum semper educi debere eadem via, qua est infixum, quia non sunt multiplicandi morbi, sed quandoque oppositum fit & tuto etiam, vt si telum perueniat ad partem fere extimam: tunc enim cum pro extractione secentur paucæ partes, telum est per sanam partem potius protrudendum & extrahendum, quam eadem via, qua infixum fuit, retrahendum: verum obseruandum est, ne adsit aliquis neruus vel vas aliquod aut os ipsius impediens. Ad hoc autem cognoscendum figura teli est obseruanda, aliqua enim tela sua natura retrahuntur per idem iter, vt sunt tela lata & glandes plumbeæ: in Sagittis autem maxima est difficultas, nam aliquæ triangulares sunt, aliæ quadrangulæ, aliæ bilingues, vnde hæ bilingues non possunt per partem sanam propellendo extrahi: aliæ vero vtraq; via extrahuntur. Sed aliquæ sagittæ barbulatæ difficulter per eandem viam extrahuntur: præterea aliæ sagittę ligno infiguntur, alię habent lignum in se ipsas infixum, & instrumenta adsunt ad vtrasq; & omnes sagittas extrahendas opportuna.

Sagittarum varietas.

An tela integra sint educenda.

Tertium caput erat an tela extrahenda debeant integra educi nec ne; circa quod sciendum est, quod omnia frangibilia integra sunt educenda, adeo quod nec minima frustula, si fieri potest, in vulnere remaneant, quod idem dicendum est de glandibus plumbeis, quarum comminutiones impediunt consolidationem. Si vero non possint educi integra, sine maximo dolore, frangantur aut torqueantur, vt absque dolore educantur. Quartum vero caput non potest cognosci sine præsentia vulneris & luci etiam affecti.

Quomodo æger collocandus in extractione teli.

Pręceptum tamen est quoddam, quod scil. ęger cōstituatur in eodem habitu, in quo erat, quando telum accepit, quoniam sic telum facilius extrahetur.

Secundo ligetur æger robustissime, ac ministri validi præsto sint, ne dimoueatur æger & sic facilis impediatur extractio: hoc autem in glandibus plumbeis non fit, quæ paulatim descendunt neque recta feriunt, sed quandoque per transuersum & per obliquum etiam penetrant. Quintum caput ad instrumenta attinet, quibus extrahi telum debet, quod non potest facile explicari, hoc tamen dicam, quod opus est variis instrumentis; quæ autem sunt in vsu apud doctissimos & peritissimos Medicos, hæc sunt. Primum est hamus retusus, vncus scil. qui non habeat aciem, sed retusus sit & est aptus ad extrahenda infinita spicula & globos etiam plumbeos ob eius curuitatem: oportet autem vt sit retusum instrumentum hoc ad attollendam arteriam vel venam, absque quod pungantur. Secundum instrumentum sunt quidā canales argentei vel ænei, qui seruiunt ad extrahēdas sagittas barbulatas: defendunt enim partes ne vulnerentur ab illis barbis vel alis vel spiculis & quando non adsunt hi canales, vti possumus penna anserina. Tertium instrumentum est illud, quod ypsiloides vocatur à Celso, quod in extremo clauditur, & compresso manubrio apetitur, quo vtimur quando opus est dilatare vulnus. Quartum sunt scalpri incidentes ex chalybe, quibus vtimur quando volumus os scalpere, vt spiculum ossi infixum possit extrahi. 5. est nouacula gemina latens in fistula ferrea: & est instrumentum recentiorum: dum enim ponitur in vulnere, in ea fistula latent gemini gladioli, qui compresso manubrio exeunt & dilatant vulnus. sextum est terebra dicta ad comminuenda ossa. septimum est terebra inuersa, quæ etiam necessaria est, & facit ad extrahendas sagittas habentes tubulum. octauum est impellens cauum. nonum impellens surdum, quæ ambo facta sunt ad impellendas sagittas ad partem sanam oppositam, quando non potest trahi per partem vulneratam. Impellens autem cauum est instrumentum, quod habet in summo foramen veluti fistulam, quod factum est ad extrahendas sagittas caudatas: surdum autem impellens est instrumentum, quod non habet cauitatem, & factum est ad extrahendas sagittas habentes tubulum vel cannulam. decimum instrumentum est forceps inciforius, quo inciduntur sagittæ vel laminæ ferreæ infixæ in vulnere. vndecimum est forceps coruinus Albucasis, vel forceps semilunarius AVICENNAE, & est in modum tenaculæ & rostri coruini intortus, vel in modum semilunæ vel semicirculi. duodecimum est cannulatus forceps, id est, tenacula

Varia instrumenta pro extrahendis telis.

cannu-

cannulata, quæ seruit ad extrahendas sagittas barbulatas vel alatas. 13. est forceps anserinus siue tenacula anserina; videtur enim rostrum anseris, in superficie exteriori est leuigata, in intima vero admodum scobe aspera, cuius cauitate appræhenduntur globi plumbei. 14. est anserina tenacula non dentata ad extrahendos faciliores globos: dentata vero facit ad extrahendos difficiliores. 15. est Alphonsinum instrumentum, inuentum à Moderno chirurgo, qui vocatur Alphonsus, faciens ad extrahendos globos plumbeos: & est præstantissimum Instrumentum. 16 est spatha anserina, quæ similis est auriscalpro, sed maior. & est quoddã asperum sicut anseris rostrum; aliud vero læuigatum est in intima cauitate. 17. est specillum annulatum pro globulis. 18. est cannula terebellata, & est fistula ferrea, per quam immittitur quoddam genus terebelli chalybei, quo vtimur ad extrahendos globos plumbeos infixos in osse. 19 est balista pro extrahendo spiculo: violenter enim extrahit spicula infixa in ossibus recurrente chorda & arcu. Vltimum instrumentum est illud quod à Celso lib. 7. c. 5. describitur; & vocatur Grafiscos Dioclis, quo in loco notãdum est, quod vbi dicit Celsus inclinata quæ perforata est, omittendã est illa vox, quia aliter nunquam intelligetis qualenam illud instrumentum sit. Et hæc satis sint de instrumentis ad tela extrahenda è vulneribus apta.

De quibusdam præceptis circa coniunctionem vulnerum per Suturam & conseruationem eius per deligationem cum diuersis fasciarum speciebus & per laqueos & per pulutllos.

Cap. X.

Adunionẽ partiũ qua & quot requirantur.

TErtium caput inter illa sex à me in curatione vulneris proposita seruanda erat coniunctio & vnio partium vulneratarum ex libro tertio metho. capitulo quarto. hæc autem est solius Medici, in qua duo sunt obseruanda, quorum primum est, vt leuiter, secundum vt æqualiter partes adducantur. Et quo ad lenitionem non confertim ac vnico tractu, sed sensim ac sensim sunt adducenda. Sed præterea si ex æquo molles sint partes, considerandum est, si ambæ sint æqualiter molles & tunc æqualiter sunt adducendæ; at si vna sit dura & hæreat ossi, altera vero mollis, ista tantum mollis est attrahenda. Si autem partes istæ à frigore riguerint, accipiendum est oleum & aqua ita calefacta vt ferueat, & super vaporem tenendus est locus; nam sic mollis reddetur, vel vtendum est aqua calida fouendo locum cum spongia illa imbuta sine oleo, postea adducemus. Vltimo obseruanda est æqualitas in adductione; quæ æqualibus consistit primum in superficie exteriori, vt superficies vnius partis respondeat superficiei alterius partis, & ideo colligendum est, nunquam incipiendã esse futuram in medio, quia nunquam extrema quadrabunt, sed ab vno extremo incipienda est futura; secundo æqualitas ista consistit in hoc, vt partes sectæ simul coniungantur, quod pertinet ad totum vulnus, vt scil. ex æquo vniantur partes profundiores vulneris & superiores & exteriores: non enim sufficit vt iungantur exteriores tantum, sed etiam infimæ & profundæ sunt vniendæ & adducendæ. Quartũ caput erat vt adducta labia vulneris iuncta conseruentur saltem per spatium quatuor dierum, quo tempore fit etiam confirmatio. Ista autem conseruatio solet fieri deligationibus, vinculis, glutinationibus, infibulationibus, suturis ac medicamentis. Instrumenta autem, quibus hæc fiunt primum sunt fasciæ & vincula, secundum est acus, tertium gluten, quartum medicamenta emplastica, vltimum plumaceoli. Quod ad primum, facilis est deligatio & minus aliis molesta, ideo quando hæc sola satisfacere potest, semper præ aliis est eligenda. Quo autem ad naturam deligationis, quæ à Galeno vocatur ἐπίδεσις, notandum est, quod Galenus vtitur etiam hac voce δέσις, quæ est colligatio vulnerum per carnem adnatam; ἐπίδεσις autem est ista deligatio, quę est collectio particularum corporis humani ab instrumento extrinseco ad hoc apto. Genera autem deligationis sunt varia. nam vna fit per vnam tantum reuolutionem, alia per plures diuersas, alia vero est simplex deligatio, quæ scilicet fit ex reuolutionibus eiusdem speciei vel generis; alia est composita, quæ fit ex variis reuolutionibus, aliæ obliquæ, aliæ latæ, aliæ angustæ, aliæ similes, aliæ vero dissimiles. & hæ proprium habent nomen.

Æqualitas in quibus consistat.

In qua parte vulneris incipi debeat sutura.

Quibus seruentur labia vulneris contuncta.

1. Deligatio.

Deligationis species.

Vna autem vocatur ascia, quam ignorant Medici huius temporis, & tamen est vtilissima, quoniam ego hac ipsa sola plures liberaui à magnis crurum vulneribus; & est admodũ facilis; altera est quæ ambi appellatur, tertia, quę oculus dicitur; quarta rhombus; quinta semisecta deligatio, sexta & vltima rostrum cornicis dicitur.

Materia vero qua deligantur partes corporis triplex proponitur à Galeno. quarum

Materia fasciarum pro deligatione.

vna est fascia linea, secunda lanea, tertia membranea, i. e. ex chartis, qua vsus est Hippocr. in vulneribus faciei: quarta ex gossipio, quinta ex setico: aliqui vero inuenerunt aliud genus materiæ & est coma cannabis vel coma lini pexi: & hac vtuntur præsertim in fracturis ossium. sed ego etiam hoc vsus sum quandoque, imo & sæpe in vulnerib. ipsis & feliciter.

Delectus fasciarum.

Cum autem variæ sint fasciæ, opus est vt eligantur opportunæ, non autem quæcunque offeruntur; ideo vt etiam in electione ipsarum sit certa regula, sciendum est, quod primum obseruandus est fasciarum numerus: sunt. n. aliqua vulnera, quæ vnica fascia deligari possunt, alia vero duabus vel tribus, alia paucioribus, alia pluribus. Secundo est obseruanda magnitudo fasciarum in latum & longum: tertio est ipsarum puritas; puræ enim fasciæ & mundæ debent eligi quantum fieri potest: quarto est adhibenda lenitas, vt scil. lenia & mollia sint linteamina, ex quib. confici debẽt: quinto vt tenues sint fasciæ, sexto æqualitas est obseruanda in fasciis: æquales enim semper esse debent. septimo simplices esse debent sine lineis illis intercurrentib. 8. sint integræ & non laceratæ; vltimo structura telæ debet esse eiusdem vel variæ naturæ, prout requiritur, aliquando enim requiritur structura telæ vnius naturæ, aliquando diuersæ.

Fasciarum vsus.

Quo vero ad vsum fasciarum, triplicem earum vsum proponũt recentiores, quorum primus vocatur incarnatiuus, secundus expulsiuus, tertius vero retentiuus. sed ego alios addo vsus, vt quartũ disiunctionũ, quando fasciis diuidũtur partes, ne cõiungantur simul: præterea quintum directionum, quando intortã partem fasciis volumus dirigere. Sextum quando volumus prohibere, ne fiat abscessus, & dicitur deligatio prohibens abscessum, septimum est deligatio faciens abscessum seu apostema, quando indigemus abscessu & volumus ipsum facere. Octauo & vltimo quando volumus partes inæquales adæquare, & dicitur deligatio adæquans partes.

Deligatio incarnatiua.

Ex his autem omnibus incarnatiua primum opportunissima est, quoniam conseruat partes, vt agglutinari possint & hiantia labia coniungens dicitur ab Hippocrate, secunda est retentiua, tertia expulsiua, quarta prohibens abscessum; his enim quatuor maxime indigemus in vulneribus. Quo autem ad primum, deligatio illa incarnatiua solet fieri dupliciter, primo per fasciam duorum capitum, quæ in dimidia sui parte applicatur parti sanę oppositæ, & hæc deligatio dicitur incarnans, circa quam notandum est ne sit lata sicut lõgum est vulnus, sed parum strictior, duplicata autem latior sit, ne rugæ plurimæ fiant super vulnere, dum concurrunt capita fasciæ: exempli gratia, si vulnus sit longitudinis quatuor digitorum, fasciæ latitudo sit trium digitorum tantum non plus nec minus. Secundo vero modo fit deligatio incarnatiuo vnico linteo, quod latius sit quam vulnus longum, quo super vulnus currimus, deinde cõsuimus cum concurrent capita super ipsum vulnus, suimus autem capita illa sutura transuersa: sed hic modus non est ita commodus vt prior, nam habet multas difficultates. quare vtamini priori modo.

Retentiua.

Secunda deligatio dicitur retentiua, instituta tantum ad continenda medicamenta & linteamina, quæ quandoque fit vnica, quandoque pluribus reuolutionibus, laxis tamen, quoniam eius vsus est ad retinendum tantum.

Expulsiua.

Tertia dicitur expulsiua, qua vtimur cum timemus in vulneribus cauis aliquid colligi: vt autem hæc deligatio recte fiat, obseruandus est terminus, à quo vultis exprimere: si enim vultis exprimere ab inferiorib. ad superiora, tunc incipere debetis deuinciendo partem sanam vsque ad ipsum vulnus: addit autem Guido vulnus esse in hac deligatione deligandum duabus deligationibus, laxis tamẽ, deinde ligetur pars sana super vulnus, vt prohibeat materiæ influxum.

Prohibens apostema.

Quinq; obseruanda in deligatione.

Quarta deligatio est prohibens apostema vel abscessum cum adest cacochymia, & timemus fluxũ materiæ ad vulnus, obuoluendo primo vulnus & sensim postea ascendẽdo vsque ad primum articulum, deligando partem sanam. Præterea in his deligationibus obseruandum est quintum caput, quod continet ea, quæ obseruanda sunt in deligatione, quæ sunt itidem quinque ex ipso Hipp. primo scilicet, vt citissime atque celerrime fiat deligatio, secundo sine labore, id est, sine labore cum Medici tum ægri; quandoq; enim corpus attolli debet vt deligetur: quare æger non laboret, ne incidat in syncopen, aut fluxum sanguinis: Tertio addit Hippocrates fascias expedite esse applicandas: quod fit remouendo filamenta atque omnia impedimenta. Quarto concinne omnia facienda sunt, id est, cum proportione sine rugis & complicationibus aut nodis. Quinto fasciæ debent partibus quadrare affectis: Hæc enim pertinent ad fascias. Quo ad puluillos autem, qui dicuntur plumaceoli, sciendum est, quod ipsis antiqui non fuerint vsi, sed spongiis mollissimis & lanis spleniisque, & linteamina faciebant figura splenis, duplicata tamen.

Nostri autem puluillis siue plumaceolis vtuntur, quorum materia est varia: nam aut est lana, aut stuppa, aut gossipium, aut linteamina inuoluta. *Materia puluillorũ.*

Figura autem eorundem puluillorum varia est, nam habemus puluillos quadratos, rotundos, & longos. *Figura.* Notandum est autem, quod puluillis non semper vtendum est, vt in facie, in qua non possumus applicare fascias ad detinendos puluillos, vt possint ægri comedere, quare vnicæ partes conseruari debent.

De Laqueis & telis pro glutine: Item de diuersis glutinibus, ceratis glutinosis, & modo applicandarum telarum pulcherrimo.

CAP. XI.

Quoniam laqueorum materia seu tractatio est fere noua & delectabilis atque valde vtilis ad vlnera coniungenda, volui ego per caput distinctum de ipsis tractare, quamuis in superiori capite tractationem eorum promiseram. Sciendum est itaque, quod cum consutiones non sint quandoque opportunæ, & præcipue, quia etiam aliqui vulnerati & ex assidentibus multi non admittunt consutionem ipsam, ideo inuentus est secundus modus conseruandi vnita labia vulneris, qui fit per laqueos, dum scil. applicantur duæ telæ medio aliquo glutine ad vtrunque latus vulneris, quæ deinde laqueis coniunguntur & sic ex istis laqueis attrahentibus & adducentibus ipsas telas fit labiorũ vulneris ipsius coniunctio satis opportuna absq; alia sutura & ægri molestia.

In applicatione autem laqueorum tria sunt obseruanda, quorum primum est applicatio & præcipue harum telarum præparatio, quando enim hoc fieri debet, accipiantur duæ telæ fortes ac tenues neque nimis crassæ: præterea circa partem respicientem vulnus ita compacta sit tela, vt dissolui nequeat, ad partem autem sanam facile dissoluatur tela, vt fimbriæ illæ parti magis adhærcant, vel forcipe secetis eam faciendo multas fimbrias. *Praeparatio telarum & laqueorum.* Præterea huiusmodi telæ secentur ad formam partis, cui debent applicari. Vltimo huic telæ applicanda & adaptanda sunt vincula in parte ea, quæ respicit vulnus. Sint autem vincula ista ex filo solido ac duro. Secundo obseruandum est gluten medium, quo applicantur telæ partibus. hoc autem gluten trium generum à me proponetur, & non vnius tantum, quia multum ad rem facit; nam aliquando soleo accipere gluten piscium vel taurinum cocta in aceto: secundo vti possumus mixtura quadam admixto albo oui ad mellis consistentiam, qua telæ postea imbuuntur. Puluis autem hic est: *Glutina facientia ad telas applicandas vulneribus.*

Recip. simllag. triticeæ,
puluer. mastic.
gypsi cocti
col. Armen. orient.
aloes
tragacanth.
gummi Arab. an. ℈j. Misceatur, & fiat puluis tenuissimus, quo vtimur cum albo oui.

Puluis ad gluten parandum.

Cum autem hæc materia quandoque desit, aliqui conficiunt ceratum quoddam optimum secundum hanc formam.

Recip. pulu. mastic. ℥ij.
bitum. Iudaici
charabæ an. ℥j.
rosinæ colophoniæ terebinthinæ an. ℥j.

Ex his liquatis ad ignem fit pasta, qua vti potestis addita olei rosati gutta vna aut altera, si nimis durum sit, & emollimus igni & vtimur. Ego autem potissimum vtor alio medicamento molliori, accipiens album oui & diligentissime concutiens, & eo telam madefaciens, deinde aspergo puluerem calcis viuæ, parum tamen, super patinam albo oui tinctam, & postea telam appono, vt suscipiat puluerem illum, deinde telam applico. *Gluten Falloppij optimum.* Et sciatis, quod hoc superat omne medicamentum glutinosum, neq; exurit, cum sit calx in minima quantitate: & talis est materia, qua telæ applicantur parti.

Tertium caput continebat modum applicandæ telæ in vulnerata parte cum non admittitur sutura: paratis ergo telis & glutine aliquo, vnam imponimus in parte inferiori, alteram in superiori, facientes vt telæ vtræque distent à vulnere per spatium digiti vnius. *Modus applicandæ telæ.* Secundo cum apposuitis telas, obseruare debetis, vt laquei sibi inuicẽ respondeant, aduertentes etiam ductus laqueorum, ne cicatrix fiat obliqua ac rugosa.

Oportet .n. eo ductu collocare telas, quo trahendi sunt laquei. tertio antequã traha-

Obseruanda circa applicationem telarum.

mus laqueos, oportet expectare, vt gluten ſiccetur apponendo linteum calidum duplicatum. Altero v. die imponenda ſunt medicamenta ad vulnus, poſteà altera die contrahendi ſunt laquei quouſque labia vulneris coniuncta ſint facientes nodum. Notandum eſt tamen, vt manum adiuuemus, nec fiant duo nodi ſed vnus tantum, poſtea torqueatur filum; nec etiam vtendum eſt anſula, vt faciunt aliqui, quoniam hoc non eſt commodum, quia quandoque adeo ſiccatur filum; vt trahere non poſſimus ſine moleſtia. Sed quoniam quotidie telæ relaxantur, ideo quotidie ſunt melius coniungendæ ac aſtringendæ. Vltimo medicamenta vulneris imponantur tantum ſuper vulnus, non autem ſuper telas, præterea cum opus eſt vti vino; caueatis eo vti ſupra telas. Et hæc de laqueis.

De Suturis, de fibulis, acubus, filo, pennis, formicarum capitibus, & omnibus iis, quæ ad ſuturam pertinent. CAP. XII.

SVccedit vltimum genus conglutinandorum vulnerum, quod continet ſuturam. Si itaque vulneretur particula aliqua, debet vniri, ſectum autem per primam intentionem, ſcil. agglutinationem, vel medio quodam interueniente, quod eſt caro, & eſt ſecũdus ſcopus, qui dicitur incarnatio.

Prior autem ſcopus ſolet à natura obtineri, cum partes molles ſunt; ſed hoc non poteſt facere natura, niſi vulnus expurgetur, ac tale ſeruetur ac labia conſuantur taliaque ſeruentur, quod opus eſt Medici & inſtrumentorum, vt aliqua ex parte dictum eſt, quod ſcil. adiuuentur & adducantur labia vulnerum & adducta conſeruentur. Relinquitur vt tractemus de 3 inſtrumento, ſcil. de ſutura, circa quam primo videndum eſt, quid ſit ſutura, ſecundo quot eius genera, tertio quo inſtrumento fiat, quarto quomodo ſit facienda.

Quatuor obſeruanda circa ſuturam.

Quid ſutura.

Quoad primũ per ſuturam intelligimus cõpoſitionem illam, quę fit filo & acu in morem conſutorum pannorum. Quoad ſecundum plures ſunt ſuturæ ſpecies, quarum prima eſt illa, quæ ex toto ſuturæ pannorum reſpondet, in qua tantum vnica ſutura conſuitur vſque ad extremum, & hæc eſt vera ſutura; qua partes conſui debent, & hac præcipuo vtimur in conſutione cutis cum eduximus glandulam canceroſam; hac etiam conſuimus inteſtina, quoniam aliter non vnitentur: cum ergo tantum corium conſuendum eſt; hac vti debemus. Secunda ſuturæ ſpecies eſt illa; in qua quamuis pluries labia perforentur, tamen non eſt vnicus ductus à principio vſque ad finem, ſed perforatis labiis colliguntur capita fili & fit nodus & ſecatur; & ſic aliæ partes conſuuntur, de perforatione in perforationem & de puncto in punctum, vnde hæc conſutio dicitur per puncta apud noſtros chirurgos. Hæc tamen ſutura eſt ex libro ſexto method. med: capite quarto & dicitur à noſtro Celſo libro quinto capitulo vigeſimoſexto fibula, quoniam fibulæ aſſimilatur, qua veſtes vniuntur, ἀγκτὴρ gręce dicitur. Sed per fibulam omnes Medici & præcipue Guido intelligit inſtrumentum quoddam habens geminos hamos, quo vtuntur cimatores pãnorum: volunt ergo quod ἀγκτὴρ gręcorum & fibula ſit hoc idem inſtrumentum. Et etiam Ioannes Tagaultius per fibulam hoc idem inſtrumentum intelligit. Ianus autem Cornarius in ſuis commentariis in librũ ſecundũ Gal. de compoſit. med. ſec. locos iſtis aſſentire videtur, quos omnes poſtea ſecuti ſunt alii. Sed ego oppoſitum dicens moneo, ſciendum eſſe, fibulam quæ ἀγκτὴρ dicitur, plura ſignificare: nam fibula ſignificat primo inſtrumentum quoddam, quo iam pueri vtebantur ad caligas; & parum differt à fibula antiquorum: ſecundo per fibulam intelligebant antiqui annulum; quo traiiciendo penem ac præputium vtebantur ad conſeruationem vocis mollioris, cuius modum tradit Celſus lib. 7. cap. 25. & erat opus chirurgicum, & hæc erat ſecunda fibula antiquorum. tertio fibula apud Medicos ſignificabat filum collectum nodo ad labia vulnerum coniungenda; ad quam rem non bene reſpexere recentiores, nec poterant credere eſſe ſuturam: nam Galenus libro tertio method. med. capit. 4. dicit, labia vulnerum coniungenda eſſe fibulis, deligatione vel ſutura vel omnibus ſimul; ergo fibula diſtinguitur à ſutura. Sed ego dico, quod per ſuturam Galenus intelligit primam ſuturam veram, per fibulam vero hanc ſecũdam ſuturam, quod patet ex Celſi lib. 5. cap. 26. vbi ille loquitur de ſutura & infibulatione, & facit vtramque filo & ſine hamo: præterea dicit fibulam eſſe vinculum factum filo, & omnia præcepta tradit communia fibulationi & ſuturæ; quare fibula eſt ſecunda ſpecies ipſius ſuturæ.

1. Suturæ ſpecies.

2.

Dubium quid per fibulam ſit intelligendum.

Secundo addatis Galenum in libro 2. de compoſ. med. ſec. loc. in capit. de plaga capitis ex Archigene dicere, ſi pericraneum vulneratum ſit deraſo oſſe coniunges fibulis labia

vulne-

vulneris; quod si sutura non possint conseruari labia vnita, vtendum est incarnatione, qua vtimur in aliis vulneribus; ergo fibula est sutura. Tertio non obseruarunt hi Galenum lib. 6. meth. med. cap. 4. præcipientem mollitiem fili maximam requiri, modo si apponamus hamos; hoc erit contra præcepta Galeni. Quarto quando Galenus vult nos hæc tria imponere ad vulnus, hæc tria simul non poterunt aptari; erit enim cruciatus maximus facta deligatione; quare his rationibus ductus ego credo, non posse fibulationem fieri illis instrumentis, sed esse puncta ipsa, in quibus omnia præcepta sunt, & in quo omnes errant.

An fibula distinguatur à futura an vero sit idem cum ea.

Tertia ac vltima suturæ species est illa, qua vtebantur antiqui, vt faciunt nostræ fœminæ, quando emendant, quæ consutio latens est ac oculum decipit; hanc Galenus docet libro tertio, meth. & libro sexto, meth. in qua non damus neque ducimus filum super vulnus vnquam, sed semper manet adductum in lateribus; talisque consutio in abdomine fit, ne secentur labia vulneris. Vltimo didicere chirurgi nostri consuere à caligariis, qui gemino filo consuunt caligas, quam consutionem docet Albucalis libro secundo, cap. 85. & est consutio illorum, qui consuunt scarpas, & est in ordine quarta. His autem quatuor generibus suturarum coniunguntur vulnera non tantum vt agglutinentur, sed etiam ad incarnandum vel retinendum, vel ad supprimendum sanguinem: Et hi tres sunt vsus harum omnium quatuor suturarum, vnde sutura facta ad incarnationem dicitur incarnatiua: alia retentiua vel seruatiua dicitur, quando consuuntur vulnera ne nimis dilatentur, & in hoc non nimis stringendum est: Tertia est sutura suppressiua, quæ fit ad sanguinem supprimendum, qua sæpe in vulneribus opus est, licet non indicetur à vulnere.

Tertia suturæ species.

4.

Circa materiam autem, ex qua fiunt suturæ, primo requiruntur acus, qui non debent nimis longi nec etiam breues esse. Longitudo autẽ trium digitorum per trãsuersum, aut quatuor sufficit. Crassities etiam moderata sit, & sint politi acus ipsi, acies eorum triangularis sit aut quadrangula vel bifida: tales autem acus habetis Venetiis copiosos Damascenos dictos, quoniam illi, qui ex Mediolano deferuntur, pessimi sunt neq; expoliti. Requiruntur autem acus & chalybei & argentei; chalybei quidem pro partibus durioribus, argentei vero, quia possint flecti; chalybei enim non ita commode possunt flecti, in partibus præcipue cauis consuendis. Sed notandum est, quod acus debent fieri cum malleo, non autem lima, loquendo de acubus argenteis, quoniam per limam argentum fit durum. Numerus etiam requiritur, vt scil. minister non vnum tantum acum habeat, sed plures, quoniam in infibulatione plures requiruntur, ne fiat dolor, & hoc præsertim in corporibus delicatioribus obseruandum est. Præterea ne rubigine afficiatur vel inficiantur acus, conseruandi sunt in fistula argentea vt plurimum & sæpe oleo inungendi. Cum autem facta erit sutura, proiiciuntur frusta fili eruore infecta, quoniam si obuoluantur acui, inficiunt ipsum rubigine; pona ntur itaque, vt conseruentur in fistula argentea, quoniam etiam fistula illa poterit inseruire ad consutionem, vbi manus non potest applicari, applicando alterum caput fistulæ parti illi vulneris, quæ traiici debet ab acu, faciendo quod acus ipse sua acie intret in caput fistulæ, & postea, dum pertransierit, manu arripiatur & extrahatur, & sic de puncto in punctum. Attinet autem ad consutionem filum ipsum quod acia vocatur siue aceia à Celso. Filum aũt sit robustum sed non nimis crassum nec durum: Tertio sit æquale, ita vt præter æqualitatem non habeat nodos interpositos, nec sit putrescibile, quare fila ex gossypio vel lana non sunt opportuna. Galenus autem libr. 3. meth. cap. vlt. affectabat filum molle ac satis durum, vnde dicebat ipse filum Caietanum optimum esse: vel loco eius vtebatur sericino: quare filum lineum sit vel sericinum: Linum autem Brixiense optimum est, & nunquam marcescit, ipso ergo vtendum est vel sericina materia, quæ itidem optima est. Filum præterea sit album vel cremesinum tantum; nigrum enim vel alio colore infectum malum est.

Materia suturarum.

Acuum conditiones.

Acuum materia.

Numerus.

Ad euitandum rubiginem acuum.

Fili conditiones & materia.

Recentiores autem in ventriculo & intestinis consuendis meminerunt de formicis & earum capitibus, quod tamen ego nunquam feci, nec credo in nostris his regionibus adesse formicas adeo magnas, vt ipsis hoc peragi possit; quare cum hoc videatur præstigium, filo potius vtamini. Albucasis addit nos vti debere filo facto ex aliquo intestino animalis alicuius, vt sit optima similitudo, sed vult recens filum, non autem siccum, sed hoc mihi videtur absonum, quare pro certa materia vtendum est filo dicto. Cum autem aliqui chirurgi vtantur acub. sine filo vel si filo vtantur, ipso vtuntur, vt colligãt acus vt faciũt sutores aut sartores cũ reponũt acus in vestimẽtis, ne ipsos amittãt: sciendũ est ꝙ hic vsus malus est ac dolorosus, præter id, ꝙ acus periculũ excitat. Aliqui accipiũt pennas alicuius auis mundantes hastã mediã, deinde ꝑforant vulnus & imponunt hastã in vtrũq; la-

Formicarũ vsus pro sutura reiicitur.

Vsus acuum aliquorum malus.

Vtentes pennis ad consutionem reprobantur.

bium, & ponunt tres aut quatuor pennas, sed ego, vt ingenue fatear, quid sciam de hoc, dico hos reprobans me nescire vbi fuerit tanta fili penuria, vt pennis vii sit opus pro consutione. Alii accipiunt stupam vel linamentum, & appellant cannulam, & in vtroque labio imponunt adacto nodo; ne fiat labiorum laceratio, Et hic modus opportunus est in abdomine consuendo, vt diximus in tertio modo. Quo vero ad quantitatem carnis consuendam vel in consutione arripiendam, sciendum est, quod ad quantitatem digiti minoris arripiendum est acu labium; neque nimis distare debent inter se fibulæ, neque etiam nimis spissæ esse. Notandum præterea, quod non tantum corium perforandum est, sed etiam caro subiecta vsq; ad profunditatem dimidiam vulneris; aliter conglutinabitur tantũ corium remanente cauitate in fundo vulneris cum maximo patientis periculo.

Quantitas carnis arripienda in consutione.

Sanguis cur sit statim sistendus in vulnere abdominis.

Notandum est autem, quod vltimum præceptum est Hippocratis in libr. de vlcerib. quod vulnera, si sint in artubus, indigent excretione multi sanguinis: si autem vulnus sit in abdomine, statim sistendus est sanguis, quia tunc sicciora fiunt vulnera ac facilius sanatur, huius autem causa est, quoniam extremi artus facilius tentantur fluxionibus, nec possunt resistere, quia debiles sunt, ventres autem fortiores sunt, quoniam in his viget calor naturalis; præterea per sanguinis euacuationẽ pars siccatur, quę exiccatio magis indicatur à parte naturaliter sicca, quam à parte naturaliter humida existente, venter autem est naturaliter humidus, ergo non indiget tanta exiccatione. Præterea multus sanguis contentus in artubus suffocat calorem eorum imbecillem, ac in abdomine educto sanguine educitur pabulum caloris in eo existentis, ergo debilitatur pars, quare bonum fuit Hippocratis præceptum. His itaque rationibus possumus vnire vulnus, vt deinde natura agat. quandoq; autem vtimur puris medicamentis emplasticis, sed quoniam hoc raro fit, ideo de his ego faciam mentionem.

De Conseruatione temperiei partis affectæ siccitatisq; ipsius, quotuplex sit temperamentum, & quando conueniant siccantia diuersorum graduum & qualia debeant esse sarcotica.

Cap. XIII.

Quomodo conseruetur loci affecti temperies.

Cur siccitas partis semper sit conseruanda.

Siccitas quot modis conseruetur.

Requiritur præterea in vulneribus, vt cõseruetur temperies loci affecti, sicuti docet Galenus lib. 3. meth. cap 9. temperies enim est causa efficiens sanitatis atq; coniunctionis ipsius partis. Quintum ergo, quod tentare debet Medicus, est, vt natura agglutinet conseruata ab ipsa propria partis temperie: Hippoc. autem in lib. de vlcer. dicit siccitate partem esse seruandam, quoniam siccum sano simile, humidum vero ægro vicinius est; ergo si adsit humiditas, remouenda est. Sed cum hoc videatur monstrum, nam qualitates actiuæ magis agunt, dicendum est, Hippocratem, cum dixit siccum, omnia intellexisse, nam caliditas & frigiditas partis in vulneribus per se consistunt, nec adest aliqua occasio corrumpens caliditatem, sed siccitatem fluxio illa statim corrumpit, quare ad alteratam siccitatem sequitur corruptio aliarum qualitatum & temperaturarum partis. Hunc ergo scopum ante oculos semper habentib. conseruanda siccitas loci affecti; siccitas autem variis modis conseruari potest, sed præcipue medicamentis, quæ licet diuersa sint ac varia, ad ea tamen inuenienda obseruari debet temperamentum, quod duplex est, vel vniuersi corporis vel particularum.

Temperamentum quotuplex.

Siccantia leuia in primo gradu.

Temperamentum totius est obseruandum, an æquale sit in specie vel inæquale: temperamentum enim humanum semper inclinat in aliquam humiditatẽ, licet temperatum sit quo ad iustitiam, tamen respectu plurium animalium humidum est. & hoc reperitur in maiori hominum parte. Aliud est temperamentum corporis, quod sequitur ad ætates & cœli regiones & exercitia, vt est temperamẽtum senum, Æthiopum & rusticorum. Præterea temperies partium subiectarum consideranda venit; non enim est eadem cum temperie totius; videndum est ergo an temperatura partis respõdeat toti corpori, vt genam pueri & mulieris; vel inęqualis sit ac diuersa à totius temperatura veluti in pueris genu est siccius habitu totius; pariter digitus mulieris siccior est totius corporis habitu. Hoc constituto supposita gena pueri vulnerata vel fœminæ, primo consideranda est temperies æqualis in specie licet humidior, deinde partis vulneratæ temperies consideretur æqualis toti. vnde statim ego sum solitus imponere medicamenta siccantia leuia, quoniam excessus multus non est, neque requirit oppositum valde agens. Quod si pars sit sicca ex se & humectata sit, indicat medicamentum siccans robustius. Leue autẽ medicamentũ siccans in primo gradu siccum est, vt farina hordei, fabarum, thus, chamæmelum, adianthum, eupatorium, farina orizæ & similia imponenda in partibus mollibus ac humidis. Si quis autem sicciores

sit

In secundo. *Siccantium vsus.*

sit habitus, ac vulnerata sit pars sicca & forte humectata, opus est validis siccantibus: si vero non, præseruanda est cum validis medicamentis, quoniam excessus magnus est à contrario in contrariũ, quare in eo viu ego impono siccantia in secundo gradu, vt in rusticis, senibus ac viris, qui sicciores sunt. Si autem pars toti habitui non respondeat, vt si sit articulus pueri vel Æthiopis, tunc in his partib. siccioribus vtendum est medicamentis, at validioribus, vt siccis in tertio gradu, quæ conueniunt etiam in sicco habitu, & in habitu sicco vulnerata parte sicciori, conueniunt deinde siccantia validiora & in tertio gradu intenso, & hæc est norma inueniendorum siccantium. Sed notandum, quod hæc imponuntur non tantum vt conseruent partis temperiem, sed etiam vt iuuent naturam agentem; nam in partibus vulneratis est humiditas insita, quæ est in gluten vertenda ad vniendã labia vulnerum, quæ humiditas sanguinea concrescit & vltro citroque currit.

Causa efficiens. *Siccans medicamentũ quale esse debeat.* *Sarcotica qualia esse debeant.*

Efficiens autem causa est natura ipsa, quæ adiuuatur à medicamento, quod facit gluten siccius atque solidius, quare requiritur, vt medicamenta sicca sint atque excedant gradum à parte affecta indicatum pro sui conseruatione, vt si pars indicet primum gradũ, vtamini secundo, & hoc patet, quoniam vnum & idem medicamentum respectu diuersarum partium siccum est in primo, secundo & tertio gradu prout mollis erit vel sicca pars affecta, cui medicamẽtum applicatur, & hoc ratione glutinis indicatur quod formãdum est. Vltimo siccans medicamentum debet repellere sanguinem copiosum fluentem ad locum affectum, non enim potest ipsum absumere, debet ergo habere adstringentem facultatem constipando meatus partis ipsius, & hoc est medicamentum glutinatorium, scil. habens has omnes conditiones. In sarcoticis enim sat est, vt adsit vis conseruans temperaturam partis, & ideo satis est, quod sicca sint in primo aut secundo gradu incipiendo in mollioribus, at in durioribus in secundo intenso aut tertio incipiente. At in agglutinatoriis medicamentis requiritur etiam vis adstringens.

De Refutatione & explosione illorum, qui in vulneribus vtuntur aqua benedicta, incantationibus, benedictionibus, oleo atque linteis benedictis & albo cum mastiche. Cap. XIV.

Error vtentium aqua benedicta frigida. *Opinio propria de incantationibus & benedictionibus.*

Diximus in superiori capite ratione partium diuersitatis vnum & idem medicamentum esse diuersæ actionis, dum sit aut in primo aut in secũdo aut in tertio siccans gradu, prout mollis erit vel sicca pars affecta cui tale applicatur medicamentum, & insuper repellere debet per vim adstringentem constipando partis ipsius meatus: sic enim erit glutinatorium opportunum: & quod denique sarcoticis sat est vis conseruans temperaturam partis, vnde sufficit, quod in primo sit gradu sicca intenso aut secundo incipiente in mollibus, ac in duris in secundo intenso aut tertii initio. Hoc stante sequitur, omnes aliter faciẽtes errare, vt illi, qui vtuntur aqua benedicta frigida vel oleo benedicto & albo oui, multi enim aqua frigida pura, etiam tẽtant sanare vulnera, & potissimum in Hetruria & Neapolitano regno, voluntque hanc esse curationem methodicam ex Celso lib. 5. cap. 26. vbi dicit, Licetq; vulnus curare sine peregrinis medicamentis imposita spongia vel linteo cum aqua frigida: opus enim naturæ est agglutinatio: seruatur autem siccitas partis repellendo materiam fluentem quamcunque, quod optime facit aqua frigida. Additur deinde ab illis autoritas; nam habent incantationem quandam diuinam compositam, & benedicunt multis crucibus fidentes orationi illi; tertio addunt infinita exempla ducum, comitum & Baronum. Sed vt meam ingenue proferam sententiam, non credo ego curationem hanc tutam esse, quamuis quandoq; viderim successisse, sicut quandoq; ab his empiricis videntur vulnera sanata, sed præter rationẽ. Methodus enim optima est & confirmata ab omnibus scriptoribus; attamen quandoq; sanantur vulnera ex aqua, sed casu, ratione facultatis repellentis in ea existentis: imo ego attestor vulnera vidisse sanata ex aqua etiam non benedicta, qua etiam ego vsus sum quandoq;, quia nesciebam benedictionem illam: sed tutus non est hic vsus semper, sicut est tutum medicamẽtum siccans & adstringens. Ad Celsum vero dico eam ipsum proponere in leuissimis vulneribus atq; iis, quæ per se etiam absque alio auxilio sanarentur. Ad benedictionem autem dico, verba bona esse neq; damno verborum vim, dico tamen fidem non negans bonam facere minime aquam: vnde credo ego, istos quam maxime deludi istis næniis à Diabolo, qui vt ipsos subducat & vincat, successum præbet iis incantationibus & superstitionibus; vnde sententiam meam proferens dico, me non credere. Ad experimenta autem sua plurima opponens dico, hunc esse morem nebulonum; vulgus enim facit elẽchum mortuorum; medici vero & potissimum nebulones sanatorum: sed ego attestor plurimas gangrænas sanasse secutas ad vulnera ita curata & tractata.

Error Utentium oleo benedicto & puris linteis. Quantum vero ad oleum, minus etiam probo vsum olei benedicti, quoniam humectans oppositum facit illius, quod intendimus, quamuis aliqui fateantur: sed maxima ex parte explosa est hæc ratio, quoniam oleum vulneribus contrarium. Alii vtuntur puris linteis benedictis, quæ non sint confecta ex indumentis muliebribus. Ego tamen dico vsum linteolorum purorum bonum esse, affirmo tamen illos non recte agere, quoniam nihil addunt parti intimæ vulneris: lintea enim hęc non penetrant ad fundum vulneris, quare in vulneribus momenti vsum hunc tutum non esse censeo.

Error Utentium albo oui cum mastiche. Alii vero vtuntur albo oui tantum, vt Guido noster & Rhases. Alii vero mastichem inspergunt addentes album oui: sed neque hæc ratio mihi placet, quoniam non omnia adsunt requisita, quia mastiche leuissime adstringit, præterea ex albo oui prohibetur, ne descendat mastiche in profundum vulneris, quod maxime optat Gal. lib. 3. meth. med. cap. 4. album enim oui refrigerat & siccat; quamuis Auicennas velit ouum humectare, tamen *Albi oui facultas.* falsum est, ideo deficit adstrictio, ergo opportunum non est: Præterea album oui non penetrat, quare neq; vsus hic probatur, quoniam tutus non est, sed vtendum est albo oui pri- *Albi oui vsus.* ma die, cum aliud non habemus præcipue ad supprimendum sanguinem: sed quoniam cum siccatum est, nihil agit, ideo ego in hoc casu mando, vt affundatur copiosum vinum ad humectationem, non ob id dico ipso semper vtendum esse in profundis vulneribus.

De Medicamentis conglutinantibus ad vulnera opportunis, & de diuersa eorum compositione, & recta applicatione.

CAP. XV.

EXplosis illorum rationibus, qui in vulneribus vtuntur aqua benedicta frigida, oleo benedicto, linteis benedictis atq; incantationibus cæterisque superstitiosis operationibus, & dimissis omnibus, quæ finem intentum non ita facile possunt assequi, quærenda sunt medicamenta ad vulnerum curationem tuta & opportuna, qualia sunt illa, quæ tenuē habent substantiam, vt penetrent ex Galeni sententia; nisi enim sint ex se tenuia medicamenta, oportet illis tenuitatem ex arte præbere ac penetrationem, quare siccantia sint & *Conglutinantia triplicia sunt.* adstringentia suaq; substantia tenuia. Hæc autem triplicia sunt, nam vel sunt liquores, qui *1.* quidem opportuni sunt, quia tenues cum sint, penetrant, sed hoc afferunt incommodum, quoniam facile siccantur, nec habent substantiam solidam, vnde horum continuus sit vsus *2.* ita, vt lintea continuo madida permaneant. Secundum genus est puluerum tenuissimorū dilutorum humore aliquo: sed quoniam etiam hæc siccantur, requirunt humiditatem ali- *3.* quam affusam. Tertium genus est medicamentorum compositorum, quæ humida sint ac penetrent, de quibus omnibus verba nos facientes dicimus, quod in primo genere primū locum tenet vinum austerum, quod siccat & adstringit ac etiam penetrat ex Gal. lib. 4. de simpl. med. fac. cap. 8. quod vinum sit illud quod garbum dicitur, quod quidem vbiq; non est, nam scio ego quod Mutinæ non reperitur tale vinum. est etiam bonum acerbum, quo madefiant continuo linteamina. Præterea est succus hypericonis, id est, perforatæ herbæ, quo nihil præstantius. addaris succum foliorum cupressi, caudę equinę, millefolii ac etiam pentaphylli: Præterea omnes tormentillæ optimæ sunt, vt & consolida maior & media ac *Vesicæ Vlmorum succus mirabilis.* etiam pimpinellæ succus optimus est. In vlmis autem nascuntur vesicæ quædam ad latera foliorum, quę mense Maio replerę sunt liquore quodam melleo, quod optimum est ad cōglutinanda vulnera, & ego quidem testor ex vsu istius mira vidisse multoties, & ita vt quandoque solo spatio viginti quatuor horarum conglutinata sint vulnera, quare hoc nihil esse *Succi huius præparatio.* præstantius censeo, & conseruatur multo tempore, quo etiam ego quandoque sum vsus in podagra satis feliciter: Colligo autem ego hoc oleum copiosissimum in mense Maio, hoc explens phialam vitream & eam cera optime obturans, ac linteo deinde foueam facio in terra pedalem, in cuius fundo pono salem, in quo deinde ampullam colloco, quam postea terra effossa cooperio, post viginti dies eam inde rursus extraho limpidamque aquam separo & seruo ad vsum maximo cum successu. Inter pulueres autem tenues & adstringen- *Pulueres varii conglutinātes.* tes optimi sunt manna thuris, bolus orientalis, corallium vtrumq;, gallæ immaturæ, omnia ex punicis malis sumpta, sanguis draconis in lachryma aliqua, lapis hæmatites, terra sigillata & aloes succus. His autem puluer ibus tenuissimis vtentes aliquo liquore diluimus vel saltem aqua pura. Albucasis autem libr. 2. cap. 84. proponit puluerem quendam, à quo ego dico cauendum esse, quoniam accipit calcem viuam, thus & sanguinem draconis, & ipso nunquam vtendum esse moneo, quoniam potius nocet.

Composita Si autem vulis medicamenta composita, legatis Celsum libro 5. in tractatu de emplastris,

ſtris, inter quæ eſt barbarum optimum & baſilicum pro mollibus, Smaragdinum, paracolticon, ruffumq́;. Actius vero lib. 15. cap. 12. plurima proponit, quæ videre poteſtis. Ego autem ſemper vſus ſum vno tantum medicamento in omnibus alterando, eam vel contemperando, & eſt ceratum barbarum, quod quidẽ precioſum eſt, & ipſo ſemper feliciter vſus fui, hoc enim omnia agenda operatur, & ad omnia in hoc caſu agenda valet. Quoniam vero huius plures ſunt compoſitiones, curaui ego ſemper, vt fieret, ſicut docet Galenus in lib. 2. de compoſ. med. per gen. in fine: & eſt duplex, prius autem, quo Galenus vtebatur, hoc eſt.

Cerati barbaræ Galeni deſcriptio.

♃ picis ſiccæ libr. viij.
ceræ citrinæ libr. vj. & ℥viij.
reſinæ pini libr. v. & ℥iiij.
aſphalthi vel bitum. Iudaici libr. iiij (circa quod aduertendum eſt, quod bonum ſit quoniam raro habetur hoc bitumen, vel non vtamini pice nauali: ſupponatur ergo mumia, id eſt, bitumen repertum in ventre corporum illotum ſiccatorum)
olei libr. j. ß
lithargyri
ceruſſæ
æruginis æris an. ℥iij
thuris libr. ß
alum. liquidi ℥j. ß (loco cuius ego impono alumen rochæ non vſtum) aluminis ſciſſilis ℥iiij. q. Puteolis habetur, non habemus tamen nos, ſed loco ipſius ego addo alumen rochæ combuſtum.
opopanacis
ſquamæ æris
galban. an. ℥j. ß
aloes
opii
myrrhæ an. ℥ß
terebinthinæ, vel reſinæ laricinæ vel abietinæ libr. ij.
ſucci mandragoræ ʒvj. loco cuius admiſceo ego corticem radicis mandragoræ ſiccum.
aceti libr. v.

Sed notanda eſt compoſitio, quam docet ibi Gal. Tritis terẽdis & mixtis coquantur ad conſumptionem aceti. Sed aduertatis, quod ego raro vidi hunc modum ſuccedere, nõ enim poteſt extendi: Quare hoc modo fiat: Seplaſiarii capiant lithargyrium, ceruſſam & oleum, & coquant ad mellis ſpiſſitudinem, deinde accipiant picem nigram, quam ſuper cineribus calidis liquefaciant, addantq́; puluerem bituminis Iudaici ipſum incorporando tranſmiſſum, deinde alia addant & coquant donec conſumatur acetum, vel quouſq́; non inquinet manus; talis enim eſt præſtantiſſima compoſitio; & hoc vtor ego in omnib. corporibus; ſed in mollibus miſceo cum cerato amygdalarum dulcium vel cerato roſato; in iuuenibus vero puro vtor; in ruſticis autẽ ac durioribus miſceo aliquid emplaſtri Iſidis. Notandum eſt præterea, quod ego in temporibus frigidioribus, ſi volo diluere, vtor cerato maſtichino aut chamæmelino, alias vero vtor cerato roſato; in duriſſimis autẽ corporibus vſus ſum ipſo cum vnguento Iſidis, quod repertum fuit in templo Vulcani, ita vt omnes illo vterentur; tunc enim temporis non ſeruabantur ſecreta medicamenta, vt temporibus noſtris, ſed offerebantur ad templa: vt ab omnib. viderentur, & vt quilibet ad ſuum placitũ iis vti poſſet in infirmitatibus. Vocatur etiam emplaſtrum Epigoni, quoniam ipſum liberauit à morte, vocatur quin etiã emplaſtrum Hermonis ſacerdotis & Hermonis ſacri ſcribæ: & fit hoc modo.

♃ ceræ luteæ ʒ. c.
colophon. ʒ. c c.
rad. ari ſiccat.
ſquamæ æris rubei
ærug. æris
ariſtol. rot.
thuris
ſalis ammon.
thymiamid.
ammoniaci

æris vsti an. ℥viij.
alum. rochæ ℥vj.
aloes
myrrhæ
galbani an. ℥xij.
ol. antiq. lib. j.
aceti q. s.

Hoc autem emplastrum non coquitur, sed metalla omnia dissoluuntur sub sole diebus canicularibus in aceto, deinde affunduntur omnia liquabilia, deinde pulueres, postea fiunt magdaleones, qui continuo seruantur in aceto vsque ad decem annos, & huius rationem fateor me nescire, attamen testor vidisse. Quod si spatio sex mensium detineatur extra acetum, non potest extendi & colorem amittit, quare seruetur in aceto & in vase æneo, & hoc emplastrum est illud, ex quo fit vnguentū Isidis, quod fit ex vna parte huius emplastri & duabus vel tribus partibus cerati rotati.

Hippocrates autem in libro de vlcer. proponit medicamentum optimum pro siccissimis & durissimis corporibus ex vua acerba, quod imponitur quotidie aut alternis diebus: non enim quotidie vulnus detergēdum est nisi multa affuerit copia ichoris vel laquei cōstringendi sint, & hoc obseruandum est maxime. Monet autem Hipp. ichorem & saniem esse abstergendam & exprimendam; Galenus vero libro sexto, Meth. quando volebat siccare vulnus, accipiebat lanam madefactam vino vel posca. Ego autem vtor bombyce felici cum successu, deinde iterum impono medicamenta hoc agens vsque ad quartam diem, in qua si vulnus erat agglutinatum auferebam suturam secando fibulas aliquo instrumento commodiori, licet statim possent auferri, sed has fibulas cito solitus sum auferre, ne fierent cicatrices turpes: hac ergo de causa sic procedo, & ista agenda sunt in curatione vulnerum.

De Regimine circa sex res naturales, & de phlebotomia & euacuatione per pharmacum. CAP. XVI.

QVoniam plerunque supradicta non sufficiunt pro integra curatione vulnerum ratione alicuius impedimenti, vt potissimum est fluxio ipsa quæ hanc curationem maxime impedire potest, itaque oportet, vt corrigantur res non naturales, ne offendant, vnde oportet habere oculos ad cibum & potum, aliter nihil fiet: corpus enim aut est plenum aut vacuum, quare videndum est an secanda sit vena nec ne. Aliqui dicunt eam esse superfluam, quoniam sectio venæ non indicatur à vulnere, quod confirmatur ex lib. 4. meth. med. c. 6. vobis ponit Galen. præceptum vniuersale, quod vulneris vt vulnus est, nulla est curatio in sectione venæ. Præterea ex Hippocrate, qui non secat venam, sed educit sanguinem per locum affectum; ergo, dicunt isti, inutilis est venæ sectio & euacuatio sanguinis per eam. Alii dicunt esse secandam in vulnere tantum magno, quoniam morbus magnus indicat sectionem venæ: magnum autem vulnus dicimus vel ratione essentiæ suæ, vel ratione partis affectę, vel quia occultam habet malam naturam: Et si simplex sit; quare in vulnere magno concludunt isti venam secandam & aperiendam esse siue sanguinem euacuandum per phlebotomiam.

An secanda sit vena nec ne.

Vnde vulnera magna dicantur.

Ego autem nec cum prioribus nec cum posterioribus consentio; non quidē cum priorib. quia etiā curatio vulneris non fiat per sectionem venæ, tamen per eā conseruatur siccitas partis; siccitas enim partis sequitur ad euacuationem totius, quæ fit per phlebotomiam ac venæ apertionē. Et verū est, quod nec sectio venæ indicatur à vulnere nec à magnitudine morbi, sed à conseruatione siccitatis, quæ commodior fit per sectionem venæ, quam per alia auxilia, quare sectio venæ conuenit, quod confirmatur ex Celso lib. 5. ca. 26. vbi præcipit sanguinem debere fluere copiosum per vulnus; quod si non erit facta euacuatio debita, dicit ipse, seca venam. Non consentio præterea cum posterioribus, quoniam magnitudo morbi indicat magnitudinē auxilii, non autem sectionem venæ: Galen. n. locis dictis cōmiscet morbum vehementē cum magno, ex quo indicatur vehemēs remedium: at quodnā requiratur auxiliū de magnis istis ex morbi magnitudine, nō indicatur. Quare etiamsi Galen. indicationes omnes absoluerit & doctissime, in hoc tamen mihi nunquam potuit satisfacere, quare indicatur sectio venæ in magnis vulnerib. à siccitate totius & partis; quod aūt corp. cito siccandū sit, indicabūt passiones animi & habit⁹ corporis & vulnus & aer. Primo autē obseruandū est an maxima copia sanguinis effluxerit, quoniā tunc vena non est secāda: Si aūt minima effluxerit, secetur vena. Præterea si adsit dolor, secetur vena, ne fiat

An magnitudo morbi indicet venæ sectionē.

Sectio venæ in vulneribus quando conueniat & quando non.

ne fiat attractio ad locum, secus autem minime. Præterea si futura non sit violenta sed moderata, non attrahet, & per consequens non erit opus sectione venæ. Quarto si pars talis sit, in quam humores non facile fluant vt est facies & cutis capitis, non egemus sectione venæ: vltimo si pars robusta sit, inflammatio & fluxio non admittitur, nec egemus sectione venæ; hæc ergo indicat vulnus. Præterea circa vniuersum, si plenum sit, oportet ipsum euacuare per sectam venam, vt si sit tempus plenitudinis sanguinis. In vniuerso etiam temperies obseruanda est, quæ nisi sanguinea sit aut biliosa, non secetur vena. Vltimo videndum est, an adsit febris nec ne, an aliæ affectiones: nam si adsit febris, secatur vena, ne fluxio fiat. tertio obseruandæ sunt animi passiones: nisi enim homo agitetur furore, sed quietus sit, non secatur vena, vt in hyeme; æstate autem secatur vena. Si autem secanda sit vena, seruetur oppositio & rectitudo vt fiat reuulsio & euacuatio.

De euacuatione per pharmacũ.

Quis humor potissimum euacuari debeat in vulneribus.

Euacuationis siue purgationis etiam per pharmacum est habenda ratio, quam omnes fere despiciunt, licet decipiantur: nõ enim euacuatio hæc indicatur à vulnere, sed à fluxione impedienda ad vulnus: & quoniã inter humores biliosus potius fluit, ideo ego dico hunc potissimum esse euacuandum; in vulneribus autem fit vt plurimum inflammatio aut erysipelas, quare sanguinem bilemque euacuare debemus præcipue & præsertim in biliosis corporibus. Vtemur autem medicamento bilem ducente, quo vtebatur etiam Hippocrates dans veratrum suis temporibus, quoniam homines mundi erant nec ita excrementosi, quoniam pauperes erant & non ita opulenti, vt nostris temporibus, in quibus ideo tutus non est hic vsus, præsertim cum non euacuemus per vomitum, vt faciebat Hippocrates dans veratrum album & nigrum, huius autem causa est victus mollior & delicatior atq; copiosior.

Quæ pharmaca sint exhibenda.

Aduertendum est autem, quod semper euacuare oporter per inferiora tuto dantes cassiam, tamarindos, mãnam, elect. ros. sol. viol. sol. & quandoque elect. de succo rosarum elect. ros. diapruni. sol. & illud de psyllio, quæ electuaria mollia sunt, scamonium enim non timebitis.

In quibus vulneribus conueniant pharmaca.

Vulnera vero in quibus hęc medicamenta conueniunt, sunt omnia magna vulnera, vt vulnera capitis & vtriusq; ventris, tertio articulorum vulnera. Præterea si superuenerit inflammatio aut erysipelas, dubium non est, conuenire pharmacum. addita etiam futura hoc requirit. indicat enim vulnus magnum esse in quo valde timetur fluxio: præterea futura facit dolorẽ, qui deinde facit attractionem & fluxionem. Addendum est mea quidem sententia, quod omnia vulnera, in quibus necessaria sit sectio, dilatatio & ossis abrasio, necessario requirunt medicamenta per os siue pharmaca, quoniam proritatur natura ex his actionibus, & quia vulnus derectum detinendum est; Quod si bilis non dominatetur, non est statim dandum pharmacum, sicut in bile fit: at si pituita dominetur vel melãcholia, corpus est primo præparandum & euacuandum, deinde per medicamenta propria; at dominante bile, potest pharmacum exhiberi sine alia præparatione, quoniam facile, quia fluxilis, euacuatur.

Bilis euacuari potest sine præparatione.

Victus vulneratorum qualis esse debeat.

Sed sciendum est, quod nihil agemus, nisi recte viuat æger, quamuis hoc aliqui Medici non curent, sed omnia concedunt. Ego autem cum Hippocrate moneo, quod in vulneribus magnis victus debet esse tenuis, id est, pauci alimenti ac etiam potius frigidus, non tamen attenuans. secundo vulnera, in quibus imminet inflammatio aut erysipelas hunc eundem victum requirunt & vniuersaliter omnia vulnera consuta. De vino autem non detur in vllis vulneribus, sed aquam bibant & coctam, non carnes nec oua ante septimam, nec ius nisi tenue; quando autem datur ouum, detur integrum, nam albumen contemperat alimentum lutei calidius, exhibeatur panis lotus, panatella, endiuia cocta, oriza, spinachia, fugiãtur fructus omnes, quoniam sanguinem generant, qui facile feruet vt mustum; frigidi ergo dentur & cocti.

Potio pro siti tollenda.

Sed quoniam vulnerati solent maxime sitire, ideo interdiu danda est potio aliqua pro siti tollenda, vt ex syr. de endiuia, viol. de ros. siccis diluto cum aliqua aqua & præcipue æstatis tempore: Ex his enim lotium etiam prouocabitur, quod auxilium medelæ præstabit. Vulnerati præterea sint semper in quiete optimeq; ac commode iaceant & præcipue pars affecta & vulnerata commode quiescere debet. Præterea notandum est aliud, quoniam cum membrum aliquod vulneratum debet vel potest mutilari, illum situm imponatis & in membro destinetis, qui ipsi commodior sit futurus, & hoc erit iudicio Medici cõmittendum, quod fieri debet in prima etiam die, ne membrum malum suscipiat habitum & mendum, vnde ortum est prouerbium illud, brachium & collum vel pectus, crus vero ad lectum esse apponendum & detinendum.

Quies.

Somnus & vigilia.

Recta præterea somni ratio & vigiliarum instituatur: somnus enim nimius ac pro-

fundus facit ad fluxionem. Vulnerato autem aliquo vase solet succedere euacuatio sanguinis & præsertim in extremis partibus, quæ si refrigerentur faciunt ad fluxionem, vnde hoc præceptum habeatur, vt hyemis tempore tepido foueantur calore partes extremæ vulneratæ. Somnus præterea commodus est, vbi dolor adest, quia somnus sopit facultatem.

Aer.

Aeris etiam habenda ratio est, tradita ab Hippocrate in lib. de vuln. vbi dicit in omnibus vulneribus excepto ventre & capite commodius semper esse tempus calidum quam frigidum; tempus attamen æquinoctii commodius est omnibus his, ex quo colligitur, Hippocratem eligere aerem tēperatum præ omnibus, cui sententiæ addendum est, nos cognoscere aerem non solum ratione naturæ sed etiam ratione artis. Possumus enim alterare aerē vt libet. Et quod diximus de aere idē dicatur de omnibus tangentib. corpus, vt sunt linteola, ablutiones, manus Medici & deteriora atq; medicamēta; Aer ergo temperatus optimus est. quare si talis sit, conseruetur: si vero talis non sit, arte paretur, & idem dicendum est de aliis contingentibus corpus omnibus, quod scil. si temperata hæc non sint, calefiant saltem, semperque calida applicentur, præcipue in vulneribus artuum & articulorum. Sed notandum, quod Hipp. excipit capitis ventrisq; vulnera, in quibus frigiditatem eligit diuersis de causis; & primo quia ventres hyeme & vere calidiores sunt, & ita facilius agunt: caliditas autem extrinseca dissipat robur. Secunda causa est, quia maxima vasa sunt, calorq; immensus, qui resistit etiam ingentissimo frigori, at hoc in artubus non adest, in ipsis enim vasa exilia sunt.

Cur in ventris & capitis vulneribus frigida, in artubus vero calida esse debeant contingentia.

Vnde notandus est error illorum, qui calida omnia in cerebri vulneribus imponunt; nam sic coquunt cerebrum & ægrum interficiunt.

Error vtentium calidis in capitis vulneribus.

Motus animi.

Animi accidentium quoque habeatur ratio: maxima enim quandoque mala subôriuntur, cuius infinita exempla adducere possem, quæ breuitatis causa omitto, solum dicens, quod maxime aduertendum est circa hæc pericula; vt autem hæc euitari possint, oportet vt Medicus sit mendax in prognostico, præsertim dum alloquitur infirmos, vnde quandoq; in vulneribus puerulorum concedantur noxia aliqua, ne fiat fletus, qui maxime nocet puerulis vulneratis, & ne alia peiora succedant incommoda. Veneris quoque ratio habeatur & cura: nam vt plurimum venus mortem affert vulneratis, imo & tentigo propterea etiam & cogitationes veneris fugiantur. Et hæc de correctione rerum non naturalium.

Venus.

De agglutinandis atque carne implendis vulneribus, & de signis vulneris cocti, deque vulnerum excrementis.

CAP. XVII.

POsito regimine circa sex res non naturales, & constituta iam lege circa sanguinis missionem per venam sectam & totius euacuationem per pharmaci exhibitionem, deueniamus ad vulneris ipsius tractationē per ea, quæ ipsa cōglutinare possunt, in qua re nos monitos vult esse Guido, quod aliqui sunt tentantes glutinationem viscerum per potiones aliquas calorificas, qui tamen ab ipso Guidone vituperantur: ideo iis non est vtendum; quamuis enim siccent, attamen sunt periculosa auxilia: nam ex eorum caliditate excitantur inflammationes & fluxiones; quare potiones glutinantes non debent esse calefacientes, sed vt sunt ex cōsolidis, pimpinella, tormentillis horminoque syluestri, à calidis semper abstinendo. Cum autem sistenda sit sanguinis fluxio in vulneribus explendis carne vel modo antiquorum vel modo recentiorum imposito linteolo imbuto albo oui & luteo etiam simul prætermisso sale & sequenti die inspiciendum est vulnus an crudum sit vel coctum. Aduertendum est autem, quod linamenta ista solent siccari & contrahi, & ideo partem adstringere ac dolorem excitare: ideo ne talis dolor succedat, moneantur astantes, vt vino madefaciant linteola austero ac frigido in æstate, calido vero in hyeme, & videndum est, an coctum sit vulnus. Signa autem vulneris cocti sunt, quod colore rubro erunt infectæ partes carnosæ, neruosæ vero albę erunt candidæ ac lucidæ: ossa itidem erunt candida vel subrubra, & linteola aliquo albo pure infecta. Si vero vulnus crudum fuerit, erit nigrum vel liuidum, vel aridum, & passum erit frigus.

Potiones glutinantes calefacientes damnantur.

Quales debeant esse potiones glutinantes.

Notandum circa linamenta.

Signa vulneris cocti.

Crudi.

Si itaque vulnus coctum sit, quod vt plurimum etiam sine dolore erit, opus est, vt expleatur carne. ad hoc autem agendum duo requiruntur, quorum primum est materia, ex qua gignatur caro; secundum est causa efficiens. quæ carnem gignat. Materia autem est sanguis, qui habeat proportionem cum parte affecta, cuius tanta sit quantitas, vti oportet. Si vero pars erit neruosa, sanguis sit frigidior & crassior, si carnosa sit, humidior & calidior.

Quot requiruntur ad explendum vulnus carne.

Materia carnis gignendæ.

Cum

Cum autem moderetur materia ista à natura moderata à Medico, ideo opus est vt optimus victus instituatur, non quidem plenus nec etiam tenuissimus. Pariter etiam habeatur ratio euacuationis & aliarum rerum non naturalium. Causa autem efficiens carnis istius est natura siue temperies partis, q̃ debet conseruari primò per conseruationem totius habitus, vt docuimus superius, scil. per sectam venam vel per pharmacũ. Secundo conseruatur per conseruatũ habitum ipsius partis præsertim siccum, si humidũ nimis redditũ sit, & hoc fit per medicamenta siccantia vulnus.

Materia carnis gignenda.
Causa efficiens.

Sed cum in vulneribus duplex genus excrementi gignatur, vnum crassum, alterum verò tenue, dum caro generatur, ideo non solum medicamentũ vulneri imponendũ siccum esse debet, sed horum excrementorũ ratio etiam habenda est, quoniam tenue & humidum excrementũ nocet, quod ichor dicitur: si enim retineatur, caro mollis præter modum generatur, & ideo siccandum est tale excrementum: alterum vero est excrementum crassum & tenax & viscidũ diciturq; sordes. Quando autem moderate se habet, in his dicitur pus, q̃ etiam impedit carnis generationem, & dicitur à Galeno sordes congenita, quare indicatur, vt ista sordes sensim ac sensim detergatur ac separetur à vulnere, ideo oportet eligere medicamentũ, quod possit etiam hæc præstare, id est, vt conseruet temperaturã partis, & possit siccare ichorosam humiditatẽ & sordem detergere, ideo oportet, vt sit siccans medicamentum ac detergens.

Excrementum vulnerum duplex.
Quale medicamentũ sarcoticum esse debeat.

Hoc autem medicamentum erit ex Galeno lib. 5. meth. cap. 12. facultatis siccantis & tenuium partium, vt penetret in minimas ac profundas vulneris partes, & sua siccante facultate siccet humiditatem quæ intercedit & recurrit inter illas minimas ac minutissimas partes vulneris, siue calidum sit siue frigidum, non refert. Bene verum est, quod calidum medicamentum magis detergit quam frigidum, medicamentum ergo sarcoticum est siccans ac detergens ob partium tenuitatem, vnde patet differentia inter medicamentũ sarcoticum & glutinatorium, nam glutinatorium non detergit nec separat, sed componit, sarcoticum vero separat & detergit.

Differentia inter sarcoticum & glutinant.

Cum autem medicamenta siccantia & detergentia aliqua sint mordacia, aliqua non, sciendum est quod detergit cum morsu acetum, quia frigidum est: præterea succus vuæ acerbæ, succus mali punici acidi & alia similia multa, quæ nullo modo conueniunt in vulneribus, quia inducunt dolorem, colliquant carnem, & ratione doloris attrahunt humores à longinquo; Sint ergo sarcotica medicamenta sine morsu siccantia & detergentia.

Si autem his careatis, dicit Galenus, quod debet ablui materia illa, si ablui potest; sin minus, decoquatur in aqua ad medietatis cõsumptionem. sic enim aufertur omnis mordicatio à medicamento.

Mordicatio medicamenti quomodo auferatur.

Si quis autem dicat Galenum volentem reddere medicamenta metallica sine morsu, diluere ex aceto, ego dico ipsum non vti aceto ad morsum tollendum primò & per se, sed vt magis attenuet medicamentum, quod fit, si maceretur aceto diebus canicularibus, deinde aqua abluitur, & sic tollitur omnis mordicatio medicamenti ac materiæ mordacitas. Circa quantitatem autem siccitatis, quæ debet esse in sarcotico, aduertẽdum est, quod in vulnere requiritur, vt conseruetur habitus partis, qui requirit paruam siccitatem, vt cõseruetur, ideo ratione habitus partis medicamentum sarcoticum non requiritur valde siccans; quare in mollioribus habitibus sat est siccans in primo gradu, vt in pueris & in mulieribus vsque ad duodecimum. Sed cum in isto gradu sit principium, medium & finis, ideo possumus modo vno, modo alio vti pro ratione habituum. In durioribus autem corporibus vtemur medicamentis siccantibus in 1. gradu vel in principio vel in medio vel in fine secundi gradus.

Dubium de aceto.
Quem gradum siccitatis requirat sarcotica in hoc vel illo corpore.

Hæc autem medicamenta Galenus lib. 3. meth. med. capit. 3. distinguit in tres classes, quarum prima est medicamentorum simpliciũ siccantiũ in principio primi gradus; secunda classis est siccantium in primo intenso vel in principio secũdi gradus. Tertia est siccantium in secundo gradu intenso.

Siccantium med. tres classes.

Sed notandum, quod Galenus docet, quomodo, ex medicamento nõ sarcotico possimus facere sarcoticum, exemplo æruginis, quæ siccat in quarto gradu & mordicat & eliquat carnem, & tamen redditur sarcoticum in primo gradu & secundo: nam si vult vti hoc medicamento in puella, & non habeat tempus præparandi ipsam, accipit oleum & ceram & æruginem æris vel ferri, & facit ceratum; at si corpus erit molle, paucam quantitatem æruginis ponit; si durum, in maiori quantitate.

Quomodo ex non sarcotico fiat sarcoticum.

De Medicamentis sarcoticis cuiuscunque gradus cum simplicibus tum compositis. CAP. XVIII.

Diximus in præcedenti capite medicamenta sarcotica diuisa esse ac distincta ab ipso Galeno in tres classes siue ordines, in quarum prima erant medicamenta simplicia siccantia in principio primi gradus: in secunda vero siccantia in primo gradu intenso vel in principio gradus secundi: & in tertia illa, quæ sunt siccantia in secundo gradu intenso. Modo dicimus ipsa enumerando, quod in primo ordine simplicium sarcoticorum ex Galeno eo in loco est thus, farina hordei, fabarũ, & farris vtriusq; : hæc enim sunt siccantia in principio primi gradus, & sine mordicatione; addantur furfures istorum optime triti ac molliti.

Sarcotica simplicia.

Secundus ordo continet resinam terebinthinam, laricinam & abietinam, gummi elemi, mel coctum & despumatum, sach. rof. recens, mel rosatum, violatum, farinam orobi dulcis, viciæ, cicerum & lolii, quæ omnia siccant in primo intenso vel in principio secundi gradus; addatis spodium lotum, cadmiam lotam, lithargyrium lotum, minium lotũ, plumbum vstum lotum & similia. Sciendum est autem, quod ista, quæ sunt sarcotica in secundo gradu, vt resinæ, si abluantur, fiunt sarcotica in gradu primo.

Tertius ordo continet farinam orobi amari, farinam lupinorum, puluerem ireos, Aristolochiæ omnis, puluerem opopanacis, myrrhæ, sarcocollæ, mel crudum &c. quæ si abluantur vel decoquantur, fiunt sarcotica secundi gradus, classis & ordinis.

Composita.

Composita etiam sarcotica in tres classes easdem distinguuntur, in quarum prima est basilicum minus, quod in officinis conseruatur, in quo tamen notandum est, ne seplasiarii pro pice sicca admisceant asphaltum, sed picem colophoniam: secũdo est tetrapharmacum. etiam basilicum traditum à Paulo, præstans est in gignenda carne. Tertio est medicamentum resinum vocatum, quod ex pura resina pini oleo & cera fit, & est optimum.

Si autem ex vobismetipsis componere vultis, primum sarcoticum erit primi generis illud, quod digestiuum commune vocatur, quo omnes vtuntur chirurgi, & hoc modo componitur. ℞ terebinthinæ vel olei abietini ℥j. abluatur cum aqua vel betonicæ vel communi, postea addatur vitellum oui & fiat medicamentum, præstans quidem; notandum est tamen, quod aliqui addunt huic medicamento oleum rosatum & male faciunt, quod oleum non detergit, sed potius constipat. Aliud autem est hoc modo confectum: ℞ ol. abietini vel terebinth. ℥j. abluatur, deinde addatur thuris, vel mastichis & farinæ hordei an. ʒß. Misce & vtere ipso in pueris & fæminis. Composita vero secundi generis in officinis sunt vnguentum basilicum maius, quod recipit mirrham & aloen & magis siccans est. Sed etiam in hoc notandum est, quod non commisceatur pro pice asphalthum, sed colophonia, vel mastiche loco picis siccæ.

Digestiui communis compositio.

Aliud.

Basilicum maius.

Aliud vero est, quod appellatur in officinis vnguentum de matresylua, cuius descriptio talis est.

Vnguentum de matresylua.

℞ fol. matrisylu. puluerif.
beton. pulueris. an. ℥viij.
ol. rof. complet. ℥xx.
terebinth.
resin. pini
ceræ nou. an. ℥x.
gummi. elem. ℥iiij.
vini nigri dulc. & potentis libr. xij. Misce & bulliant ad ignem ad vini consumptionem, deinde coletur medicamentum in aquam frigidam, & cum concreuit, colligatur & conseruetur ad vsum, quoniam præstantissimum est, præsertim in vulnerib. capitis, vbi volumus gignere carnem in membranis cerebri & partibus neruosis.

Tertium vnguentum est illud, quod appellatum est de gummi elem. conciliatoris, quod fit ex emplastro de gummi elem. & conseruatur in officinis, potest tamen etiam secundum hanc formam componi & erit optimum.

Vnguentum de gummi elemi.

℞ terebinth. ℥j.
syr. rof. rec. ʒij. vel loco eius mell. rof. ʒj.
farinæ orobi ℈ij.
myrrhæ
aloes
thuris ana ℈j. Misce & f. medicamentum sarcoticum secundi generis optimum

Inter-

Intertio autem genere habemus in officinis tantum vnguentum Isidis pro durissimis & emplastrum ex gummi elemi.

Reperitur etiam absterſiuum medicamentum compoſitum in officinis ad robuſtiſſima corpora ſecundum hanc formam

Abſterſiuũ.

℞ terebinth. ℥j
mell.roſ.℥iij
pulu. iridis
opoponac.
ariſtol.rot.an.℈j
thuris
aloes an.ʒß. Miſce pro medicamento.

Præceptum pro optima mixtione liquorum ac puluerũ in medicamentis.

Cum autem quandoque ita dura fiant hæc medicamenta, vt extendi non poſſint, & aliquando humidiora neque bene mixta, ideo aduertendum eſt, quod quando admiſcentur pulueres cum terebinthina ſine aliquo liquore pro qua que vncia terebinthin. ſat erit drachma vna pulueris. Si vero addatis aliquem liquorem, vt ſyr.roſ. vel mel.roſ.pro ℥j. liquoris addatis ℈j vel ʒß pulueris. nam ſi aliter fiat, liquor non bene miſcetur cum terebinthina.

Modus vtendi ſarcoticis.

Modus faciendi, vt permaneãt medicamẽta in loco.

His itaque medicamentis aut primi, ſecundi aut tertii ordinis imbuantur linamenta vel turundæ vel ſplenia, & ipſis expleatur vulnus, quo expleto tentandum eſt vt iſta maneant in loco. Tentari autem hoc poteſt dupliciter, vel accipiendo linteolum maius imbutum medicamento duriori & ſuper ſplenia imponimus vel faſcia vincimus, quod vtrumq; ego facere ſoleo. Medicamentum autem, quo imbuitur linteolum, opus eſt, vt habeat aliquam tenacitatem & habeat etiam rationem adiacentium, id eſt, vt habeat aliquam vim mitigandi doloris impediendo inflammationem, & ſi inflammatio adſit, mitigandi ac moderandi calorem & impediendi Eryſipelas materiam aliquantiſper reprimendo, & ſi Eryſipelas adſit, leniendi dolorem. Vnde colligendum eſt, male eos facere, qui imbuũt linteolum medicamento ſarcotico, & ob id ego ſum ſolitus vti medicamẽto magiſtrali officinarum, vel linimento ſimplici officinarum, vel tertio loco vnguento de thutia magiſtrali, vel diapalma mixto cum linimento ſimplici, vel cum cerato roſ. vel mirtino. Si autem his caremus, accipiatur vinum auſterum & ol.roſ. vel mirthinũ. ſimul hæc concutiendo & ipſis linteolum imbuendo & faſciam ac imponendo & bis in die vulnus detegendo in æſtate, & quando etiam adeſt copia ſaniei, aliter ſemel in die ſufficit ipſum detergere & detegere vel etiam alternis diebus. Aduertendum eſt autem, vt in hyeme hæc tepida imponantur, æſtate vero frigida, & aliquando oportet, vt medicamenta refrigerentur, non tamen in capite.

Medicamẽta pro imbuendis linteolis.

De Medicamentis impedientibus ne caro nimis creſcat, vt etiam de iam adnatam & ſuperfluam auferentibus. CAP. XIX.

Quibus de cauſis caro nimis creſcat.

Quomodo retrahatur ſanguis à toto & parte.

Medicamẽta carnem ſuperfluam auferentia.

QValia debeant eſſe ſarcotica & quæ cum ſimplicia, tum compoſita, recenſuimus, ſed quoniam vel ex horum nimio vſu, vel ex alia aliqua cauſa caro ipſa interdum nimis creſcit & augetur in vulnere, quod ſæpe euenit præter ſpem, vnde turpes poſtmodum fiãt ac remaneant cicatrices. Hoc autem fit, vel quia nimis abundat ſanguis in corpore, vel quia nimis fluit ad locum, vel quia pars ſit nimis calefacta; ideo vel detrahendus eſt ſanguis à corpore toto, vel retrahendus eſt à parte, vel ipſa pars refrigeranda venit: hoc autem poteſt fieri per frictiones, per vincula, vel pannis frigidis impoſitis. Et ſi hæc non iuuant, ſignum eſt, quod pars nimis auida ſit ad carnis generationem, vnde tunc comminuenda eſt caro vel ſecando ipſam vel fricando cum panno aſpero, ita vt effluat multum ſanguinis. Quandoq; vero vtendum eſt medicamentis auferentibus carnem, moderate tamen, ne excitent dolorem: vnde primum vtendum eſt linamento ſicco.

Si vero hoc non ſufficiat, accipiatur alumen rochæ combuſtum, quod maxime familiare eſt omnibus; Tertio eſt empiaſtrum Iſidis; Quarto habemus ſalem nitrum exuſtum, quo inſpergimus carnem auctam. Quinto vtimur vnguento apoſtol. Sexto Vnguento Damaſceno viridi, quod fit ex ſarcotico refino appellato, addendo florem æris, donec fiat viride medicamentum. Solemus etiam vti præcipitato & ſquama æris ſed copioſa, & aliquando ęrugine æris lota. Ego autem peculiare habeo medicamẽtum hoc in habitu robuſtiori ſecundum hanc formam compoſitum;

℞ vngu. ægyptiaci
ol.roſ.complet.

ceræ luteæ ana ℥ß. Misce ad ignẽ & fiat medicamentũ, quod exedit carnem fine vllo dolore, & est præstantissimum medicamentum pro adæquanda carne supercrescente. Si vero hæc non sufficiant, recurrendum est ad ea, quæ tractantur & à me tradita sunt in tractatu de vlceribus, vbi ex professo locuti sumus de vlceribus cum carne supercrescente; ad illa itaque confugiatis optima, quando hæc pauca supra dicta non sufficiunt ad auferendã carnem excrescentem nimis atq; superfluam. de hoc enim nihil amplius hic dicam.

De Modo inducendæ cicatricis super vulnus. Cap. XX.

Precepta circa cicatricem inducendam.

CVm autem repletum fuerit vulnus carne, obducendum est cicatrice. Sed notandum est, quod caro illa, quę continetur in vulneribus, non debet esse absolute æqualis cuti, sed parum excedere, quia dum postea siccatur, fit æqualis.

Cicatrix quid sit.

Secundo notandum est, quò vbi pars aliqua ossis vulneratur & periit, remanere solet cicatrix caua atque admodũ turpis: vt hoc igitur euitetur, non est statim veniendum, quãuis caro illa promineat, ad inducendam cicatricem, sed prius est constipanda & conspissanda caro illa ne fiat cicatrix caua. Hoc autem constituto obducenda est cicatrix, quæ est quid callosum & durum tegens vulnus, quod inducitur loco cutis deperditæ, quæ etiam, licet improprie, quandoque vocata est cutis à Galeno lib. 5. de simpl. med. fac. c. 16. Fit autem cicatrix ex carne vel ex materia carnea conspissata; sicut caro fit ex sanguine conspissato.

Cicatricis materia.

Causa efficiens.

Causa autem efficiens cicatricis sunt tantum medicamenta imposita à Medico, quæ cicatrizantia & ἐπουλωτικὰ à Græcis dicuntur ex lib. 3. meth. capit. 5. Notandum est tamen, quod ego dissentio à Galeno, quoniam non sentio ego; quod medicamenta tantum sint causa efficiens cicatricis, cum vulnera magna brutorum sanentur & obducantur cicatrice absque medicamentis, vt & quandoque in hominibus.

An cicatrix fiat tantum a medicamento.

Nec est dicendum, quod aer ambiens sit causa efficiens, quoniam in eo non est tanta vis siccandi; præterea in pueris vlcera manantia & præcipue in capite sanantur & obducuntur cicatrice absq; medicamentis. Præterea qui sanant vulnera cum aqua & oleo, obducunt ipsa cicatrice, & tamen cicatrix non fit ab aqua nec ab oleo, ergo dicendum est cicatricem fieri non à medicamento solo sed etiam à natura; Præterea qui imponunt epulotica, illa copiosiora imponunt in medio vulneris, quam à lateribus vulneris; & tamen cicatrix prius fit & fieri incipit à lateribus vulneris quam in eius medio. Ideo dico ego, quod causa efficiens cicatricis est natura, id est, facultas cutis: nam cicatrix non est solum caro siccata, sed est similis cuti, at medicamẽtum potest quidem siccare carnem, sed non potest eam facere similem cuti, quod facit natura & potest facere.

Epulotica qualia esse debeant.

Cum autẽ medicamenta cicatricem inducentia sint siccantia, & cum sit caro siccanda non solum ab humiditate extranea, sed etiã ab insita humiditate, ideo requiritur vt medicamenta hæc sint valde siccantia, imo multo magis siccantia quam medicamenta agglutinatoria. Sed quoniam si flueret sanguis copiosus ad locum, gigneretur caro, ideo opus est, vt medicamenta ista sint etiam adstringentia ne sinant sanguinem fluere, quia non est amplius opus carne: gradus autem adstrictionis percipitur gustu; siccitatis autem gradus sit in tertio intenso, qui tamen non debet esse in omnibus habitibus talis: nam in mollioribus corporibus Epulotica sicca esse debent in secundo gradu, ex quibus colligitur quod medicamenta agglutinatoria valida sunt, epulotica leuia pro mollioribus corporibus, pro durioribus autem sint sicca in tertio gradu intenso cum adstrictione.

Epulotica quem gradum siccitatis requirant.

Notandum est tamen, ne medicamenta ista sint acria ac mordacia; & si sint talia, remoueatur illa mordacitas vel abluendo vel coquendo, ne carnem absumant. Epulotica autem cum distinguantur in tres classes, in prima continentur Aloe, cortex thuris, cortex pini, cyperi radix, cadmia optime lota, quæ thutia Alexandrina vocatur, plumbum vstum & lotum, cinis ostrearum combustus & lotus; & his primi ordinis vtimur in mollioribus. Secunda classis continet gallas immaturas, malicorium, balaustia, citria, sumach, myrobalanos citrinos, myrtillos, sanguinem draconis in lachryma, terram sigillatam, rubricam sinopicam, quæ est bolus orientalis, rubricam fabrilem, quæ est bolus armena. In tertia classe est æs vstum præparatum, squama æris præparata, mysi, sory, chalcanthum, alumen scissile, & similia potissima epulotica. Notandum est autẽ, quod Aetius libr. 14. cap. 37. dicit, quod Mysi, chalcitis & alumen sunt potentia epulotica, æs vero adustum est adhuc potentius, squama vero æris est potentissima: Galenus autem viceuersa libro tertio method. capitulo quinto dicit, quod potens est squama, potentius æs vstum, potentissima autem chalcitis & mysi, quare est manifestissima contradictio, quam ego

Contradictio inter Galenum & Aetium.

reuera

reuera nescio aliter soluere, quoniam codicem græcum Aetii videre non potui, nisi dicamus, Galenum loqui de vehementia medicamenti in erodendo non autem de potentia inducendi cicatricem & de præstantia eorum. Aetium vero è conuerso loqui de præstantia ac dignitate in inducenda cicatrice: & si hæc solutio vobis non placet, fateor me nescire contradictionem hanc alio modo neque ratione tollere. Habentur præterea in officinis composita epulotica trium generum, in primo quorum pro mollioribus est vnguentum deminio, ceratum de minio, diapompholigos primum Aetii lib.15.c.36.vel 37. In secundo ordine est diapalma, diapompholigos Oribasii, & vnguentum de thutia magistrale. cuius compositio hæc est. *Solutio.* *Epulotica composita triplicia.*

℞ ol.rosf.compl.
omphac.an.℥vj
mirthini
vnguent.populeon.an.℥iij
fol.plantag.
solani hortens. an. M. ij. Incidantur minutim folia ista virentia & misceantur cum prædictis oleis per octo dies & quotidie agitentur, postea coletur & exprimatur oleum, quod ponatur deinde ad ignem & addantur ceræ albæ ℥iiij, postea auferatur ab igne, & cum cœperit tepescere, misceantur pulueris lithargyri auri ℥vj. *Vnguentū de thutia magistrale.*
thutiæ Alexandr. præparat.ʒij
ceruss.℥j
plum.rubei vsti ʒvj
camphor.ʒj. simul hæc misceantur & collocentur in mortario plūbeo, & deducantur per duas horas, quoniam si sic fiat & agitetur, erit optimum medicamentum secundi generis.

In tertio autem genere est ceratum de bolo armena, vngu. de thutia magistrale addita squama æris vel ære vsto, ita vt singula vncia vnguenti habeat ʒß vel squamæ vel æris. Aetius præterea lib.14.c.38 & 39 infinita itidem Epulotica & pulueres describit. Ego autē duos habeo (pulueres) familiarissimos ad inducendam cicatricē, quorum alter est squama ferri bene lota & optime emollita, alter vero squama æris bene lota & optime siccata, quæ sunt tenuiter inspergenda. Vtor etiam quandoq; præcipitato, sed in minima quantitate, imo etiam hoc quandoque ablutionibus tentaui accipiens illa simplicia primi, secundi vel tertii ordinis, & decoquens in vino austero vel acerbo, quando validius optabam medicamentum, & cum illo decocto continue fouebam locum, & his quandoq; cicatricem inducebam etiam in vulneribus rebellibus. *Epulotica propria.*

De Curatione symptomatum, quæ superuenire solent vulneribus, & de eorum præcautione. CAP. XXI.

VLtimum caput in sanandis vulneribus erat, quomodo impedirentur symptomata, ne superuenirent, & si euenirent, quomodo tollerentur. Inter symptomata autem hæc solent præcipue superuenire, conuulsio, paralysis, defectus animi, febris, liuor, durities & ariditas vulnerum, quæ cruditatis nomine continentur; præterea dolor, inflammatio, q̄ frequēter aduenit Erysipelas, œdema, gāgræna, & malæ carnis generatio, vltimo omnis intēperies. Inter hæc autē de conuulsione vt & de paralysi hoc in loco non est tractandū, quoniam de his tractabimus postea ex professo in interpretatione libri Hippocratis de vulneribus capitis, quam aggreditur post horum vulnerum vniuersalium curationē. Quare nūc agendum est de animi defectu, qui λειποθυμία à Galeno vocatur & λειποψυχία in libro primo ad Glauc. cap.14 & lib. 14. meth. cap.5. est autem animi defectus spirituum animalium resolutio momentanea, vel corruptio in propria substantia ab habitu quodā venenoso, ad quam resolutionem vel corruptionem sequitur vt calor & reliqui spiritus concentrentur & sic pereunt sensus exteriores. *Defectus animi quid.* *Defectus animi causa.*

Hæc autem symptomata solent accidere multis de causis ex lib.12. meth. cap.5. vt ex maximo mœrore, ex tristitia infirmi, secundo ex maxima sanguinis fluxione, tertio ex resolutione facta spirituum & diminutione, quarto ex mala aliqua & venenata qualitate impressa in armis & communicata ipsi vulneri; vltimo fieri potest ratione vehemētissimi doloris. Probus itaque atque peritus Medicus hæc duo ante oculos habere debet, vt scil. impediat deliquiū animi, ne superueniat in vulneribus, si fieri potest; aut si superuenerit, statim sciat ipsum remouere ac tollere. Præcauebit autem deliquiū animi, si statim, cum viderit ægrum, seueriori facie ac læto animo nullum esse malum ac nullius momenti pronuncia- *Qua arte animi defectus præcaueri possit.*

bit, ne æger mœrore afficiatur, semper dicendo vulnera aduersarii esse magna vel saltem suis maiora sine tamen periculo mortis, ne æger mœrore afficiatur timens iustitiam ex morte inimici. Secundo quando aduocatur Medicus ad magni vulneris medelam, statim manum admoneat vulneri, comprimens ne sanguis egrediatur; inuestigando an vulnus profundum sit nec ne, deinde inspiciendo faciem ægri, an abundet sanguine, pulsum tangendo, vt vim virium cognoscat, atque interrogando an plurimus sanguis effluxerit: si enim abundet sanguine, & paucus effluxerit, sinat Medicus adhuc fluere, si secus, statim sistatur. Præterea interroget ægrū, an diutius dimicauerit, & sit labore consumptus: si enim hoc fuerit, non est statim deueniendum ad suturam & deligationem, sed manu sanguis est supprimendus & offa vino intincta danda est, permittendo vt aliquantisper bibat vt vires reficiantur. Præterea iubere debet Medicus, vt æger semper decumbat, nunquam autem rectus maneat, neque sedeat neque ipsum vulnus respiciat. Præterea si dubium sit de veneno in vulnere statim curandum est, vt fugatur venenum ex vulnere, mandando vt ille, qui vult fugere, primo mandat rutam cum sale & caricis, deinde bibat potentissimum vinum; postea colluat os cum oleo, & fugat deinde totum illum sanguinem ex vulnere.

Præcepta obseruanda in prima visitatione.

Situs ægri pro cauendo deliquio animi.

Præseruatio sugentis venenum ex vulnere.

Si autem nullus hoc velit facere, apponatur cucurbitula parti læsæ. Quarto si maximus vrgeat dolor, recurrendum est ad sedantia dolorem, de quibus infra. Et hæc quoad præseruationem seu præcautionem à deliquio animi. Si autem superuenerit deliquium animi, reuocandi sunt sensus exteriores per compressiones, per deligationes artuum, per puncturas, per vstiones per immensas caliditates, & per refrigerationes ac etiam distorsiones.

Defectus animi curatio.

Vti autem solet omnis practicantium turba communiter aqua frigida in faciem proiecta; hoc enim optimum est & tutum remedium intorquendo digitos, moderate tamen. Solemus præterea ligare artus & præcipue digitos minimos vinculis robustissimis; in quo tamen obseruandum est, quod, si vulnus sit in partibus superioribus existente deliquio animi ligentur partes inferiores; si vero in inferioribus, superiores. Secundo quoniam in deliquio animi solet fieri magnus feruor circa thoracem, ideo oportet, vt etiam arteriæ libere possint aerem frigidiorem attrahere, quare dissoluantur ægri ac liberentur à vestibus & maxime circa pectus, situentur etiam in aere frigidiore, vt partes internæ refrigerentur: semper enim ducendi sunt ægri in aere frigidiori nisi sint. Addatis vltimo quod aliquando in deliquio animi iuuamus ęgros per restitutionem spirituum. Restituuntur autem cum odoratis, quæ potius sunt frigida quam calida naribus oppositis, semper tamen acetum etiā admiscendo, vt melius possint ferri odores ad cerebrum; quod faciebat Galenus præsertim in deliquio animi ex mœrore, sed hoc etiam potest fieri in deliquio animi ex venenosa qualitate. Si autem videatis ægrum eructare, & persentiatis in eructatione malum odorem, sciatis illud animi deliquium prouenire ex materia corrupta in ventriculo & eius vitio: ideo tunc monet Galenus, vt pennam aceto intinctam in os iniiciamus ad excitandum vomitum, & hoc præcipue accidit in vulneribus capitis; quia ventriculus per cōsensum patitur & sic liberatur. De febre autem cum hic non sit proprius tractationis febris locus, nihil dico.

Spiritus restaurantia.

De Cruditate Vulnerum. CAP. XXII.

POst præcautionem atq; symptomatum, vulneribus accidentium, curationem sequitur vt dicamus de cruditate eueniente in ipsis vulneribus: circa quas ideo dicimus; quod crudum vulnus hac ratione cognoscemus, quia erit vulnus liuidum vel nigrum, vel ariditatem & duritiem insignem in ipso vulnere percipietis. Crudescunt autem vulnera, aut quia vna cum corpore vulnerante affuerit vis contundens, aut ratione frigiditatis ambientis, aut ratione impositi medicamenti, vt ex bolo Armena, aut ratione aquæ frigidæ, quam aliqui imponunt, aut ob nimiam compressionem & vulneris constrictionem. Quoties ergo vulnus erit crudum, statim veniendum est ad concoquentia medicamenta, inter quæ primum locum habet digestiuum commune, quod constat ex terebinthina, luteo oui & ol. ros. vel ol. amygd. dulc. vel chamæmelino & masthichino.

Signa.

Causa cur vulnera crudescant.

Curatio.

Digestiua concoquentia.

Si vero validiori opus sit concoquente, si hæc non adsint, accipiatur oleum commune & cera & vitellum oui vel butyrum admisceatis cum vitello oui, vel vtamini tetrapharmaco Pauli ex lib. 7. & ex Celsi lib. 5. sed addendo parum olei amygd. dulc. Possumus etiam vti tetrapharmaco Celsi, si volumus cito concoquere, quod etiam in forma emplastri supra locum imponemus. Materia autem concoquentium Emplastrorum erit maluarum folia,

Materia emplastrorum concoquentium.

folia, altheæ radices, medulla panis cum oleo & axungia Emplastrum faciendo & imponendo super vulnus. Notandum est autem ne hæc imponantur super vulnus ita vt ipsum his expleatur, sed circum circa ponantur, vel imponatis diachylon simplex vel emplastrum mollitiuum, vel diachylon magnum, vel diachylum cum gummis, quæ omnia habentur in officinis & optima sunt, & ita procedatis, donec videatis mundari vulnus, ita vt incipiat esse vulnus rubrum & purum. Notandum est autem, quod cum ista applicantur in medio linteolo. sit foramen factũ, quod aptetur super vulnus, vt continue possit exire pus concoctum.

Præceptum circa concoquentium impositionem.

De Dolore vulnerum, de inflammatione, Erysipelate, intemperie qualitatum, ædemate atq; de nimio sanguinis fluxu. CAP. XXIII.

CVm autem frequenter superueniat vulneribus dolor & maxima incommoda producat, qui dolor fit vel ab aliqua intemperie excedente vel à solutione continui vel ab aliqua qualitate venenosa, vel ab aliquo corpore infixo vulneri, q; fit ex toto præter naturam. Si autẽ dolor fiat ab intemperie, vt vel à frigiditate vel à caliditate nimia, per fomenta opposita curari debet: vnde si ex nimia frigiditate proueniat, sanabitur eum fomento ex vino dulci, in quo decoctum sit cuminum, semina anisorum & similia calida: vel fouebimus oleo lil. alb. vel chamęmel. vel anethino. Si autem dolor fit ab intemperie calida, fouebimus locum cum decocto rosarum, nenupharis, violarum, vel cum aqua rosarum, plãtaginis, violarum, solatri & huiusmodi frigidis.

Doloris causa. Curatio.

Si autem dolor fiat ratione fibularum nimium stringentium & soluentium continuum, statim secandæ & auferendæ sunt fibulæ, & fouendus locus puro linteolo duplicato & calefacto. Si autem dolor fiat ex qualitate venenosa, sugendum est venenum, vt supra docuimus, vel applicanda cucurbitula, ac alia facienda, quæ alias à nobis docta atque dicta fuere. Si autem sanguis fluens ad locum soluendo continuum faciat dolorem, statim est secanda vena, vt subtrahatur copia sanguinis fluentis. Si autem aliquid impediat sectionem venæ, exhibendum est pharmacum pro ratione humoris peccantis, quo facto fouendus est locus oleo rosato omphacino, in quo sint cocti vermes terrestres. At si ex his non cessat dolor, veniendum est ad frigidiora medicamenta, vt ad oleum nenuphari vel papau. cum aliqua portiuncula Opij, addito tamen castoreo, vt opium facile penetret. vel vrgente necessitate ad medicamenta opiata deueniatis, de quibus alias etiam tractauimus. Aliqui tamen accipiunt folia hyoscyami albi viridia & folia solatri itidem viridia facientes fasciculum, & coquunt sub prunis, postea contundunt & faciunt emplastrum, quod imponunt satis feliciter. vel accipiunt panem, lac & folia prædicta facientes Emplastrum & imponentes, quod quidem optimum est remedium & omnia superat.

Vsus opiatorum.

Si autem superueniat inflammatio, impedienda est materiæ fluxio per venam sectam & exhibitum pharmacum, & repellenda est materia emplastro aliquo, vt hoc facto ex pane, lacte, farina hordei aqua & oleo rosato. Si autem hæc non sufficiant, possumus vti cum Hippocrate lenticula palustri cocta in vino & addito oleo rosato in forma emplastri: si vero non possumus habere lenticulam, accipiatur auricula muris & coquatur in vino & addito oleo ros. fiat empl. vel accipiantur folia rubi canini & coquantur & cum ol. ros. empl. vel accipiantur folia verbasci syluestris contusa & cruda imponantur: vel folia taifolii contusa & cruda imposita: vel folia maluarum vel altheæ, vel simul mixta & emplastri modo imposita, quoniam optima sunt & magis repellunt ex Hippocratis præcepto.

Inflammationis curatio.

Si autem superuenerit Erysipelas, primum imponatis hoc medicamentum in vulnere accipiendo terebinthinã decies lotam aqua solatri & admiscendo farinam hordei & oui luteum. Quod si vultis magis refrigerare, loco aquæ solatri accipiatur aqua lactucæ vel aqua papau. postea inungetis circũcirca oleo nenupharino, confecto ex oleo loto: vel accipietis oleum violarum ablutum, quo inungetis circumcirca vulnus expletũ cum illo medicamento supra dicto, postea imponetis folia lactucæ.

Erysipelatis curatio.

Abluitur autem hoc modo oleum accipiendo pro vnaquaque vncia olei duas vncias aquæ & in phiala vel mortario optime simul concutiantur, quo vsque medicamentum acquirat spissitudinem butyri, quo deinde circumcirca illinatur locus, vt dictum est. Postea imponantur folia vel solatri vel nenupharis: vel vtamini aqua lactucæ vel solatri, vel cum succo etiam ea imponatis: vel accipiantur folia solatri, violarum, nenupharis, plantaginis & glasti & contusa imponantur in modum Emplastri.

Quomodo abluantur olea.

Emplastra varia pro Erysipelate.

Ego autem quando opus erat, accipiebam farinam hordei, medullam panis, folia malu arum & solatri & oleum rosatum & aquam faciens emplastrum quod præstantissimum erat. In rebellibus vero Erysipelatibus procedebam cum iis, quæ iam fuere à me proposita in tractatione ex professo de Erysipelate, ad quæ recurrere poteritis supra dictis non iuuantibus.

Curatio Erysipelatis rebellis.

Curatio intemperaturarum.

Si autem aderit intemperies calida impediens sanitatem vulneris, vtemini iisdē, quæ dicta sunt in Erysipelate. Si autem adsit intemperies frigida, vtemini fusco Nicolai, vel vng. de matrisylua dissoluto cum oleo laurino vel costino vel de castorio: vel fouebitis locum oleo irino completo vel ol. lil. completo. Ita etiamsi aderit intemperies sicca, foueatur locus hydrelæo, id est, aqua cum ol. amygd. dulc. vel communi linteolis madidis, vel conseruetur pars super fumum hydrleęi, postea accipiatur emplastrum vel ceratum amygdalinum factum ex ol. amygd. dulc. & cera lutea, & imponatur. Si autem superuenerit œdema, imponatis spongiam salsuginosam madefactam in posca & expressam. Si autem fuerit nimius fluxus sanguinis, qui periculosissimus est, neque solet superuenire nisi in magnis venis & arteriis vulneratis, quia in exiguis vasis vulneratis sat est album oui cum luteo. Et ideo cum requirat hoc maximam diligentiam de eo tractabimus in eo loco in quo agemus de vulnerib. venarū & arteriarum. Nam hoc symptoma de fluxu sanguinis est diligentissime tractandum, quia maxime agitat Medicos, & maxima affert infirmis incōmoda. Et hęc de vulneribus in vniuersali satis sint. sequitur modo vt tractemus de vulneribus particularibus, vnde primo verba faciam de vulneribus capitis, pro quibus optime perfecteque curandis librum pulcherrimum Hippocratis de vulneribus capitis inscriptum interpretandum accipiam.

Ceratum amygdalinū.
De œdemate.
De nimio sanguinis fluxu.

Huius libri Hippocr. tractatus & expositio in tomum primum ab autore Falloppio relata est, quam benignus lector fol. eiusdē tomi 545. quærere ac suo perlegere placito potest. nihil enim ab eo postmodum immutatum est, nisi quod eiusdem libri caput 28. quod pagina huius postremę editionis. 574. continet, à linea capitis octaua ad finem vsq; his verbis reddiderit & auxerit.

Secunda secta est Medicorum quorundam, qui possunt dici de secta Magistri Grilli, qui circa partem affectam nihil imponentes cum vulnera tum vlcera etiam curant potionibus & pulmentis quibusdam secretis & plurimos sanant, inter quos potissimum est gens Hebræorum, qui nolunt docere nec reuelare huiusmodi secreta medicamēta, & potiones quidem nobiles. attamen aliquando deteguntur, vnde vna est compositio potionis cuiusdam, quæ ad manus mihi hæc admodum perquirenti peruenit, qua tamen vos consulo, vt vtamini in fistulis, quæ fiunt in thorace, in iis enim quam maxime laudo hanc potionem, quam exhibendam volunt matutina hora singulis diebus, & supra vulnus nihil aliud aiunt imponi debere q̄ folium brassicæ; sed quoniā hæc non sum ausus vnquā experiri in capitis vulneribus, sed tantum in aliis, eas ideo potiones non admodum laudo nisi in fistulis dictis, in quibus sæpe præbui feliciter. compositio autem potionis siue decocti talis est.

℞ rad. altheæ
fol. millefol.
marub.
artemis.
lapatii
caulium rub.
pimpinell.
cimar. rubi
rad. rub. tinctor. cum foliis
aristol. rot. cum fol.
fol. fragrar.
matricar.
centaur. min. ac maior.
matrisylu.
bethonic.
saluiæ
rad. charyoph. an. M. ß.
thur. mascul. ℥ß
sarcocollæ ʒj
sem. plantag.
anisor.
fœnic.

canna-

cannabis an. ℥ß.
croci
rhabarb.
rhapontic.
centaur. maior. an. ʒj. incidantur herbæ optime & contundenda contundantur, tandem stent in infusione vini per 24. horas, postea bulliant ad consumptionem tertiæ partis, tandem colentur, & colaturæ addatur mellis ℔ iiij.

Iterum bulliant ad mellis consumptionẽ, facta despumatione imponantur pulueres thuris, croci cum sarcocolla, bulliant modice, tandem remoueatur ab igne & vsui seruetur; huius autem decocti dosis erit singulis horis matutinis ℥ v. & exhibeatur. Dicunt isti quod faciat ad siccationem & expulsionem ossium, si adsunt aliqua corrupta, & etiam ad generationem carnis & ad alia; quæ promittunt. Multa quidem hoc medicamentum agit, sed tardè & cum periculo etiam, quod non possit impedire inflammationem, hoc tamen vti poteritis, in fistulis rebellibus: quoniam succedit feliciter; & ego inquam exhibui cum laude quam maxima, nunquam tamen vsus sum in vulnere capitis, & præcipue cum isti nolint, quod aliud ponatur, nisi folium caulis.

Tertia secta est Empyricorum, qui non deueniunt ad exhibitionem pharmacorum neque potionum nec victum instituunt, sed tantum quædam ad vulnus imponunt medicamẽta optima, exquisita, & preciosa, quæ infunduntur vulneribus. Et ego quoq; his aliquando sum vsus felici cum successu, ac plurimi chirurgi his vsi sunt, & fuit Iuuenalis ille quẽ secutus est Ioannes Baptista Romanus ambulo siue Ceretanus, curauitq; quamplurimos, ac est lucratus plurimum, & eo medicamento vtebatur ad omne genus morbi, sed miscebat varia, vt videretur theriaca antiquorum, & ipsum vocabat elixir, quo vtebatur præcipue in vulneribus capitis, & nihil curabat de victu, madefaciens hoc medicamento vulnus, & deinde inspergebat pulueres superius. Et hoc ego attestor medicamentum magnas habere vires: nam primis annis vsus sum eodem felici cum successu. medicamentum est magnum & maxima paratur impensa hoc modo:

Elyxir, medicamentũ precio sum ad multos morbos.

℞. chariophyll.
bacc. iuniperi
nuc. musch.
Zinzib.
cortic. citon.
arantior.
pip. long. nigri
fl. saluiæ
basilici
rorismar.
maior.
rad. gentian.
menth.
puleg.
bacc. laur.
fl. calaminth.
sambuc.
ros. rub.
spic. nardi
cubebat.
ligni aloes
cardam.
calam. arom.
capitum aridiadis
chamædr.
chamæpyt.
mannæ thuris
aloes hepatic.
sem. aneth.
artemis.
—moschi
—ambr. an. ℥ß.

Hæc simul mixta, scilicet arida cum aridis tunduntur, & fit puluis, deinde pingula ac mollia miscētur cum reliquis: tandem addito melle & saccharo, quantum ad incorporandum satis sit, conseruantur per octo aut decem dies in vase vitreo vt fermententur: facta fermentatione addunt aquæ vitæ ℔xxiiij. atque omnia simul diligentissime miscent, & quoniam talis massa est satis ampla & per alembicum est extrahenda aqua, ideo massa debet diuidi in duas vel tres partes, tandem prius vna pars elembicatur in balneo Mariæ; dum autem incipit stillare, exit prima aqua substantia quasi pinguis ac aerea, & exit in maxima quantitate & hanc appellant elyxir: tandem ex eadem massa egreditur liquor aquosus, crassus & albus, qui appellatur phlegma, nec ipso vtuntur in vulneribus, sed ad lentigines ac cutis denigrationem factam à sole & ad dealbandam faciem mulierum nihil præstantius inueniri potest: præterea habet preciosum odorem, quo multum valet: vltimo in alembici fundo remanet quid limosum, quod lutum vocatur, & ipsum exhibebat Iuuenalis ille pro theriaca pauperibus atque rusticis dicens & affirmans ad multos valere morbos. Vnde ex hac destillatione habemus tria medicamenta, lutum scilicet, quo pro theriaca vtuntur; phlegma, quod valet ad dealbandam faciem mulierum: & elyxir, quo curantur vulnera. Hoc autem elyxir, quod matrem balsami vocant, fit hoc modo:

Mater balsami.

℞. terebinth. opt.
thuris albi.
ligni aloes an. ℥ iiij.
mastic.
caryophyll.
galang.
cinnam.
nuc. musc.
cubebar.
gumm. hederæ an. ℔ j. Hæc simul omnia terantur, & cribrentur, quæ possunt cribrari, deinde imponantur in vas vitreum & fermentur in aliquo calido per septem vel octo dies, deinde ponantur ad ignem & destillentur in calidis cineribus, donec tota humiditas exeat. Non autem potest hoc in balneo Mariæ destillari, sed in cineribus, quia terebinthina & gummi hederæ non extrahuntur per balneum Mariæ, nisi cum maxima difficultate, & sic hęc humiditas, quæ stillabit, vocatur mater balsami, deinde ex hac aqua & elyxir prædicto faciunt medicamentum hoc modo. Cōmiscent elyxir cum matre balsami & imponunt in alembicum, tandem alembicant & colligunt liquores egredientes, inter quos primus est mater balsami dicta, supra quam natat oleum, quod dicunt oleum balsami, postea extrahitur balsamum dictum, deinde in fundo remanent fæces crassiores post oleum balsami & aquam: & sic colliguntur quatuor, primum est aqua, supra quam natat oleum, quod colligitur ex aqua, deinde adiuncto igne egreditur quoddam nigrum, quod appellatur balsamum: vltimo remanent fæces, quarum non est vsus. balsamum ad plurima validum est & præcipue ad ægritudines neruorum, & ad paralysin. Aqua vero est illa, quæ valet ad vulnera omnia, præcipue capitis: hac ergo vtuntur hoc modo: Sit aliquis vulneratus, quia habeat detectam membranam, & vulneratum non tantum sit os, sed etiam si (vulnerata sit) ipsa membrana, primo volunt vt deradatur caput, deinde aperiunt vulnus manibus solum, nam nec igne nec ferro vtuntur & infundunt hanc aquam copiose in vulnus, deinde inspergunt puluerem, quem dicam, tandem supponūt linteolum madefactum hac aqua, & iterum inspergunt puluerem, rursus aliud linteolum madefactum hac eadem aqua, superponunt & ligant vulnus; deinde sic relinquunt vulnus vsq; ad tertium diem & illis duobus diebus, quibus non remouent medicamentum applicatum, madefaciunt linteola aqua illa & mundant gossipio, si aliquid sit commaculatum sanie. Quod si etiam oporteret dimouere medicamentum, vel quia pungeretur membrana, vel etiam aliud aliquid noxii adesset, illi non dimouent tamen, & dicunt, quod medicamentum omnia exprimit; instituunt autem victum ac exhibent bonum vinum, bonas carnes, bonos fructus & alia pro tempore, & quando medentur ægro, volunt vt sit aer temperatus, & æger ambulet, si possit; puluis vero, quem inspergunt, talis est:

Puluis inspergendus post matrem balsami.

℞ aloes ℔ j.
mannæ thuris
thur. albi an. ℥ iij.

Terantur hæc simul & f. puluis tenuissimus. Sed notandum, quod quando membrana est secta ac apparet cerebrum, & est periculum fluxus sanguinis, apponunt solum aloen cum

cum illa aqua: sed si hoc non fit, vtuntur integro puluere, & perficiunt curationem hanc maximo cum successu: & ego etiam vsus sum hoc modo medendi, tamen iam reliqui: improbi autem & impii improbant nostram artem dicentes, nos facere per plura, quod possit fieri vnico auxilio, vt fit per hoc medicamentum. Secundo dicunt, quod ipsorum medicamentum est siccans, ac potens ita, vt efficiat, quod sanies non gignatur in vulnere, & hoc verum est, & ipse experientia vidi, quando eo vsus sum, & isti ideo dicunt, quod non est timendum de partibus subiectis, imo dicunt etiam, si gigneretur sanies in profundo, est tanta vis medicamenti istius vt illam extrahat superius ex osse, & sic nullum est periculum à sanie si aliqua generatur sub osse, ideo dicunt nos stultos esse, qui facimus infinitas fracturas os terebrando: adducunt etiam ab analogia rationem dicentes, quod in fracturis costarum & fractura coxendicis non secatur caro, ne sanies descendat in abdomen: ergo neque in fractura capitis est id faciendum, quoniam facto hoc miseri patientes valde enecantur. Præterea dicunt esse præceptum Hippocratis, vt blande omnia tractemus, vos methodici exhibetis medicamenta, excoriatis caput, vbi fit maximus dolor: præterea deraditis os ac secatis & sic cruciatis ægrum; vt ergo omnia blande agamus, insequimur hanc nostram sententiam, hocque dicunt isti: ego tamen his non acquiesco: nam vti dicebam, vtebar in principio cum felici successu, tamen quia medicamẽtum non facit omnia, quæ pollicentur ipsi, ideo reliqui: & reuera si non sit os pungens membranam & sit dilatatum vulnus, ac non sit inflammatio, nihil hac præstantius esse affirmo: sed si adsit os pungens membranam, & adsit inflammatio, nec vulnus sit dilatatum, maxime nocet, & hæc fuit ratio potissima, cur ego ipsum dimiserim: in aliis quoque vulneribus non vtor, quia hæc compositio maxima impensa paratur, valet enim quinquaginta ducatis. Tertia causa, cur ipsum dimiserim est, quia aduocati physici vna ad curam, videbant medicamentum illud & damnabant me, quare vel ego dimittendus eram vel illi, & cum hoc esset graue, nolui amplius hoc medicamento vti.

Laudes matris balsami.

Quarta secta est Hippocratica & omniũ rationalium Medicorum, qui cum ratione procedunt in eorũ actionibus cũ experientia coniuncta: exhibent enim potiones, quãdo opus est, vtuntur aqua, aceto, oleo, emplastris & ad medicamenta opportuna ad venæ sectionẽ, confugiunt, quando expedit pharmaca exhibent, præparant, euacuant, & in summa omnia applicant, quando à ratione indicantur selecta ab iis omnibus sectis, ac si esset fasciculus florum selectorum: quoniam in hac secta, vt diximus præparantur humores, purgatur corpus per pharmaca electiue ducentia; subducitur venter per lenientia, per clysteres administratos, instituitur victus ratio, & circa locum affectum præter prouidentiam totius statim conspiciunt considerantes, cum os fractum esse cognouerunt, an vulnus latum sit, vt omnia necessaria conspici possint: nisi enim latum sit satis, aperiunt ac dilatant ipsum, vt omnia cognoscant necessaria ad curationem; & hæc est prima actio, quæ non semper conuenit; nam cum dilatamus, dilatamus os, & ideo est etiam secandum pericranium; vnde si dilatatum est, non amplius, dilatant & non faciunt, vt barbitonsores isti hominum lanii & anthropophagi, qui præcepta artis ignorantes, non necessitatem & rationem sed prauam voluntatem aut saltem ignorantiam sectantur sine distinctione aliqua. hinc est, quod nostri Medici chirurgos in collegio admittentes ipsosq; interrogantes proponunt ipsis vt plurimum casum aliquem in vulnere capitis curãdum, & ipse respondit, ego appono manum, & video si os detectum sit, nec ne; si non est detectum, coniectãs de eius læsione dilato, vt manibus possim vulnera in profundum contrectare, & ita in hoc differt Empiricus ab optimo Medico: quoniam opus est, vt diligẽtissime adhibeatur oculus, vt si non sit necessarium dilatare, non dilatetur, & si sic, secandum est ac dilatandum, vt detergatur os, ideo non tantum corium, sed pericranium etiam est separandum & non cutis saltem, vt faciunt inepti, qui postea delusi manent cum maxima vulneratorum iactura.

Quarta secta Hippocratica.

Quomodo tractandus sit locus affectus.

Pericraneum est ab osse separandum pro derasione.

FINIS VI. TRACTATVS.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI; DE VVLNERIBVS PARTICVLARIBVS A CAPITE AD INFRA VERSVS.

TOMI II. Tractatus VII.

De Oculorum vulneribus, & eorum diuisione, agglutinatione, sutura & tractatione post consutionem. CAP. I.

Cur vulnera oculorum sint sanatu adeo difficilia.


RACTATIONEM de vulneribus ita nobis volentibus absoluere ordine sic postulante ad oculorum vulnera deueniendum est, in quorum curatione eadem ratio, quæ difficultatem faciebat sanandorum vlcerum oculorum, eadem quoque facit difficultatem sanandorum vulnerum, quod variis de causis prouenit. Primo enim sunt difficillima sanatu oculorum vulnera propter loci nobilitatem ac subtilitatem, videlicet ratione præstantiæ ac nobilitatis ipsorum. Secundo ratione sensus exquisitissimi ipsis oculis inexistentis. Tertio ratione consensus, quem cum ipso cerebro habent ratione musculorum ipsorum: quoniam si quæ sunt partes, quæ habeant multos neruos, sunt ipsi musculi oculorum, cum ergo tot sint neruorum propagines in musculis oculorum, merito habent maximum consensum cum ipso cerebro. Quarta ratio, quæ facit difficultatem curandorum ipsorum vulnerum est fluxionis infestatio facilis: oculi enim facillime ac maxime fluxionibus infestantur, ratione quarum fluxionum non parum impeditur vulnerum consolidatio. Quinta ratio est motus ipse: oculi enim semper in motu existunt, qui motus non potest vllo pacto prohiberi, cum sit eis naturalis. Quoties ergo proponitur curandum vulnus oculorum, accedat Medicus timide tanquam ad vulnus magnum ac periculosum, pertractetque vulnus ipsum atque partem læsam mitissime vnguentisque mollissimis. Quod si hoc non faciet, multa praua symptomata superuenire poterunt, vt inflammationes, dolores, & etiam mors ipsa. Sed vt distincte procedamus, diuidere oportet vulnera oculorum ipsa. Horum ergo vulnerum tria sunt genera siue species, quorum primum est, quando vulnerantur & secantur palpebræ per transuersum, quod est vulnus oculi proprium: nam hic per oculum omnes partes oculo circumiacentes intelligimus, ipsumque cum continentiis, rum in ipso contenta. Secundum genus horum vulnerum est quando non solum palpebræ, sed etiam corpora ipsi oculo circumiacentia vulnerantur, vt musculi, membranæ, &c. Tertium genus horũ vulnerum est, quando bulbus ipse vulneratur, id est, quando vulnerantur ipsorum oculorum tunicæ, & hoc duobus modis accidere potest; primo quando vulnus in oculo existit vulneratis etiam prædictis partibus; secundo modo, quando oculus tantum vulneratur absque læsione partium adiacentium. Vnde hæc vltima species potest esse cum penetratione ad interna, ac etiam absque penetratione, sed agamus modo de prima specie. In omni autem palpebrarum vulnere hoc tantum agendum est, vt agglutinationem scilicet tentemus ipsam: quoniam & bene agglutinantur & statim; quod tamen videtur esse contra aphorismum Hippocratis ac Aristotelis opinionem, qui est vera simia Hippocratica: multa enim habet desumpta ex Hippocrate ipso: est autem aphorismus ille 19. sect. 6. ita dicens: cum discissum fuerit os aut cartilago aut neruus vel genæ particula tenuis vel præputium, neque augetur, neque coalescit, & ideo videtur, quod frustra debeamus tentare conglutinationem, tamen experientia nos toties docuit palpebras ipsas facillime agglutinari: ne ergo videamur nos Hippocrati contradicere, hanc opinionem & hoc obiectum sic soluemus dicentes, per agglutinationem duo intelligenda esse apud Hippocratem, quemadmodum etiam recentiores distinguunt in primam & secundam intentionem. Prima intentio agglutinandi recentiorum est, quam Græci σύμφυσιν [illegible] vocant, & est quando partes discissæ simul coniuntur. Secunda autem recentiorum agglutinandi intentio est quam Græci σάρκωσιν vocant, & est quando partes discissæ mediante carne succrescente vniuntur, & hæc à recentiorious incarnatio dicitur; de hac igitur secunda intentione intelligens Hippocrates

Diuisio vulnerum oculorum.

Dubiũ an palpebra vulnerata coalescat.

Agglutinatio est duplex.

tes dixit in aphorismo illo non fieri agglutinationem, videlicet per succrescentem carnem, & ita de labiis, de cartilaginibus, de neruis, de genis, & partibus huiusmodi dicẽdum est nõ agglutinari quoniam in huiusmodi partibus caro succrescere non potest: quoniam partes istæ non habent subiectum in quo, vel supra quod caro gigni possit, qua intermediante, partes discissæ vniantur.

Solutio.

Sed forte aliquis dicet, non agglutinantur nisi corpora humida; palpebræ autem sunt corpora sicca atque arida, & ideo non mirum, si difficillime incarnantur partes istæ; sed respondeo ego verum esse, quod sunt corpora sicciora respectu aliarum partium corporis, tamen iis non deest humiditas illa, quæ satisfaciat ad agglutinationem. Præterea experimento comprobauimus, quod agglutinantur. Nostra est itaque sententia, quod omnes corporis particulæ, sint quantumcunque voluerint siccæ, possint agglutinari per primam intentionem, præter ossa, de quibus suo loco dicemus, quoniam vt dixi partes istæ tantam humiditatem habent, vt agglutinari possint. Cutis enim, ligamenta & nerui agglutinantur, præcipue si recte possimus ipsas partes suere, & hoc manifeste patet in cute, quæ, quanquam sicca sit, agglutinatur tamen, vt clarum est in sectione venæ & appositione cucurbitularum scarificatarum; sic itaque etiam de aliis est dicendum partibus. Nos ergo in vulneribus palpebrarum semper agglutinationem tentabimus adhibita prius sutura vulneri ipsi, quæ licet sit diuerso modo ab autoribus proposita: eam tamen ego probo quam fibulas vel puncta vocamus, quæ fit hoc modo: traiicimus acum per vulnus ipsum, & traducto filo ligamus; iterum in alio loco idem facimus & toties, quoties opus erit; notãdum tamen est in hac sutura, quoniam summa diligentia fieri debet, & primo obseruandum est, vt partes discissæ bene iungantur, quod fiet, si labia vulneris recta simul linea coniungantur. Secundo optime aduertendum, ne oculum pungamus; sutura autem, de qua nunc locuti sumus, est sutura pellipariorum, id est, eorum, qui parant & consuunt pellicias, vt superius diximus, vbi de suturis ipsis & diuersis earum speciebus tractauimus.

Alia dubitatio.

Omnes partes coalescunt præter ossa.

Sutura conueniens in vulneribus palpebrarum.

Præcepta circa hanc suturam.

Notandum est præterea, quod materia, qua suimus, ad hoc apta sit; apta autem erunt maxime fila serícina. Acus deinde optima esset argentea, si fieri potest, vt facilius inflecti possit: vel si sit ex chalybe, sit ex co non temperato, vnde igniatur prius, vt modicum humectetur à sua friabilitate, vt facile flecti possit. Ego autem accipio acum Damascenum & inuoluo eius aciem petia aliqua madida aqua frigida, deinde candela accensa calefacio reliquum ipsius acus: nam per hanc calefactionem distemperatur acus relicta acie temperata, vt possit flecti & facilius perforare ipsam cutim. Facta sutura solemus statim infundere album oui bene conquassatum in ipsum oculum, in parte scilicet non sana, vt facilius internæ partes agglutinari possint: in exterioribus autem partibus apponere solemus ceratum barbarum & nihil aliud. Impositis medicamentis opus est, vt quiescat oculus & palpebra ipsa, quod hoc modo consequendum est; imponatur gossipium vel linteum multipliciter duplicatum, & ligetur fasciola aliqua, sed danda est opera, ne id, quod imponitur, incalescat, quare imbuatur linteum ac madefiat aliquo liquore, qui etiam ad agglutinationem faciat, vt esset vinum austerum, quod etiam inflammationem prohibet, deinde ligetur fascia; nam hoc modo procedendo agglutinatur pars per quatuor vel quinque dies ad summum, & hoc ipse sæpius expertus sum. Cum autem præteribit dies quarta vel quinta, & nos palpebras videbimus agglutinatas, tunc illa puncta suturæ abiiciemus & vulnus ad cicatricem perducemus.

Conditiones ipsius acus.

Modus præparandi acum, vt flecti possit.

De Secundo genere vulnerum oculis contingentium.

CAP. II.

Secundum genus vulnerum oculorum est, quando non solum palpebræ, sed insimul cum palpebris vulnerati sunt musculi ac partes circumiacentes, vt sunt supercilia, genæ, &c. In hoc itaque casu quid agendum? statim indicatur, vt sanguinem supprimamus, quo cohibito non est adhibenda sutura; quoniam non possumus per contusionem nisi cutim vnire, vnde imminent & fiunt abscessus plerumque cum in superficie tantum consuere possimus: est enim vel fit magna laxitas partium, in iis præsertim vulneribus, quæ sunt ita magna, vt pertingant ad orbitam oculi, Id est, concauitatem ipsam: vnde videtur, quod non debeamus suere, quia non assequimur agglutinationem nisi in superficie, & fiunt abscessus, neque possumus etiam vti in iisdem vulneribus deligatione, quoniam sicuti per ipsam suturam, ita etiam per deligationem fiunt ab-

Si palpebræ & musculi vulnerẽtur simul.

Dubium de cõsutione palpebrarũ vulneratarũ per transuersum.

Palpebra casus fit dupliciter.

sceſſus. Si ergo non adhibetur ſutura nec faſciæ ligentur, ſequitur quod fruſtra expectatur partium harum agglutinatio. Sed dicat aliquis, ſi caſu vulnus ſit per tranſuerſum in ſuperiori parte oculi, quod vulnus niſi ſuatur, cadet palpebra & efficiet difficultatem aperiendi oculum, quid igitur faciendum? Caſus autem palpebræ fit duobus modis; primo per ſe cadente ſupercilio ratione aggrauationis; contingit enim plerunque cum ſit vlcus vel vulnus in eodem ſupercilio & cum oſſe corrupto vel fracto & aliquis imperitus volens os extrahere, ſecat per tranſuerſum ſupercilium ipſum, quo facto cadet & palpebra ipſa, & ſuccedet difficultas aperiendi oculum. Secundo modo fit caſus palpebræ, quando ſcilicet palpebra cadit per accidens ratione muſculi vel reſoluti, vel reciſi: cum enim reſectus eſt muſculus vel reſolutus vel chorda ipſius, cum dubium eſt, quod palpebra cadet, cum non poſſit à muſculo ipſo adiuuari? Hoc ergo ſtante, maxime opus eſt chirurgi diligentia in adhibenda ſutura in his partibus: quoniam niſi agglutinabitur, cadet palpebra ac manebit oculus ſemper clauſus. Ego itaque in hoc caſu, ne hoc fiat, ſic procedo: ſemper enim primum conſuo ſuturam ſatis arctam adhibens, & vt etiam arctior ac breuior fiat conſutio, portiunculam palpebræ abſcindo, ratione cuius abſciſionis etiam fit tolerabilius pondus & ad agglutinationem aptius: quoniam ratione frontis fit aliqua eleuatio, quia palpebra reddita eſt breuior. Si vero non tollatur illa difficultas futuri abſceſſus, quia ſcilicet partes in profundo non agglutinentur, tunc opus erit hoc nos peragere per curam illam propoſitam à Galeno in methodo medendi: vnde recentiores imponunt linamentum ſiue tentam, vt egrediatur id, quod contentum eſt: ſic enim agit Galenus in vulneribus profundis, in quibus non ſperatur agglutinatio, tentando, vt pars tantum ſuperior agglutinetur: ſed aduertendum eſt, quod nunquam bene attollitur palpebra. Partis vero anterioris habenda eſt ratio, vt ſemper ſanies ibidem collecta egredi poſſit, quod ſi caſu fieret, vt conſutio requireretur, erit adhibenda multa conſutio, ad quam etiam multa ſequetur fluxio: tunc in eo caſu ego ſoleo relinquere locum, aut nouam & minus periculoſam facere ſectionem, per quam & medicamenta imponebam, & quicquid fluxerit, per eundem locum egrediebatur.

Ad prohibendum abſceſſum in oculo.

Qualia conueniant medicamẽta in vulneribus palpebrarum.

Si vero chorda muſculi non ſit diſſecta, non eſt tentanda conſutio: quoniam prorritaretur futurus abſceſſus & dolor quoque intolerabilis. Medicamenta autem, quæ his vulneribus conueniunt, ſunt illa, quæ habent vim digerendi, concoquendi, ſiccandi atque detergendi, & etiam dolorem mitigandi, quibus medicamentis procedendum eſt vſque ad ſeptimam diem, excepta tamen prima die, in qua imponimus album oui. Aduertendum tamen eſt, quod alia ratione in his vulneribus apponitur album oui, quam in reliquarum partium vulneribus: quoniam in aliis vulneribus relinquimus album oui ſemel applicitum ſtare per ſpatium viginti quatuor horarum, permittentes, vt exiccetur: at in vulneribus oculorum non eſt admittenda ipſius albi exiccatio; quoniam ſi permitteretur exiccari, humores attraherentur & fluxiones fierent, & hinc inflammationes atque dolores excruciantes maxime. Ne ergo hoc fiat, ſemper affundendum eſt aliquid ad humectationem faciens, ne ſtuppa exiccetur. ſic igitur facimus; impoſito albumine oui accipimus petiam duplicatam vel triplicatam, & hanc imbuimus vel aqua roſacea, vel vino auſtero & ſuperponimus albumini ipſi, ſed cum hac conditione, quod toties petia illa imbuatur & intingatur, quoties videbimus incipi exiccari, & albumine hoc cum hac petia madefacta aliquando ſic procedimus per duos dies, ſed vt plurimum per diem vnicum tantum. Tranſacta autem prima vel ſecunda die ordinamus medicamentum vires ſupra dictas habens, quod componatur ſecundum hanc formam:

Medicamentũ applicandum poſt primam vel ſecundam diem.

℞. ol. abietini ℥ß.
maſtich ℥j. vel econtra maſtich. ℥ß. & abietini ℥j.
croci grana quinque. Miſce pro medicamento imponendo poſt album oui: hoc enim concoquit, digerit ac dolorem lenit. Impoſito autem hoc medicamento ſupra vulnus, rurſus applicentur eadem, vt in vulnere palpebræ diximus, linamentum ſcilicet madidum vino auſtero. Tandem ſi opus ſit abſterſione, cum hoc admiſcemus mel roſatum, & cum tenta imponimus. Poſt mundificationem vero ſarcoticis vtendum eſt medicamentis, & vltimo cicatrizantibus. & hæc ſi non conſuatur palpebra. Si autem conſuatur palpebra, ſemper vti debemus cerato barbaro; Si vero non conſuimus, oleis eſt vtendum: & hæc de vulneribus palpebrarum.

De vulneribus bulbi oculi.

Si vero vulneretur bulbus oculi, quanquam hoc leuiſſimum ſit vulnus, attamen opus eſt maxima chirurgi diligentia, vt ſi ſcarificetur adnata vel etiam ipſa cornea & palpe-

palpebra quoque sit simul discissa, tunc peractis communioribus palpebra consuenda est, si vulnerata sit, deinde super oculum imponantur medicamenta, quæ habent vim siccandi, leniendi atque refrigerandi, vt est albumoui cum syeph albo sine opio, vel syeph cum opio si dolor adsit, vel commiscemus cum syeph de thure siue collyrio de thure, præterea gummi Arabicum: gummi etiam tragacanthæ dissolutum cum aqua rosa vel cum aqua ex albo oui commixta cum cremore facto ex radicibus consolidæ maioris: nam ista omnia faciunt ad consolidationem: & medicamenta hæc siue vnum aliquod ex iis pro necessitate electum quater & quinquies in die infundantur in oculũ per duos dies vel quatuor etiam, & deinde claudatur oculus, postea imponatur illud, quod prohibeat inflammationem.

Medicamenta facientia ad consolidationẽ.

Notandum est tamen, quod plerunque accidit, quod si vulneretur oculus cum palpebra simul & cum ipsa coniuncta, quod ob negligentiam Medici omnia simul conglutinentur, ita vt oculus cum palpebra concrescat, & sic impediatur motus ipsius oculi: quare aduertendum est, ne in consolidatione motus ipse impediatur. Ad euitandum ergo talem casum, danda erit opera, ne huiusmodi consolidatio fiat, quod iis rationibus effici potest. Primo sollicitandum est, vt æger quotidie oculum aperiat, & in partem oppositam voluere tentet & voluat, si potest. Quod si æger hoc primum per se efficere non potest, admoneatur, vt per se tentet obuolutionem oculi in partes varias, ipsumq; hinc inde voluat, & qualitercunque inspiciat: tertio si neutrum horum effici potest, tunc nos medicamentis oculi apertionem tentabimus, & deinde imponemus folium auri duplicatum super ipsum oculum sub palpebra, extensum tamen, ipsum scilicet aptando inter palpebram & oculum: hoc enim impedit consolidationem, neque enim timendum est aliquod impedimentum ac periculum ex auro, quoniam aurum siccat atque refrigerat, modice tamen; super palpebras autem ponatur barbarum, aut aliud quid simile agglutinans.

Ad prohibendam concretionem oculi in palpebra.

De tertio genere vulnerum oculorum difficilium ac perniciosorum. CAP. III.

TErtium genus vulnerum oculorum est, quando vulneratur & secatur bulbus ipsius oculi, ita tamen, vt humores oculorum vel membranæ ipsorum egrediantur, & hoc est vulnus difficile, periculosum atque pernitiosum: nam si perforetur vuea tunica, egreditur humor aqueus, quo egresso ex Galeni sententia in lib. de sympt. caus. necessario glaucoma expectare debemus, ac ipsius oculi cæcitatem, quamuis semper hoc non fiat: quoniam videmus aliquando miracula in natura ipsa, quinimo & autoritatem Galeni habemus in hoc casu, dum in libr. method. med. citat historiam de quodam puero è cuius oculi vulnere vidit egressam copiam & quantitatem magnam humoris aquei, non tamen subsecuta est cæcitas. Ego quoque in multis eiusmodi vulneribus vidi exempla & præcipue in quodam octuagenario, cui vi deposita fuit suffusio seu cataracta. dum autem acus exempta fuit ex oculo, magna copia humoris aquei effluxit, tamen tertio die vidimus nos oculum plenum ipso humore, neque quicquam mali passus est propter effluxum humorem illum, quo ad visionem scilicet, neq; etiam exiccantur partes sicuti pluries vidi & verum testor.

Si bulbus oculi ita vulneretur, vt humores exeant.

An egresso humore aqueo visus patiatur.

Si vero cornea sineretur scissa per spatium tantum aliquot horarum, fieret sine dubio periculum; tunc enim totus ipse humor efflueret, nec vnquã amplius regeneraretur, necessarioque obcæcaretur ipse oculus.

Si cornea vulneretur.

Fit autem in eiusmodi vulneribus magnum periculum, quando egreditur humor vitreus, vel tunica aliqua aut tunicæ, vt vuea, quæ facile elabitur, qua elapsa sequitur cæcitas. In omni ergo vulnere tertij generis oculorum semper periculum est cæcitatis: nam effluente humore crystallino & procidente vuea tunica semper sequitur cæcitas; effluente autem albugineo vel aqueo humore aliquando sequitur, vt patet ex historia Galeni supra allegata. Sed si cornea maneat aperta per duas tantum horas, non consolidaretur vlterius, & sic efflueret totus ille humor aqueus, & nunquam regeneraretur, quo facto necessario sequetur cæcitas. Si ergo egrediatur humor albugineus, & vulnus possit cito agglutinari, periculum non erit visus: reliquis vero humoribus defluentibus semper aut deprauabitur aut penitus corrumpetur visus ipse.

Si humor vitreus aut aliqua tunica egrediatur.

Si itaque vulnus oculorum erit penetrans in oculo & ita penetrans, vt egrediantur humores, ac tunicæ ipsorum oculorum, sciendum est, quod talia vulnera fiunt à diuersis causis, sed vt plurimum à causis exterius proueniunt; aliquando enim illata sunt à gladio, quandoque autem à vitro, modo à sagitta, ab arundine, à spina, à festuca & similibus in-

Causæ vulnerũ oculorum.

Si portio instrumenti ferientis sit in oculo.

strumentis, quæ quia facile rumpuntur ac franguntur, ideo mirum non est, si sæpe, imo sæpissime portiuncula aliqua ex his remanet in oculo ipso, & præcipue si à vitro factum sit vulnus. Primo ergo cum incipitur curatio talium vulnerum, videndum est, an aliquid relictum sit nec ne corporis ferientis, vt pars ferri, vitri, festucæ & similium; nam si relinquatur pars aliqua, auspicanda est cura ab extractione inhærentis, vnde videndum est primo, an res inhærens appareat nec ne: si enim apparet, volsella ipsam arripere debemus, ac extrahere: sit autem volsella apta & idonea ad arripiendum & etiam extrahendum: nam quoties infixum arripitur, & volsella tractui resistit, toties etiam noua faciet vulnera: aptetur ergo optime volsella, vt bene arripiat ac facile extrahat. Præterea notandum, quod extrema volsellæ non secent, ne sua acie noua efficiat vulnera, & intro magis ingrediatur infixum. Si autem hoc quod infixum est, non appareat in superficie ipsa, vel si quidem apparet, tamen difficulter possit extrahi, in hoc casu monent Medici cum antiqui, tum moderni, vt omnia tentemus pro extractione, & ideo mandant, vt primis diebus madefiant linamenta in oleo ros. completo, ac ipsis oculum foueamus; hoc enim dolorem lenit, inflammationem sedat, ac locum vel ipsum laxat & maxime ad apertionem conducit. deinde apertionem vulneris tentant foramenque ipsum dilatare conantur cum medulla ex sorbo vel ex sambuco, vel cum spongia præparata. Dilatato vulnere postmodum tentant extractionem corporis contenti explorantes specillo id, quod inest oculo, postea immitti iubent volsellam & appræhenso illo, quod infixum est, extrahi mandant. Ego autem cum id satis periculosum sit, & nos assequi difficillime possimus; semper enim & certo ex huiusmodi actione proritatur inflammatio fluxionesque causantur, & proinde dolor magnus ac ferme intolerabilis succenditur, in tali casu hoc modo non procedo, sed cum viderem in oculo multa ingressa ac in profundum etiam immersa, vulnus vero sanatum fuisse illis in eodem appatentibus, quæ infixa erant, sine omni prorsus periculo ac nocumento ipsius visus. Vos itaque moneo, si hoc, quod infixum est, non appareat, vt non rentetis hanc manualem extractionem causa euitandi intolerabilis doloris; ego etiam, vt dixi, experientia actus vidi frusta vitri, similiter portiunculam ferri ac spinæ, ac vnguium fragmenta & similia relicta in vulnere remansisse in oculo, & sanata fuisse vulnera. Quare si commode non potestis extrahere talia infixa, & sine multo dolore, derelinquatis ea, quia sanabitur vulnus absque contentorum extractione, vt ego pluries vidi, talia remansisse in oculo post vulneris consolidationem, & immersa transparere ex oculo & conspici sine magno periculo ac momento visus. Hortor itaque vos omnes, vt relicta & abiecta hac periculosa actione, si vultis extractionem tentare, eam tentetis per medicamenta lenia vim habentia extrahendi: nam id satius erit per medicamenta facientia ad extractionem tentare sine periculo, quam per manualem actionem cum manifesto detrimento & periculo. Ego ergo in tali casu hoc medicamentum hoc modo conficio:

Volsella pro extractione infixi qualis esse debeat.

Si infixum non apparet, quid agendum.

An infixa non apparentia in oculo extrahenda sint.

Medicamentū leniens pro extractione infixi in oculo.

℞. ol. vitell. ouor. ℥ß.
abietini ʒ ij.
croci gr. iiij. Misceatur. & fiat medicamentum infundendum in oculum: & sic eo vtor procedendo vsque ad septimam vel nonam diem.

Quod si natura emittere vult quod est infixum, bene res peragetur; si vero non tentat expulsionem ac vulnus consolidari vult, remanente adhuc infixo in oculo, sinendum est ipsum consolidari. Si vero hoc per se non fit, vos consolidationem non tentabitis, quia non desunt viæ ipsi naturæ, neque laceretis homines, cum hoc experientia ipsa doceat multos huiusmodi fuisse casus, & hæc cura in iisdem casibus facta sit & tandem liberos ipsos euasisse absque vllo visionis detrimento. Ego autem vnum hoc, quod mihi ipsi euenerat, dicam: vocatus fui iam ad curam huiusmodi vulneris in quadam muliere, cui vitreo vase illatum erat vulnus in facie ac præcipue in vno oculorum, cum ergo venio vocatus ad curam statim perpendo & inspicio omnia, video magnam partem vitri esse impactam in oculo, hoc extrahere volui volsellaque arripui, sed quod arripui frangebatur, & extrahebatur, reliquum vero profundissime immersum manebat, quod postea medicamentis ipsis extrahere tentabam: sed dum hoc agerem, vulnus consolidatum est vitro remanente in oculo, & obstaculo erat ipsi visui, & vixit ita mulier annos aliquot, quousque tandem peste correpta interiret. Si vero corpus feriens non erit infixum ac ratione vulneris periculum erit, ne humores prolabantur, ac reliqua etiam in ipso oculo contenta, tunc statim deueniendum erit ad medicamenta vim habentia robuste adstringendi.

Si ratione vulneris periculū sit, ne humores prolabantur.

Sed

Sed quia in huiusmodi medicamentis adstringentibus semper coniuncta est vis quædam exasperans, quæ oculis est inimica, necessarium est, vt illis addantur illa, quæ leniant asperitatem illam; ideo in hoc casu vtor ego medicamento siue decocto secundum hanc formam:

Decoctum ad leniendā asperitatē adstringentium.

℞.fol.rof.rubr.cum vnguib.
myrobal.citrin.
myrthillor.
sumach.an ℥ß.
aloes hepatic.
mastich.
thuris mann.an.℈j.
aq.plantag.
rof.an. quantum sufficit Misce & fiat decoctum & percoletur; sed quia exasperat, his addo syeph. albi sine opio ʒj. Et dissoluo cum sufficienti quantitate dicti decocti, & infundo in oculum, & hoc eodem vtor vsque ad finem. Si vero vultis robustius, addatis metallica aliqua, vt esset bolus armena orientalis, lapis hæmatites & similia, & infundatis in oculum. Exterius autem imponantur linteola madefacta vino austero, vt prohibeatur inflammatio; sæpe autem mando, ne incalescat locus, vt replicentur. Si autem vuea egressa sit vel dissecta, vel portiuncula aliqua oculi amputata, tunc omnia agenda sunt, ne partes relictæ putrescant, & vt dolor leniatur cicatrixque inducatur, hoc autem faciemus, si imponamus album oui per se absque linamento: non debemus enim in oculo gossipium imbutum aut aliquid simile imbutum medicamēto relinquere; quoniam oculus talia tolerare non potest, sed sæpe album oui infundatis cum syeph albo cum opio, vel etiam sine eo mixtum. Si autem sordes adsit, non est detergenda neque petia neque gossipio neque alia vlla re propter dolorem, sed lac iniiciatur, pro quo optimum erit, si poteritis habere mulierem, quæ lac ex mammillis ipsis in oculum emulgeat, tamdiu donec omnes sordes detergantur hoc inquam erit optimum. Si autem mulier non adsit, accipiatis capram, quæ similiter hunc in modum lac emulgeat, siue cuius lac eodem modo in ipsum oculum emulgeatur. Si vero neque mulier neque capra haberi possit, accipiatur lac mulieris vel capræ, vel cuiuscunque etiam sit generis, & sensim guttatimque in oculum ipsum instilletur.

Si vuea sit egressa & pars oculi amputata.

Sed quoniam non semper in huiusmodi vulnere albumine est vtendum, ideo loco albi oui infundatur gutta medicamenti siue decocti talis:

Decocti guttas in oculum loco albuminis oui infundendum.

℞.fol.plantag.
rof.rub.
flor.meliloti an.M.ß.
sem.fœnugr.ter lotorum ℥ß
aloes
myrrh.
thuris an.ʒj.
croci gr.iiij.
thutiæ Alexandr.præparat.
pompholyg.præparat.
cerussæ lotæ an.℈ij.
syeph.alb.cum opio ʒj.
aq.rof.
fœniculi an. quantum sufficit. Misce & fiat decoctum quo sæpius & continuo perfundatur oculus.

Sed quoniam hæc medicamenta liquida non perdurant in loco, sed cito effluunt, neque moram trahunt in oculo, vnde paruum oculo afferunt auxilium: ideo post affusionem dictam atque perfusionem inspergatur puluis aliquis, & interdum etiam puluerem inspergimus absque perfusione facta. puluis autem sit, qui dolorem mitiget, siccet & adstringat. Sed notandum & maxime aduertendum est, quod pulueres isti sint optime emolliti & læuigati, ita vt mirum sit atque nihil amplius esse possint neque fidendum est in hoc seplasiariis, vt scilicet læuigent tales pulueres: quoniam laborem fugiunt vel negotium famulis commendant, qui vel ignari, vel ignaui etiam existūt; quare vos, ne decipiamini, hoc modo ipsis vtemini pulueribus, accipiatis puluerem ita læuigatum, vt haberi potest, ipsumque in linteolo siue fascia admodum spissa imponatis ac in modum fasciculi optime ligetis, postea specillo siue stylo aliquo pulsate ac tundite fasciculum

Modus inspergendi puluerē super oculum.

ipsum super oculum: nam ex hoc fasciculo cribrabitur & exibit puluis subtilissimus ac tenuissimus, qui vllo modo asperitate sua oculum lædere non poterit, neque sui pondere ipsum aggrauare, & intentioni satisfaciet optime; puluis autem sic componi poterit:

Puluis inspergendus in oculum.

℞.fyeph.alb.cum opio
thut.alex.præparat.
pomphol.præparat.
lapid.hæmat.
gumm.arab.
tragacanth.
aloes an.ʒj.
croci ℈ß. Hæc omnia misceantur, terantur, & læuigentur, vt potest, in puluerem tenuissimum, quo vti possumus vsque ad quartam diem, vel etiam aliquando vsque ad septimam.

Transacta autem septima die vtemini magis detergentibus, siccantibus atque agglutinantibus & epuloticis, id est, cicatricem inducentibus. Sunt autem eiusmodi medicamenta illa siue collyria, quæ plura ab antiquioribus & Galeno etiam pluribus in locis sunt descripta, quæque ex vobismet ipsis videre & assumere potestis. Apud autem recentiores Medicos inter cætera hoc vnum habetur præstantissimum, quod ex ouis conficitur hoc modo. Accipiunt oua recentia, coquunt ea in aqua, quo vsque dura fiant, & hæc sunt ad summum numero octo, postea aperiunt per medium, siue per transuersum vt libet, reiectis vitellis ablatisque corticibus albumina ipsa filo traiecta in medio phialæ vitreæ suspendunt, ita tamen, vt non tangant parietes, neque fundum phialæ: sed prius explent albumium cauitatem puluere quodam inferius describendo, impletis vero ipsis albuminibus puluere ipso, & suspensis, claudunt phialam panno vel vesica; deinde accipiunt phialã hoc pacto clausam & ipsam suspendunt, sic clausam super caldarium aqua ebulliente plenum, ex hoc autem fit, vt incalescat phiala, quæ dum calefit, calorem albuminibus impartitur, & sic etiam albumina, simul incalescunt ac elixantur, ratione cuius elixationis eliquatur & stillatur humor quidam, qui præstantissimum est remedium in hoc casu ac mirabile præsidium. Materia autem siue puluis, quo explentur albumina ouorum, fit secundum hanc formam:

Medicamẽtum recentiorum ex ouis præstantissimum.

℞.myrrhæ el.
mann.thuris
aloes
sarcocollæ in lecto nutritæ an.ʒj.
gumm.arab.℈ij.
sem.papau.alb.ʒß.
croci ℈j.
thutiæ alexandr.lotæ
Pomphol.lot.
cerusſ.lotæ.an.ʒj.

Puluis præimplendo oui albumine.

Hæc misceantur & contundantur optime & in albumina ouorum ponantur: & ex hoc postea inungimus oculum: possumus etiam post inunctionem eodem puluere eadem vulnera inspergere illita prius liquore: puluis autem inspergi potest per fasciculum, vt superius dictum est.

De Dolore vulnerum oculorum. CAP. IV.

SEd quoniam, vt notandum est, sanatio & curatio hæc vulnerum oculorum ex cathedra facilis admodum videtur, sed in actu practico sanatu difficillima sunt, & hoc prouenit ratione doloris, quare in vulneribus oculorum non tantum laborandum est circa solutionem continui, sed maxime doloris est habenda ratio: quin imo si dolor sit ingens, cæteris omnibus neglectis ipsi tantum dolori est attendendum.

Facienda itaque, si dolor adest, sunt fomenta ex lacte humano vel caprino, vel vaccino, & fouendus est locus cum spongia dicto lacte imbuta. Facto autem fomento applicentur stupefacientia aliqua, vt esset collyrium de thure, vel syeph.album cum opio, cum albumine oui, vel cum lacte dissoluta.

Collyria stupefacientia.

Si autem dolor his non cedit, nec æger perferre possit, vt hæc imponantur in oculum, tunc in tali casu ego conficio emplastrum ad hoc maxime faciens, quod tamen (emplastrum)

plastrum) duplex est, aliud scilicet simplex, & aliud compositum. Simplex est tale. ℞. carnis pomorum dulc. sub prunis coctorum quantum sufficit. iis postmodum adde saccharum copiosum & croci & olei ros. complet. q. s. ad emplastri formam; sed hoc leue est emplastrum.

Empl. Falloppis pro sedando dolore.

Compositum vero hoc modo conficitur:

℞. carnium eorundem pom. sub prun. coct. ℥ ij.
fol. papau. alb. coct. sub prun.
hyoscyam. eod. mod. coct. an. ℥ j ß.
croci ℈ j.
far. fœnugr. ʒ ij.
lact. muliebr.
ol. ros. compl. an. q. s. misceatur & f. empl. quod extendatur super

petiam, & deinde imponatur super oculi clausi palpebram. Si autem oculus non potest perferre contactum vllo modo, vel ratione, nos facimus liquorem & eum perfundimus super oculum.

Si oculus non poteß perferre contactum.

Sed notandum est, quod primo perfundi debet super partem sanam, deinde sensim ac sensim influat super locum affectum ac partem læsam, aliter ægri non possunt tolerare ratione doloris; liquor autem siue decoctum stupefaciens est tale:

℞. sem. fœnugr. ℥ ij.
sarcocoll.
myrrhæ an. ʒ j.
croci ℈ j.
flor. chamom. M ß.
opii ʒ ß. Misce in s. q. aquæ fœniculi fiat decoctum, deinde coletur & vsui seruetur pro doloris mitigatione. in eodem casu aliquando inspergimus puluerem ex syeph albo cum opio vel cum syeph de thure, & inspergimus: quoniam in tanto dolore necessarium est ad opiata deuenire; sine enim stupefacientibus talis dolor non sedabitur.

Decoctum stupefaciens.

Sed notandum, quod maxima diligentia sunt ægri pertractandi ac seruandi primo, vt non videant lumen, neque maneant in loco calido ob inflammationem & dolorem; facile enim proritantur; nec stent in loco nimis aperto ac lucido: nam ex luce facile excæcabuntur, quare cum vulnus inspiciendum est, ac ipsi mederi volumus: accipiatur candela cum obumbraculo, vel lumen sit charta circumuolutum aut in laterna dicta, vel saltem manus interponatur, & sic vulnus ipsum inspiciatur. Notandum est præterea, quod semper lumen ponendum ad partes superiores capitis, vt pote ad frontem, à retro scilicet: quoniam sic æger non ita facile lumen aspiciet, & etiam per ipsam palpebram extensam penetrant radii, propter quos possumus inspicere etiam profundissimas partes oculi, quamuis ponatur lumen ad partes superiores, quia transparens est palpebra; quare circumspectus sit Medicus, & assidentes circa hoc.

Agendũ ut æger lucem non videat.

Sit præterea semper æger in quiete, non decumbat, sed rectus maneat, dormiat quanto diutius potest: si enim quid est iuuans oculos, est somnus ipse. Excrementorum etiam ratio est habenda, ideo singulis diebus fæces eiiciantur. Et si natura non facit opus hoc, clysteribus adiuuetur. Frictiones conueniunt ac omnes reuulsiones optimæ sunt; medicamenta semper bilem purgantia in principio maxime exhibeantur: vena secetur eiusdem lateris, si ætas & cætera consentiant. Altera vero die applicentur hirudines post aures ac in occipitio. Caueat æger à Venere tanquam re maxime perniciosa ipsis oculis.

Situs ægri commoditas somni.

De tollendis Cicatricibus, quæ post sanationem relinquuntur.

CAP. V.

Sanatis vulneribus oculorum cicatrices tollendæ remanent, quæ nisi emolliantur ac attenuentur, visum impediunt. Quomodo autem hæ attenuandæ sint, dictum est satis in tractatu de vlceribus oculorum. Nonnulla tamen hic addo, quibus vtuntur antiqui Medici ad has cicatrices maxime tollendas, ac est collyrium de fœniculo ad hoc quidem præstãtissimum, collyrium etiã de anagallide, vt & alterum ex salibus optimum est; collyrium ex floribus, leucoij & ex sagapeno, collyrium de succo tutæ cum melle & similia. Sunt etiam diuersa medicamenta a Galeno descripta in libr. 4. de compos. med. per loc. Ego autem hoc seq. medicamento vtor libentissime;

Collyria ad cicatrices tollendas.

℞. fucci anagallid. rubræ virid.
rutæ
fœnicul.
elæoxylini
fol. euphrag. an. ℥ ij.
mellis defpum. ℥ ilj.
fellis taurini ℥ iij. mifceantur, fimul coquantur & ponantur fub fole diebus canicularibus, vt deinde eo cum aqua fœniculi vti poffimus, vel etiam aliquando cum lacte, aliquando vero ipfo folo & fimplici. Sed notandum eft, quod ille, qui linget, moderate lingat, & fi mulier erit, quæ linget, aduertendum eft maxime, ne lingat, quando ei fluunt menfes, fed maxime tunc ab hoc caueat, quoniam perniciofiffima effet actio, & aliquando, qui lingit, colluat prius os aqua fœniculi, vel fœniculum ipfum mandat, deinde vero lingat, & hoc fi femper obferuetur, optimum erit.

Cætera vero, quibus cicatrices attenuantur, fi hæc pauca dicta non fufficiant, habere poteritis copiofa ex tractatu de vlceribus oculorum capite proprio. Et hæc de vulneribus oculorum.

De Vulneribus nafi & narium refrigeratarum, & de earum confutione. Item de formis narium & glutine pro applicandis ipfis formis.

CAP. VI.

SVccedunt iam narium vulnera, quæ nares variis modis poffunt vulnerare: nam quandoque in iis fit vulnus cum offis incifione ac fectione, aliquando fine ea, vt quando fcilicet fecatur tantum pars cartilaginofa, quandoque vero fit, vt nares ipfæ pendeant in aliquo paruo frufto fufpenfæ. In his autem omnibus ac quibufcunque vulneribus, vel magna fint vel parua, dummodo viuat adhuc fubftantia ac viua fit pars fecta, ftatim indicatur, vt fanguinem fiftamus fluentem, quanquam incifum etiam fit os. Sanguinem autem fiftimus pofca ipfa: vel etiam aceto folo, & nullum eft periculum in vulneribus hifce.
Seruanda in confutione narium.
Suppreffo fanguine ftatim confuendum eft vulnus, deinde tentanda eft eius fanatio per agglutinationem: quoniam hæc vulnera fananda funt per primam intentionem. Sed quoniam hæc pars eft maxime potens, & oculis valde fubiecta, ideo fumma eft cura ac diligentia adhibenda in confutione, ne turpis reddatur ipfa facies; primo itaque bene apponatur ac aptetur pars fecta; fecundo fibulæ arctæ fiue confutiones ftrictæ fiant, ita vt labia optime coniungantur: quoniam aliter facta cicatrix poftea erit magna, & turpem efficiet hominem: tertio oportet vt habeamus flexiles acus propter concauitatem loci ipfius, vt opus recte perficere poffimus. Confuendæ enim funt nares ad latera, fintque fibulæ parum inuicem diftantes.
Si pars pendens fit iam refrigerata.
Aduertendum eft autem, quod pars diffecta pendens effet iam refrigerata, tunc ftatim ad fomenta deueniendum eft, vt incalefcat, etiam fi perfentiatur frigida adhibita futura, tentanda eft agglutinatio, licet fit in vfu ac commune præceptum in omnibus membris, quod cum aliquod diffectū fuerit ita vt in minima portione
An pars narium frigida & femimortua poffit coalefcere.
pendeat, vel cutis aut caro, aut caro & cutis fimul, obferuandum eft, fi illa pars, quæ pendet, calida eft, aut frigida eft: fi enim calida eft, confolidari poteft peractis omnibus pertinentibus: fi autem frigida, erit difcindenda ac amputanda: quoniam iam emortua eft, ac fpiritus vitales funt in ipfa extincti, vnde priuata eft fenfu ipfo ac vita: nam etiam cum arteriæ, venæ atque offa refciffa funt, nunquam confolidantur: at in narium vulneribus hoc non femper fequitur: quin imo femper agglutinatio fuccedit, nifi ita mortua pars effet, vt appareat iam liuida. Nos enim experientia didicimus etiam exanguem ac femimortuam partem narium agglutinari poffe.

At fi pars vulnerata etiam poft agglutinationem mortua remaneret ac liuida, melius eft ipfam præfcindere, quod in vno tantum homine ego feci, fed poft agglutinationem ita femper ficcaui partem illam mortuam, vt fine noxa aliqua nafum fuum ferre poffet æger: ficcaui autem cum medicamēto ex dictamno, vnde fine noxa aliqua agglutinatum fuerit vulnus vel faltem ficcatum nafum fuo permanfiffe loco fine aliqua noxa, teftor.
Decoctum pro fouenda parte narium refrigerata.
Si ergo frigida fit pars diffecta narium, in primis fouēda erit aliquo liquore calido, vt incalefcat, vt effet cū lotio vel cū decocto facto ex vino & chamæmelo, deinde cōfuatur.
Agglutinātia exterius apponenda.
Confutis autem vulneribus duo debemus obferuare, primo vt cōfirmatio narium feruetur recta; folent enim plerunque in aliquam partem inclinare & fic agglutinatæ deturpant faciem atque hominem. Secundo obferuare debemus agglutinationē ac confolidationem partium molliorum ac etiam duriorum: ideo femper in exterioribus applicabi-

tur ceratum barbarum Galeni, quod primum locum tenet & maxime facit ad agglutinationem, vel etiam aliquãdo ipsum dissoluimus cum pauco cerato rosato vel oleo myrthino. Sed quoniam in omni vulnere narium habemus etiam partes internas vulneratas, quæ & ipsæ consolidatione indigent, ideo interius iniicimus album oui vel decoctum aliquod faciens ad agglutinationem, vt si fieret decoctum ex gallis, rosis, myrtho, tormentilla & ex rad. consolidæ maioris; hæc in aqua vel vino coquendo, eius decocti portionem in nares iniiciemus; vel ægri attrahunt ipsius portionem per nares, vel in nares ipsas bombyx madidus dicto decocto detineatur, vel accipiatur cerat͂ barbarum dissolut͂ cum oleo myrthino ipso partes inungendo internas: hoc modo enim succedit agglutinatio cũ internarum tum etiam externarum partium narium vulneratarum simul.

Interius iniicienda.

Conseruatur autem natium cõformatio, vt iusta proportione ac debita figura agglutinentur, aut fistulis aut deligationibus iuxta præceptum Hippocratis aut formis narium dictis ex argento confectis aut plumbo vel etiam ex fistulis plumbeis, vel linamentis, quibus hoc modo vtimur. Conficimus tentas ex stuppa ad longitudinem & crassitudinem vnius foraminis narium, & has tẽtas imbuimus albo oui vel barbaro dissoluto aut aliquo simili medicamento aut decocto; & tentæ fieri possunt ex quacunq; materia attamen fistulis plumbeis vt plurimum vtimur, & iis ego semper sum vsus, cum & ipsum plumbum habeat vim exiccandi & in eo potissimum casu & vulnere, si æger tentas ferre non potest, & præcipue his vtimur fistulis, quando patiẽtes excrementosi sunt ita, vt plurima materia destillet à capite, ne materia, quæ iam est assueta per nares effluere, retineatur, ac nouũ faciat abscessum, quia per foramen ipsius fistulæ egreditur. Fiant itaq; tunc fistulæ ex lamina plũbi tenuissima ad crassitudinem & longitudinem foraminis narium, vt de tentis dictum est, deinde obliniantur barbaro & imponantur in nares.

Conseruatio conformationis narium.

Fistularum plumbearũ vsus.

Per formas autem conseruamus narium rectitudinem, fabricatis formis siue laminis ex argento vel alio metallo, ita vt possint aperiri ac stringi, & his vtimur quando nares agglutinandæ inclinant in illam vel alteram partem, tunc enim aptantur formæ ipsæ barbaro oblinitæ ac super nares satis strictè imponimus. Vtimur præterea & fasciis iuxta intentionem Hippocratis; & est cura facilior & non ita fastidiosa, & semper ego his vsus sum procedens vsque ad quartam diem: quarta autem die præcidenda sunt puncta siue sutura, ne ab ipsis punctis cicatrices fiant, neque tamen tunc exhibendæ sunt fibulæ sed altera die, quoniam in quarta die fiet narium consolidatio, si rectè fuerint tractatæ & curatæ.

Forma narium quomodo sit vtẽdum.

Cum agglutinantibus deinde procedimus vsq; ad septimã, imo etiã non tantũ vsq; ad septimã, sed etiã vsq; ad curationis finem. Ex his autẽ propositis pręcipue vtimur barbaro ipso, etiãsi vulnus sit cum fractione ossis, quoniã barbarum pręstantissimum est, ac maxime etiã facit ad ossa fracta; & sic pcedimus vsq; ad 20. diẽ; nam vt plurimũ in 20. die cõsolidari solent ossa narium: consolidatis autem ossibus nil aliud agendũ est, nisi quod si distorquẽtur nares, instrumentum argẽteum dictum applicabitis, quoniam sic recta reddetur earum figura. Si autem accidat, quod pars narium dissecta sit iam mortua ac putrida, antequam ad eius curam venias, amputanda erit, deinde vulnus relictum curetur, vt reliqua solẽt curati vulnera. Curato autem vulnere, cum remaneat turpitudo ob dissectam narium portionem; in hoc ergo casu sunt aliqui, qui turpitudinem hanc tegere conantur variis ingeniis: aliqui enim formulam nasi parant ex argento vel alio aliquo metallo & apponunt; alii eandem formam narium emunt ab his, qui mascaras conficiunt & applicant: & hæc mihi magis placet, quoniam facilius potest aptari & etiam colore infici simili cum reliquo naturali colore; & hoc quidem est melius, quam restitutio illa ex medicis Calabris. Has autem formulas siue mascatas apponimus facto glutine, quo intus obliniuntur, vt fortius hęreant: sit autem gluten hoc confectum ex terebinthina, gummi elemi & pice colophonia, & cum pauca cera fiat ceratum, aut etiam hoc fit gummi solo Arabico dissoluto, quod semper in phiala dissolutum seruetur. Ad hoc etiam facit aliud genus aliquod gummi, quod naso ipsi aptetur, quidam etiam loco harum formularum extendunt ceratum vel emplastrum dictum in tela aliqua & conficiunt formas narium & applicant; telam autem accipiunt quamcunque, sed vt plurimum sericinam & supra postea aptant emplastrũ dictum, & naribus deinde applicant formam narium confectam. Sed quia modus hic est nimis apparens ac deturpans, ideo non laudatur, & hæc de vulneribus nasi.

Si et etiam fractum sit.

Si nares distorqueantur.

Forma nariũ laudata.

Gluten pro applicandis formis mascararum.

De Vulneribus aurium. CAP. VII.

QVia eadem eſt ratio in curandis vulneribus auricularum, quæ in narium vulneribus ſeruatur, ideo breuibus dicendum eſt, quod in diſſectione auricularum idem ſeruetur, quod dictum eſt in vulneribus narium, videlicet ſanguis pꝛius ſupprimatur cum poſca i. e. cũ aqua & aceto mixtis, poſtea ſuturæ aptentur, deinde cura tentetur per primã intentionẽ atq; perficiatur barbaro ſuppoſito, ligaturis deinde bene aptatis, ꝓcedendo ſeruetur conformatio ipſarũ, quarta die ſcindantur ſuturæ, quinta fibulæ extrahantur, poſtea ꝓcedatur cũ ipſo barbaro vſq; ad curationis finẽ. Fit etiã quandoq; vt abſcindãtur penitus auriculæ ipſæ, tunc cum piſciũ glutine ſunt aptãdæ & conſuendæ deinde: nõ eſt enim dubiũ, ꝙ agglutinãtur optime. Cætera vero agantur iuxta ꝑcepta tradita in narium vulneribus, vnde vltimo deueniatis ad reſtitutionẽ illarum cũ factitiis ac maſcaris vt dictũ eſt de narib.

Si amputatæ ſunt auriculæ.

De Vulneribus colli. CAP. VIII.

VVlnera colli ſequuntur, in qua quidem parte cum habeamus varias particulas, varia quoque fiunt vulnera ac varia eorum curatio, ita vt vulnera colli diuerſa fiant pro ratione variarum particularum exiſtentium in ipſo collo, nam in collo ſunt partes anteriores, poſteriores, internæ & externæ. Habemus muſculos & ſuperficiales & profundos. Habemus neruos plurimos à ſexto pari neruorum cerebri originẽ ducentes, quæ ad ipſa deinde viſcera deſcendũt. Habemus præterea venas ingulares atq; arterias magnas, quæ ad caput aſcendunt. Adeſt præterea aſpera arteria, per quam aer attrahitur à pulmonibus. Adeſt & gula ſiue œſophagus, per quem cibus intrat & defertur ab ore ad ventriculũ, ſuper quem adeſt aſpera illa arteria. Eſt enim ſpina oſſea ſiue dorſi, in qua continetur medulla ſpinalis, & ex qua plura neruorum paria oriuntur. Cum ergo tot ſint & tam variæ particulæ in ipſo collo, neceſſario ſequitur, quod earum partium diuerſarum ratione vulnera etiam ipſarũ variantur, ita vt ſicut varia fiunt vulnerum genera, ita etiam curationes fiant variæ. Nos autem incipiemus à ſimpliciſſimo vulnere dicentes, quod ſimplex erit vulnus, quoties tãtum vulneratur cutis ac pars muſculoſa exterior ſine læſione venarum, arteriarum, gulæ, aſperę arteriæ, ſpinæ dorſalis: vel, vt in ſumma dicam, aliarum partium nobilium. Si itaq; tale ſimplex ſit vulnus, hoc modo procedendum erit: primum & ante omnia ſupprimatur ſanguis cum poſca, aqua ſcil. aceto mixta, deinde ſutura adhibeatur, quoniam quanquam aliquando vulnera colli ſint maxima tentamus tamen eorum curationem per conſutionem, nam per primam intentionem eam curare intendimus.

Partium colli enumeratio.

Vulnus ſimplex colli quod ſit.

In ſimplici colli vulnere quid agẽdum.

At in conſutione notandum eſt, quod non tantum muſculus diſſectus & cutis ipſa, & ſi etiam tranſuerſaliter muſculus ſit diſſectus, cum facile glutinentur muſculi, ſed etiam profundiores muſculi ſunt conſuendi, etſi etiam, vt dixi, per trãſuerſum eſſent diſſecti, poſtea tentetur cura per primam intentionem, id eſt, per agglutinationem ipſam, quoniã non tantum in hoc ſimplici vulnere vt dictum eſt, ſed in reliquis omnibus vulneribus colli etiã maximis ſemper tentatur cura per agglutinationem. Facta autem diligenti ſutura glutinãtia imponantur medicamenta, vt eſſet emplaſtrum barbatum Galeni; per exterius autem ſupraponatur aliquod prohibens inflammationem, vt ſunt linamenta madefacta vino auſtero vel oleo roſaceo.

Seruanda in conſutione.

Quid poſt ſuturam agendum.

Accidit autem ſæpius, vt propter amputationem partis alicuius muſculi nõ poſſimus profunde muſculos conſuere, vnde fit vt relinquatur cauitas ſub ipſa cute iam cõſuta, quæ ſi talis remaneat facit abſceſſum, cum in ea multa ſanies colligatur. ne ergo hoc fiat, ſic erit procedendum; accipiatur petia duplicata, vel triplicata & fiat plumaceolus ad formam cauitatis illius & in cauitatem ipſam applicetur vt corium ac muſculi hæreant ipſi cauitati ne ſanies ibi relinquatur ac colligatur & faciat abſceſſum.

Ad prohibendum abſceſſum ſi pars muſculi abierit.

Sed notandum quod antequam aptemus plumaceolum ipſum cauitati, prius ſunt inſpergendi intus pulueres adſtringentes ſuper ipſum vulnus, hoc agentes vſq; ad ſeptimã; ſupra vero ponatur ſemper barbarũ, deinde ſecãdæ fibulæ ac auferendæ. & cum iiſdẽ proſequimur. Notandum eſt autem quod in vulneribus ceruicis, quãquam ſuperueniret abſceſſus, accidit .n. ſæpe, vt in illis cauernis colligatur ſanies, tunc nunquam immuteris emplaſtrum barbarum, ſed incidatur & aperiatur modice tumor ille vt ſanies effluat. At ſi ſuperueniret inflammatio, commiſceatur barbarum cum cerato roſato æquis portionibus: in ſinu vero ipſius vulneris expreſſa ſanie infundatur oleum abietinum aliquando ipſum cum melle roſ. mixtum, aliquando vero ipſum mel roſatum ſolum ad maiorem abſterſionem, ſemper tamen cum barbaro procedendo, reliqua autem ſuo ordine perficiantur.

De Vulneribus gulæ & asperæ arteriæ. Cap. IX.

SI autem gula vulneretur vel aspera arteria, tunc vulnus est maxime periculosum pluribus rationibus: primo ratione exquisitissimi sensus quem habent partes istæ propter internam membranam. Secundo quia intumescit œsophagus, non potest æger deglutire, & ex consequenti neque nutriri, neque si intumuerit aspera arteria poterit aer attrahi per ipsam, & sic periculum erit de suffocatione. Tertio periculum & difficultas adest in his vulneribus ratione motus ipsarum arteriarum, quæ nũquam quiescere possunt; & ratione motus ipsarum vulnera etiam semper sunt in motu, vnde quiescere non possunt huiusmodi vulnera, quoniam aspera arteria perpetuo attrahit aerem & per œsophagum necesse est vt cibus semper transmittatur in ventriculum; necessarium enim est, vt comedant, inspirent at expirent. Cum ergo quiescere nõ possint hæc vulnera, mirum non sit, si rari admodum sint illi, qui liberentur ab huiusmodi vulneribus: quare semper prænunciandum est in his periculum de morte; non tamen ob id taliter affecti sunt derelinquẽdi absq; auxiliis, vnde si forte huiusmodi casus eueniat, sic procedendum erit: vt scil. primo statim rentemus cohibitionem sanguinis, secundo deueniamus ad consutionem statim per fibulas, quæ sint parum inuicem distantes & arctæ admodũ fiant: tertio imponantur agglutinantia, vt barbarum vel puluer es agglutinantes, de quibus superius egimus. Linteamina deinde supponantur, quæ semper madida sint vino austero ac oleo rosaceo. Sed quoniam in his vulneribus est etiam tentanda agglutinatio per interius, quare debemus semper dare aliquid per os quod descendat & instillet per illas partes, vnde medicamenta sint transmissa per œsophagum, vt sunt gargarismata quæ debent in ore teneri, vt sensim ac sensim guttæ descendentes perfundant locum affectum & vulneratum; vnde ego conficere soleo gargarisma in hunc modum paratum:

Cur vulnera gulæ sint periculosa.

In gulæ vulnerib. quid statim faciendum.

℞ rad. consolid ma. M. ij.
tormentill.
pentaphyl.
fol. beton.
ros.
cimar. an. M. j.
fol. pimpinel. M. ß.
gumm. tragac. ℥j.
aq. chalyb. q. s. Misc. & coq.
sec. arr. deinde coletur decoctum, & postea pro singula decocti siue colaturæ libra addatis syrupi mytthini ℥ij. & hoc decocto abluat æger sæpe fauces ac os colluat, & curet vt liquor descendat ac declinet ad vulnus ipsum, quoniam maxime facit ad consolidationem.

Gargarisma Falloppii pro agglutinatione partium internarum gulæ.

Si vero gargarismate vti non possit, teneat in ore continue aliquod medicamentum, quod dissolutum per se fluat ad vulnus œsophagi & obliniat ipsum, quare conficietis eclegma secundum hanc formam.

℞ rad. cons. ma. sub prun. coct. ℥iij.
pulu. tragac.
gum. Arab. an. ʒj.
spec. diatragant. frig. ʒij.
bol. arm. orient. ʒ.ß.
syrup. myrth. vel de ros. sic. q. s. Misce & f. eclegma aut elect. in ore tenendum.

Eclegma optimum.

SI autem sit vulnus in gula, bibat æger continue vel sæpe aquam optime chalybeatam addito syr. myrthino aut facta decoctione cum portulaca, vel etiam bibat ipsam aquam portulacæ, vel habeat decoctionem aquæ chybeatæ factam cum radicibus consolidæ maioris, vel etiam portulaca addito syrupo myrthino, quoniam maxime iuuat ipsa portulaca.

Potus quales conueniat & ex quibus fiat.

In omnibus etiam eius cibatiis coquantur similiter radices consolidę maioris, atque ipsa cibaria cocta sint in aqua chalybeata, cui addantur radices consolidæ & pimpinella. Fugiat clamores, non deglutiat cibatia solida, nõ bibat vinum, ne caussetur inflammatio; secetur vena & mittatur sanguis in maxima copia, habita tamen ratione illius qui defluxerit. Et si aluus adstringatur, exhibeatis sæpe clysteres, atq; etiam syrupum ros. sol. non exhibeantur autem pharmaca, ne lędant vulnus ipsum in transitu; ac etiam ne casu prouocetur vomitus, quoniam maximum afferret detrimentum. Bene possunt pharmaca

Cibus qualis esse debeat.

exhiberi in vulnere asperæ arteriæ. Maneat æger læto animo: sed maxime lethalia sunt hæc vulnera, & potissimum vulnera arteriarum: & hæc de vulnerib. gulę.

De Vulneribus ac incisionibus venarum & arteriarum colli, & de diuersis modis sistendi sanguinis earum. CAP. X.

IN collo diximus aliquando fieri simplicissima vulnera, vt quando cutis ac musculi vulnerantur exteriores, de quibus egimus: egimus præterea de vulnere tracheæ arteriæ ac ipsius gulæ siue œsophagi. Et qua ratione sint curanda diximus; iam succedunt vulnera illa, in quibus inciduntur venæ atque arteriæ in ipso collo existentes, quæ quidem sunt quam plurimę, & in parte dextra & in sinistra, quæque feruntur ad superiora. Sed vt distincte procedamus, dico, quod si sit vulnus colli cum incisione venarum & arteriarum, hæ vel magnæ sunt, vt soporales dictæ ac iugulares sursum ascendentes vel paruæ. Sed demus nos, quod vulnera sint in primis vasis maximis, nulli dubium est, quod statim supprimendus sit sanguis & obstruendum ipsum vulnus: Nam nisi statim supprimatur sanguis, ac solidetur vel obstruatur vulnus, egredietur ac totus breui temporis spatio effluet sanguis & peribit homo. Vt autem hoc agamus, ac quomodo agere debeamus Galenus lib. 5. Meth. med. docet cap. 3. vbi dicit, hoc posse fieri dupliciter, primo vt impediamus sanguinis fluxionem: impediemus autem vel auertendo vel deriuando aut firmando materiam ipsam, seu prohibendo, ne ad locum fluat, ac existentibus fluxum protritantibus ea de medio tollendo. Secundo autem modo hoc agemus, si obstruemus vasorum ipsorum orificia. Cum obstructione autem vasorum possumus duobus modis procedere, vel scil. per coniunctionem labiorum vulneris, vel per obturationē osculorum vasorum, id est, venarum siue arteriarum ipsarum tantum, quæ obstructio perficitur, quando digito comprimimus osculum ipsarum: comprimimus enim venæ osculum digito aliquo temporis momento, cuius compressionis ratione tandem concrescit sanguis in ipso, qui postea concretus & in grumum conuersus non permittit sanguinem amplius fluere.

Sāguis quot modis supprimatur.

Orificia vasorum quot modis obstruantur.

Recentiores Medici solent hoc perficere per suturam & consutionem labiorum vulneris, quod ego tamen nō probo: si enim magna sit effluxio, nihil prorsus aget ista consutio. Ego itaq; oppositum facio, nam si magna est fluxio, non consuo sed incumbo primo ipsis vasis, sed detur etiam consutio quandoque, præsidium hoc fieri potest tribus modis, primo modo opera manuum ipsarum vel digitorū, vt si digitis obturetur osculū vasis, vnde postea concrescat sanguis ne fluat. Secundo modo per fascias & deligationibus adiuuabimus ac sistemus sanguinis fluxionem: accipimus enim fascias & inuoluimus aliquoties super vulnus ipsum, deinde cum eadem deligatione procedendo tendimus ad principia venarum & arteriarum, vt exempli causa: Si vulnus sit in carpo manus, nos debemus procedere cum ligatura ad cubitum, quoniā sic retrahemus sanguinem ad principia venarum & arteriarum ipsarum, oportet tamen ipsas fascias madidas reddere aliquo liquore adstingente pro impedienda fluxione ac inflammatione. Tertio modo poterit id fieri, cum faciemus suturam profundam, non tantum scil. cutis ipsius, sed etiam carnis discissæ. Vt autem sciamus & inueniamus modum certiorem ac perfectiorem sistendi sanguinis, nos colligamus & antiquorum & modernorum rationes siue modos sistendi sanguinis esse septem: prima ratio est, vt obturetur vulnus & osculum vasis dissecti, vt mediante obturatione conuertatur sanguis in grumum, qui sic conuersus postea prohibeat ac impediat fluxum, & hoc fit dupliciter; vel s. obturata vena intrinsecus vel extrinsecus: intrinsecus possumus hoc efficere imponēdo in corpus arterię aliquod claudens & obturans ad formam tentę: extrinsecus vero tentamus per suppositionem medicamentorum. Si per intrinsecus sistere volumus sanguinem, Auicennas hoc docet fen. 4. lib. 4. in cap. de fluxu sanguinis, vbi facit linamentum, imponendū in ipsam venā & arteriam, quod claudat ipsam, & hanc actionem bucellationem vocat. Fit etiam, vt dixi, imposito digito, quotiescunque ingredi potest: nam seruato aliquātisper digito super vas in extrema parte ipsius vasis semper cōcrescit sanguinis grumus, qui reliquū sistit fluentē: sed aduertatis, quod hæc ratio nō est bona, neq; ei fidendū est, quoniā periculum est, ne iterum liquato grumo sanguis fluat: Fieri.n. potest quod statim sanguis in grumos concrescat & sistatur fluxus, at deinde colliquatis illis concretis grumis nouus succedat fluxus, qui miserum infirmū iugulare poterit.

Modus deligandi vulneris pro sistendo sanguine.

Septem modi sistendi sanguinis apud recentiores.

1.

Bucellatio quid sit.

2. Ratio.

Secunda ratio est, quæ perficitur per linamenta vel corpora extrinseca imposita; & hæc optima est; nos enim prius obturatu osculo ipsius vasis digito sistimus sanguinem, deinde cōfectis linamētis ex stuppa vel gossipio aut tela aranea imbuimus primo illa albo oui & deinde imponimus in vulnus ipsum hoc modo, videl. primum splenium imbutum ponimus & digito comprimimus supra osculum vasis, deinde aliud splenium, & sic per consequens, donec totum vulnus repleamus.

Tertia

Tertia ratio est, quando per excisionem vasis per transuersum efficimus vt contrahatur substantia vasis ipsius: nam separata vena vel arteria capita incisionis retrahuntur, caro verò deinde supercrescens obstruit ac obturat spatium illud.

Quarta ratio est illa, quæ perficitur per inductã crustam vel ferro ignito vel caustico medicamento; quare semper cauendum est à suppressione sanguinis per grumum ipsius inductum, imò semper auferatis ipsum grumum, præcipue si est in exteriori parte factus: sed secunda ratio dicta opportuna est, quæ fit per corpora comprimentia, & ideo vnitis labiis imponatis stuppam imbutam albo oui, vel linamentis vtamini aut spongia: sed præstantissima materia est gossipium, si imponatur semiustum; tela aranea etiam optima est, & præcipue si imbuta est polline seu farina.

Sæpe etiam sistimus sanguinem per additam carnem, & ita est tuta atque certa curatio, & hoc semper tentamus, maxime in vulnerib. magnis. In eo ergo casu solemus vti medicamentis emplasticis ac vim habentibus regenerandi carnem, videl. sarcoticis, vel etiam vtimur iis, quę adstringunt aliquantisper atque carnem generent; vnde optimum fore duxi, si hoc in loco de emplasticis primũ verba faciamus. Vnde sciatis, quod inter hæc primũ locum tenet medicamentum illud ex Galeno lib. 5. meth. ca. 4. quod impositum citò generat carnem, cuius materia sunt thus, aloe & album oui; in his enim adest vis emplastica & sarcotica. Verum quia opus est vt hæc imposita diu in loco seruentur; in hoc igitur medicamento aliquod addatur, quod non ita facile putrescat, seu non sit aptum putredini, & insuper sit laxum, molle atque rarum, vt possit multum liquoris imbibere, quare thuri, aloe & albo oui si addatis pilos leporinos optime incisos, præstans erit medicamentum, quinimo his omnibus simul agitatis & conquassatis nil est præstantius.

Empl. carnē generant.

Materia imbuenda liquore pro sistendo sanguine.

Ego autem in corporibus mollioribus accipio duas partes thuris & vnam aloes: in mediocribus verò corporibus æqualiter, in durioribus autem duas partes aloes & vnam thuris, quibus semper addimus pilos leporinos, qui hanc materiam debet suscipere & ipsa imbui. Materia ergo quę medicamento hoc imbibi debet, erunt pili ipsi leporini, quos Galenus accipiebat albos & ipsos pro materia accipiebat variis de causis; primo quia pili leporini non putrescunt, secundo in his adest mollities; tertio nulla in ipsis adest malignitas; quarto in ipsis est munditiès, quinto adest in eis siccitas, cuius causa id quod accipitur, retinetur: adest etiam præterea raritas, ratione cuius facile imbuũtur: & vltimo nihil in iis inest, quod agglutinationem impedire possit.

Leporinorũ pilorũ vires.

Præterea gossipium etiam cum easdem habet conditiones, optimã erit materia: nos itaque hoc linamentum applicamus eo modo dato hoc exemplo: Si itaque sit arteria dissecta, nos primo applicabimus digitum super vas ac osculum ipsius comprimimus, & inde gossipio madido posca vulnus abluimus, vt sanguis concretus expurgetur. Expurgato sanguine & exiccato vulnere gossipio, inspergimus puluerem siccum, quem paratum habere debemus ad hoc ex aloe & thure, quo vulnus inspergatur circa digitum, in pauca tamen sit quantitate: deinde accipimus linamentũ imbutum dicto medicamento, & eleuato digito statim super vuln⁹ imponatur, & iterũ statim digitus ponatur super linamentũ ipsum leuiter comprimendo, & sic per consequẽs. At cum vultis eleuare digitum aduertendum est, ne faciatis, vt aliqui faciunt, qui cum volunt eleuare digitum à linamento nullo interposito instrumento insimul cum digito auferunt etiam linamentum; quare vos accepto stylo siue specillo & interposito, antequam eleuetur digitus, ipso separabitis linamentum primum à digito, & ita digitum à secundo linamento, & sic successiue de singulis est agendum. Expleto autem vulnere inspergatur superficies ipsius puluere, deinde ligetur fascia madida vino austero & oleo rosato.

Præceptum.

Sed notandum, q̃ primæ deligationes siue reuolutiones sint super vulnus & sint tres vel quatuor; primę enim tres vel quatuor deligationes fieri debent super vulnus, deinde ascendẽdum est cum fascia versus principia vasorum, vt retrahatur sanguis & fiat ipsius expressio, ne ita facile fluat ad locum, & inibi finiatis, vel iterum ascendatis, quod erit melius firmando fasciam in parte sana, non autem supra vulnus, maneat autem ista prima deligatio vsque ad tertium diem, vt matura sint linamenta imposita incepta concoctione vulneris, quoniam ita fortiter hærent linamenta ipsa, vt si vi & ante hoc tempus auferantur, maximum erit periculum, quod iterum fluat sanguis. Tertio verò die immutantur linamenta: sed aduertendum in eorum immutatione, quod non omnia linamenta ipsa auferri debent, sed sinatis semper linamenta illa, quæ sunt viciniora vasi; alia verò remouentur; vt si, exempli gratia, fuerint in prima vice linamenta decem imposita, auferantur tantum octo, duo relinquendo in fundo vulneris; deinde renouatis octo iterum ligetis modo dicto, sic procedendo donec succrescat caro, quæ obturet substantiã dissecti vasis, quo tẽpore po-

Modus deligandi vulnus colli.

Quid post tertiũ diem agendum.

Præcepta circa linamenta prima auferenda.

Medicamentũ aliud pro sistendo sanguine.

6. ratio sistēdi sanguinem.

Medicamenta adstringentia.

terunt tuto auferri omnia linamenta: quoniam illa, quæ sunt super vulnere, per se tunc solent cadere & cadent. Est etiam aliud simile medicamentum descriptum ab eodem Galeno libro quinto, meth. med. cap. 3. quod quidem constat ex resina frixa: quam colophoniam vocamus: præter ea ex polline farinæ tritici & pauco gypso mixtis cum albo oui. Et eadem est ratio imponendi huius, quæ in primo medicamento existit: at ego, vt verum fatear, magis laudo primum (medicamentum) quoniam nos nunquam fallit. Possumus etiã sanguinis fluxum prohibere constringendo ipsa vasa per medicamẽta adstringentia, & est sexta ratio siue sextus modus sistendi sanguinis ex recentioribus, ipsis medicamentis vtendo extrinsecus applicitis, præcipue quando non possumus digitum commode apponere vasi, nec etiam medicamenta ipsa commode aptare loco: in hoc itaq; casu medicamentis vti possumus adstringentibus, quę tamen frigida sint & adstringant iniiciendo per clysteres ac infundendo in locum, inter quæ primo sunt decocta vel succus ex balaustiis, ex hypocystide, ex rhu vtroque, obsoniorum scil. & coriariorum, ex omphacio, ex acacię præterea quocunque genere, ex gallis immaturis, ex mali corio, ex pini cortice, ex terra sigillata, ex rubrica sinopica, i. e. bolo oriẽtali, ex lapide hæmatite, qui omnia superat, ex quolibet corallo, ex sanguine draconis: omne prætereagenus gypsi cũ crudi tum cocti est optimum: est etiam plantaginis succus, polygoni succus, ex myrtho omnia: succus rubi & lentisci, succus cupressi, hippuridis siue equiseti, mucus etiam ex radice consolidę maioris, quæ omnia conueniunt in huiusmodi vulneribus instillata per clysterem. Sed succus foliorũ porri ac totius plãtæ omnia superat addito succo equiseti, quo medicamẽto quandoq; ego in fluxu sanguinis ex vtero lucratus sum quinquaginta scutatos aureos, & ideo hoc vtor libenter, & crebro: quoniam ipsum experientia comperi optimum. & conficitur in hanc formam:

Medicamentum optimũ ad sistendum sanguinem ex succis.

℞ succ. rad. consol. ma.
polygon. masculi
equiseti an. ℥. ß.
fol. porror. ℥j. misceantur & per clysterem siue syringam In vas vulnerantum iniiciantur. Vtor etiam hoc medicamento in fluxu sanguinis narium & vteri, quoniam hoc nihil fœlicius neq; præstantius inueni. Aliquando autem vtor aquis stillatitiis ex eisdem reb. confectis, opinione illorum postposita atq; neglecta, qui aquas stillatitias nullius esse momenti affirmant; aqua etiam plantaginis in quocunque fluxu maxime facit, & aliquando loco medicamenti cõpositi ex succis. loco succi conficio aquam ex iisdem simplicibus, & ipsa vtor feliciter, imo sciatis, quod magis aqua ista composita adstringit, quam succus iste, quoniam magis penetrat aqua quam succus: & hæc sint satis quantum ad medicamenta adstringentia.

7. Modus sistendi sanguinem.

Anatomes necessitas in hac actione.

Sed quoniam quandoque in his vasis dissectis non satis est pro cohibendo sanguinis fluxu medicamenti adstringentis impositio & vsus, ideo deueniendum est ad exercitationem septimæ rationis siue modi sistendi sanguinis, quæ perficitur per vinculum seu deligationem vasis, à quo sanguis emanat, & hoc p̃cipue cõuenit in arteriis ipsis præcisis & dissectis; deueniamus itaq; ad modũ ligandi. Actio hęc inquam difficilis est, neq; ab omnibus opportune fit, quoniam hanc nisi optimi anatomici perficere non possunt, cum oporteat vt minister talis actionis sciat situm vasis deligãdi, vnde opus est, vt qui talem vult perfecte exercere actionem, anatomen optime calleat, quoniã non vnum tantũ scire debet, sed plura in hac actione necessaria, q̃ per solam anatomen appræhendi possunt; nam non tantum situm vasis cognoscere debet, sed etiam an neruus coniunctus sit cum ipsa arteria necne; prætetea quomodo sit vulnerata arteria, & an simul cum arteria vulneratus sit etiã neruus: Natura enim sic ordinauit ac coniũxit neruos cum arteriis ipsis tanquã corpora frigida vt foueantur à calore arteriarũ. Et ideo aduertendũ est in hac deligatione ne casu chirurgus imponens hamũ liget vtrumq; corpus simul; nã si ligetur neruus, statim pars priuatur sensu ac motu ac stupor sequitur mẽbri: oportet itaq; si neruus sit coniũctus, vt antequã fiat talis deligatio, neruus ab arteria separetur & id vnguibus, q̃ facile fit, & deinde arteriã deligemus, p̃ quo perficiendo Gal. iubet, vt quoq; denudemus arteriã ipsam à membrana, q̃ vestitur arteria ipsa, & ratio est, quoniã ligata ipsa membrana excitabitur dolor: ego aũt nunquã denudaui, quia non datur occasio, sed absq; denudatione hoc feci dũmodo sequestrauerim neruũ ipsum, quoniã licet dolor adsit, adest tamẽ satis exiguus, tolerabilis ac breuis, quare soliciti eritis tantũ de ipso neruo, vt separetur. Aliud p̃terea notandũ est & obseruandũ in deligatione, vt s. deligãtes moderate & nõ arcte stringamus, quoniã si arcte liger̃, periculũ esset ne secaretur vas ipsum antequam carne obduceretur, & sic noua fieret sanguinis fluxio. Materia autẽ qua deligare volumus vas ipsum eligẽda est, quæ nõ sit apta putredini. Sit itaq; filum sericinum intortum ac duplicatum. Sed perquiret aliquis an semper deueniendum sit ad deligationem, cum per deligationem siccetur vas & impediatur alimentũ,

Cur natura neruos coniunxerit cũ arteriis.

Modus deligandi arteriam.

An conueniat deligatio vasis per laqueos.

ne vlterius per vas ipſum deferri ac tranſire poſſit ad membrum ipſum, ſi vena ſit, quæ ligatur; ſi vero arteria, impeditur tranſitus ſpiritus vitalis; vnde videtur non conuenire: Ad hoc autem ego reſpondeo & dico eſſe faciliorem rationem in deligatione ac ſectione venarũ, quoniam licet ſecetur vena magna vel ligetur, vt in exemplo poplitis patet, attamen membrum ipſum nutriri poteſt à venis ipſis intercutaneis, quæ ab eadem vena magna ab inguine in multos ramos diſtribuuntur. De arteria autem ego expertus ſum in arteria poplitis, ꝗ vna ſola tantum eſt; hoc tamen dico mihi ſemel eueniſſe: habui enim infirmum quendam mechanicum cum huiuſmodi vulnere poplitis, in quo (vulnere) oportebat me deligare ipſam, quoniam ſi ſecus feciſſem, ille procul dubio periiſſet, deligaui ergo & ſecta eſt illa arteria, tamen poſt ſpatium anni vnius perſenſi pulſum in arteria in ipſo malleolo: qua ratione autem hoc fiat, ego puto quod ſpatio temporis vulnere iam ipſo conſolidato concurrũt ipſa orificia arteriæ & cõiunguntur iterum, aliam autem rationem fateor me neſcire. Hoc etiam poteſt fieri, ꝙ iterum reſarciatur arteria per callum carneum, qui quidem fungitur officio arteriarũ, & ideo nõ timeatis vſum laqueorũ: impoſito vero vinculo imponatur quoque medicamentũ ſarcoticũ. Et notandũ eſt, ꝙ vinculũ non eſt violenter tractandũ, vel cũ violẽtia extrahẽdũ, quoniã ſucceſſiue p ſe cadet, carne quoq; orificia ipſa vaſis obducẽtur.

Sectio vaſi per tranſuerſum.

Sed quoniam quandoque non datur occaſio ligandi vas, ita vt ſemper ligamento vti poſſimus, quare tunc vaſa ipſa per tranſuerſum ſecanda ſunt: nã hæc eſt natura vaſis ꝓpria, vt ſi ſecetur, recurrant orificia ad ſuum principium atque carne occultantur, ita vt facilius glutinentur, vt etiam ſuperius dictum eſt. ſecatur autem inſtrumento aliquo, vbi eſt vulnus, vt hamo ſecante, & hanc ſectionem docet Galenus lib. 5. meth. hoc modo, vt ſcil. prius eleuemus vas ipſum & tunc imponamus hamum, & poſtea ſecemus. Facta ſectione deinde circumuoluatur vas retorquendo hamum ipſum aliquantiſper, vt ſtringatur, quoniam ſic optime recurrent orificia vaſis. Si autem ſit vulnus profundũ ita quod nos nec ſectione nec deligatione neq; aliis præſidiis ſanguinem ſupprimere valeamus, tunc ad vſtionem ſolemus deuenire, quoniam per hanc inducta cruſta ſiſtitur ſanguis: ſed hoc raro, imo rariſſime facimus, ac etiam moneo vos, vt quantum poſſibile ſit, ab vſtione caueatis, quoniã talis actio & doloroſa nimis eſt & per eam maxima cum difficultate finẽ aſſequimur: incerta enim eſt cura, quoniam ſi caſu aliquo cadat ipſa cruſta, iterum fit profluuiũ ſanguinis, ſed cum facere aliud non poſſumus, neq; alia remedia iuuant, vt in caſu aliquo deſperato accidit, tunc omnia tentanda ſunt.

Modus ſiſtendi ſanguinis per vſtionem.

Ab vſtione abſtinẽdum quantum poteſt.

Primum obſeruandum circa vſtionem.

Si ergo deuenire neceſſum ſit ad vſtionẽ, hęc erunt obſeruãda: primũ vſtio per ferrum ignitum fiat; ſed aduertendum eſt, quantum fieri poteſt, ne exuramus ſanguinẽ concretũ in ipſum vulnus, ſed illum ꝓtius expurgare oportet vino auſtero vel poſca: quoniam ſi vramus ſanginẽ illum, tũc ex hac vſtione fiet, aut vt ſanguis ille ita incaleſcat vt partes etiam vicinas coquat ac vret & vulnus ipſum, aut aliquis grumus exuretur ſic, vt vertatur in carbonẽ, vnde pars hęc ſanguinis craſſior reddita claudat vas ipſum & videatur ſanguinẽ ſiſtere: ſed ſciatis poſtea nõ eſſe inductam cruſtã, & ideo ipſo eliquato vel in pus conuerſo iterũ fiet noua ſanguinis fluxio. quare ſitis in hoc non parũ cauti. Secundũ præceptum ſeruandum eſt, ne in vſtione nimis vratur, ſed tantum teneretis rugationem ipſius vaſis ſiue corrugationem per primam vel ſecundam impoſitionem ferri igniti: prima enim vſtione applicato ferramẽto ignito cõtrahitur arteria, vt patet in mẽbranis ac facile videri poteſt. Secunda autẽ vſtione magis cõtrahitur. Quod ſi addatur tertia vſtio, exuritur penitus vas, vnde facilius poſtea cadit ſubiecta pars ac eſchara ipſa, & ſic fit rurſus noua fluxio. Tertium præceptũ notandũ eſt, quod non ſemper ferro ignito vtendum eſt, ſed quãdoq; medicamẽto cauſtico id fieri ſolet: vnde noſtri medici ac multi chirurgi ſtatim imponunt caliginẽ ſiue fuliginem, ꝙ quidẽ medicamentũ ſatis bonũ eſt: ex hoc. n. inducitur cruſta & ſanguis ſupprimitur. Sed notandũ eſt, ꝙ in partibus apparentib. ac ꝗ oculis ſubiiciũtur, vt in facie, vſus iſtius medicamẽti non placet, neq; eſt cõmodum, quoniã ſemper relinquitur veſtigiũ fuliginis ipſiꝰ denigratũ ac turpe & turpẽ reddens faciẽ, imo nec vnq̃ remoueri poteſt. Alii autẽ imponunt alumen, chalcanthũ, myſi, vel vtuntur Ægyptiaco mixto cũ chalcantho. Alii faciunt hoc cũ aqua illa, quæ dicitur de pauir: alii oleo vitrioli, alii oleo ſulphuris. Cæteri vtuntur trochiſcis de minio Ioan. de Vigo: ſed ſciatis eſſe peſſimũ medicamentũ, quoniam excitant magnum dolorẽ, qui etiã augetur per ſpaciũ viginti horarũ. Ego itaq; in profundis vulnerib. hoc facio: primo conſpicio latitudinẽ vulneris, deinde accipio cannulã arũdinis, ꝗ ſit ſimilis & eiuſdẽ latitudinis cũ vulnere ipſo: poſtea accipio chalcanthũ robuſtiſſimũ, vt eſt illud, ꝙ Vngaricũ dicitur, & hoc ad ignẽ liquefacio, deinde accipio fiſtulã illã arundinis, & in altero eius capite ſiue foramine impono cottonẽ & obduro, ex altero vero foramine expleo fiſtulam chalcãtho eliquato, & ſic permitto vt refrigeretur, poſtea derado

2 Præceptũ.

3 Præceptũ.

Sanguinis ſuppreſſio per medicamenta.

Cauſtica cruſtam inducentia.

Modus proprius ſiſtendi ſanguinis in vulnere profundo.

vel collimo partem substantiæ illius fistulæ siue arundinis ita vt chalcanthum appareat extra fistulam, ab vno scil. capite abbreuiando fistulam, ita vt aliquantulum chalcanthum ipsum sic refrigeratum excedat ipsam, deinde impono siue inicio ipsam fistulã insimul cũ chalcantho in vulnus profundum super vas per aliquod temporis spatium comprimens, moderate tamen, quoniam chalcanthum illud, quod excedit fistulam, colliquatur ab humiditate, & sic inducit crustam, quæ longissimo tempore super vas ipsum perdurat; fistula autem illa potest teneri super vas per horam saltem, vt bene firmetur sanguis.

Sanguinis supressio per retractionem, reuulsionem & deriuationem.

Sed quoniam quandoque non satis est agere circa locum affectum; sed opus est, vt firmetur per retractionem, quod fit per venæ sectionem in parte opposita, vt & aliis possumus vti reuulsionibus, vt cucurbitulis vel deligationibus, aut ablutione loci sani oppositi cum aliqua lotione calida, vt locus incalefactus sanguinem attrahat, & sic fluxio firmetur, vel quandoque deriuationibus vtendum est, quę tamen paruum quandoque afferunt cõmodum: vnde his omnibus non iuuantibus aliqui Empyrici deueniunt ad loci affecti refrigerationem aut alicuius particulę ipsius corporis vsq; ad animi quandoq; deliquium, prius tamen deuenientes ad refrigerationem ipsius particulæ. Si ergo loci affecti refrigeratio fieri debet, fiat hoc modo; perfundatur locus ipse plurima aqua frigida vel posca & petiæ quoq; intingantur & imbuantur ipsa aqua frigida & loco applicentur; vel circumuoluatur ceruix linteolis imbutis vel aqua, vel posca, vel succis refrigerantibus. Si autem velint refrigerare aliquam particulã corporis certam & determinatã, refrigerant testiculos ipsos hoc modo, imponunt testiculos patientis in catinum aceto plenum donec frigidi fiant ac sint; hoc enim multũ facit, imò sępissime hoc facto sanguis sistitur, & pręcipue in profluuio narium hoc felicissime succedit, vnde ego refrigerationẽ summopere laudo. Cum autem nec prima nec secunda refrigeratio succedit, tunc totũ corpus refrigerant, vt in exẽplo, sit vulnus colli cũ sectione arteriarũ vel venarum, & illi empyrici velint sanguinẽ per refrigerationem sistere, tunc implent aliquod vas aqua frigida, & submergunt corpus infirmi totum vsq; ad partem vulneratam, (vulnus enim ipsum submergere nolũt,) & sinunt ægrum manere in illa aqua vsq; ad animi defectum, vulnere tamen permanente, vt dixi, intacto à perfusione, quoniã tunc sanguis firmatur, & postea infirmũ per auxilia à syncope seu animi deliquio subleuant. Sed quoniã dolor & intẽperies calida vt plurimũ sunt in causa fluxionis, ideo cum aderit dolor in vulnere simul cum fluxu sanguinis, aliis non conferentib. tunc ad opiata deueniendũ erit stupefacientia, quæ scil. stupefactionẽ inducant; sic enim & dolor sedatur, & fluxus sanguinis cohibetur. Firmato sanguine curetur vulnus, vt dictũ est in curatione vulneris simplicis. & hæc satis sint, quo ad incisionem vasorum.

Sanguinis supressio per loci affecti refrigerationem, vel alterius partis.

Narium fluxus quomodo sistatur per testiculorum refrigerationem.

Refrigeratio totius.

De Vulneribus spinalis medullæ. CAP. XI.

VVlneratur collum aliquando, & cum tali vulnere scinditur etiam spinalis medulla, & hoc fieri potest duobus modis; aut enim in vna tantum parte vulneratur, vt si punctim aut cæsim exscindatur, aut ex toto per transuersum scinditur. Si ergo hoc pacto fuerit vulnus, vt p. transuersum secetur, lethalis est casus, vnde nõ suscipiatis eius curationẽ spe ducti futuri iuuamenti, quoniã necessario sequitur resolutio partium earum omniũ, quæ infra vulnus existũt, quare tunc indigemus tantũ prognostico, & solo ipso ꝓgnostico sunt relinquendi, quamuis tamen fieri potest aliquando, vt huiusmodi vulnerati superuiuant vsq; ad quartam vel etiam septimã diem ad summũ, neque hanc pertranseunt quin moriantur: tunc aũt temporis, interim scil. si deueniat eiusmodi infirmus, poni poterit quodcunq; & qualecunq; medicamentũ vel oleum, quoniã nihil refert; tunc enim pro satisfactione astantiũ atq; ipsius ægri tantum medemur, & non quia spes sit aliqua salutis.

Prognostica.

Si autem in altero tantum latere sit vulnus ipsum, vt si tãtum pungatur medulla ipsa, vulnus sanari potest, ac aliquando liberatur homo, quamuis hoc rarissime succedat, & ratio est, quoniam cum medulla spinæ sapiat naturam cerebri, non est mirum, si difficillima sint; quinimo sunt difficiliora vulnera huius medullæ, q̃ vulnera cerebri ipsius, quoniam ista vulnera non ita facile ac cõmode curari possunt, vt si essent in cerebro, quoniã in capite possumus dilatare vulnus ac terebrare, & inibi contentam saniem erodẽtem euacuare; in ceruicis aũt vulnere id fieri non potest, tamen ob id non sunt derelinquendi ægri, sed tractandi sunt isti hoc modo, primo scil. facto præsagio de morte certa accita.

Cur medullæ spinalis vulnera sint necessario lethalia.

Euenit etiam quandoq; huiusmodi vulnus cum sectione in vna tantum parte membranæ succingentis medullã ipsam, cuius signum hoc erit, resolutio partium eiusdẽ lateris vulnerati, si autem per transuersum sit vulnerata ac secta, omnium partiũ sequitur resolutio. In huiusmodi autem casu recentiores omnes sanguine cohibito deueniunt ad medicamenta calida & sicca, quæ etiam sint tenuium partium, vt facile penetrent etiam in occul-

Si membrana succingens medullam vulnerata sit in vna parte exigua.

tis

ris vulneribus; ob id enim vtimur talibus, quæ sint tenuissimæ ac liquidissimæ substãtiæ ratione partis, quoniã habemus occulta vulnera, in quibus minima pars collecta potest efficere inflammationem; vtimur ergo oleo terebinthinæ stillatitio. Vtũtur quoq; multi chirurgi oleo hypericonis stillatitio, item oleo lumbricorũ stillatitio. Elyxir etiã istorũ empyricorum cõuenit, ac olea multa sunt apud varios autores ex multis ac variis simplicibus & aromatibus composita. Inter omnes autem chirurgos Ioãnes de Vigo de his vulneribus optimè tractãs dicit, ꝙ vulnera ipsius medullæ eodẽ modo tractãda sunt, sicuti vulnera cerebri, quare semp Medicus debet eadẽ ratione curare & ista vulnera & ista cerebri. At cũ gemina sit via curandorũ capitis vulnerũ, vt diximus, quando de his agebamus, altera q̃ fit p medicamenta lenientia ac mollientia, altera autẽ quæ fit p exiccãtia; Ego semper leniẽte medicamẽto vtor his vt ol. ros. omph. vel ol. ros. complet. vel stillatic. vel misceo oleũ omphacinũ cum succo rosarũ nisi penetratiuũ satis videatur, & facio destillare oleũ per alẽbicum: habet enim hoc vim penetrandi, roborãdi ac leniendi. Si aũt adsit inflammatio, cõtinuo vulnus abluere soleo cũ lacte muliebri: sed quoniã partium etiam adiacentiũ ratio est habenda, cumq; omnia loca neruosa foueri debẽt, ideo ego in tali casu totã spinã inũgo aliquo oleo calefaciẽte, & non solũ spinam sed ẽt scapulas & alas & inguina, in quorũ etiam cauitate sunt nerui insignes, hoc bis vel ter in die faciẽs, oleum aũt quo ego vtor, fit hoc modo: ℞ ol. mastichini, chamæmelini, ping. gallin. an. ℥ß. ol. lil. alborũ ℥j. vel è conuerso ol. lil. ℥ß. aliorum v. an. ℥j. misce & inunge. sed quoniã mihi magis familiare est emplastrũ illud Hippocratis quod constat ex farina hordei, ol. ros. & posca, ideo ipsum vobis propono imponendũ super vulnus matutina hora ac vespertina etiã renouãdo; inest enim in eo maxima vis in prohibenda inflãmatione. Verum aliquãdo solent vulnerari nerui sexti paris neruorum cerebri, q̃ per colũ transmittuntur ad interiora thoracis, sed quia eadẽ est curatio cum aliis neruorũ vulneribus, ideo de his suo pprio loco inferius agemus, dum s. de curatione vulnerum neruorum tractabimus. & hæc de vulneribus colli satis sint.

Oua calida exiccantia.

Si adsit inflammatio.

Si vulnerantur nerui colli.

De Vulnerum thoracis cognitione, & potissimum de signis vulnerum penetrantium. CAP. XII.

DEueniẽtes modo ad vulnera thoracis, in quibus maxima est opus anatomes cognitione, & potissimum quia non est commodum vt anatomen explicem, cum vos ex vobis metipsis in memoriã partes in ipso contentas reuocare poteritis. Thorax enim est contextus ex neruis, costis, membranis, musculis ac cartilaginibus, addamus etiã partes contentas, arteriã magnam s. venam cauam capsulã cordis, cor, pulmones & diaphragma, q̃ partes omnes in vulneribus thoracis lædi ac vulnerari possunt.

Partes constituentes thoracem.

Necesse est ergo vt Medicus distinguat, quoniã si aliqua harum pars vulnerata sit, fieri non potest, quin & alia aliqua vulneretur, & vna vulnerata, necessum est & alias aliqua vulnerari. Sunt itaq; huiusmodi vulnera ex Gal. lib. 5. meth. c. 9. duorũ generum; quędam enim sunt penetrantia, quę quidem curatu difficillima sunt ac etiam periculosa & vt plurimũ lethalia; quædã non penetrantia, vt quando tantũ vulnerantur musculi aut costæ, quæ etiã difficilia sunt pꝓter motũ thoracis assiduũ: sed primo agamꝰ nos de his nõ penetrãtib.

Vulneris penetrantis prognostica.

Si itaq; vulnus thoracis sit non penetrans, tractandũ est ea ratione, qua tractanrur omnia vulnera simplicia. Si autem costa detecta sit, debemus eam abradere vsq; ad meditullium, siue vsq; ad succum sanguineũ, deinde vulnus vt simplex consolidare. Si vero fracta sit costa, debemus eam in suum locũ restituere & curare eo modo, quo fracturæ curantur, vt s. primo optime detergatur, qua detersa deinde vulnus consuatur, postea imponendum est medicamentum agglutinatorium siue sarcoticũ, ꝙ est barbarũ ipsum, sed ego quandoque non solo barbaro vtor sed alio aliquo emplastro, vt quãdo accidit, ꝙ vulnera ipsa intorta sint, dũmodo munda sint, consuo, & arcte ligo & continue affundo vinum austerũ: aliquando etiam vtor emplastro ex rad. consol. maior. hoc modo confecto: ℞ rad. cons. maioris, contũdantur & coquãtur in vino austero, deinde illi admisceatur vel oxymel vel mel putũ & formetur emplastrũ quod superponatur vulneri, quoniam satis feliciter succedit.

Non penetrantis curatio.

Empl. ex radice consol. maioris.

Si autẽ vulnus penetrans sit, nullũ tamen ex contẽtis lædat, periculosum quidẽ est, nõ tamẽ lethale. At si vulneretur cor, vel iecur, aut vena caua vel arteria magna, siue alia pars contenta, ista sunt vulnera lethalia & necessario. at si pulmo vulneretur, tale vulnus non est necessario lethale, sed vt plurimũ. Cognoscimus autẽ vulnus penetrãs variis rationibus & primo à causa extrinseca, vt ab instrumento ipso feriente, vt si fiat vulnus cum pugione vel alia re pungẽte, & ideo latum sit ipsum vulnus in exteriori parte, signũ erit, quod penetrat, maxime autem si fiat à re pungente: sed signũ hoc non est sempiternæ veritatis, & hoc ratione instrumẽti, quia aliquando ẽt instrumenta lata sunt in apice, & ideo interrogãdus est

Præsagium in vulnere penetrante cum læsione contentorũ.

Signa vulneris penetrantis.

ęger à quo inſtrumento vulneratus fuerit. Secundum ſignum colligimus ab impoſito ſpecillo, dummodo tamen vulnus intortum non ſit vel muſculi non ſint inflammati, ita vt non poſſimus ſtylo reinueſtigare: quare oportet maximam habere patientiam, ac diligenter perquirere & deuenire ad alia ſigna, & notandum eſt, quod dixi, vulnus latum in parte exteriori eſſe ſignum penetrationis. Sed ſæpe fit vulnus à ſagittis atque à pugionibus illis ſtylis dictis, & tum non adeſt latitudo in exteriori parte ipſius vulneris, tamen vt plurimũ talia vulnera ſunt penetrantia & ex hoc fit. Tertia ratio cognoſcendi vulnera quæ penetrant, eſt coniectura ipſa, quare latitudo ſupeficialis non eſt ſemper verum ſignum & infallibile penetrationis ipſius vulneris. Quarta ratio ſignorum habetur ex difficultate reſpirationis, nam aliquando ſi tangantur partes circumpoſitæ, videntur ac apparent veſicæ quædam ſub manibus tangentis, & videntur veſicæ illæ frangi. Ex quo colligitur quod talia vulnera penetrent, ratiu autem huius rei eſt, quoniam muſculi ſæpe interponuntur ita vt flatus non poſſint egredi ſed retinentur & ex his cauſantur veſicæ illæ, vnde poſtea ab ipſis fit difficilis reſpiratio & aliquando ita muſculi interponuntur & claudunt, vt neque etiam ſpecillo ſiue ſtylo vulnus penetrare poſſimus. Quinto cognoſcitur vulnus penetrãs ex ingrediente & egrediente aere cum adeſt maxime reſpirandi difficultas: hoc autẽ cognoſcimus oppoſito lumine ad os ipſius vulneris vel appoſito bombyce ſuper vulnus. Sed ſciendum eſt, quod vulnera hæc thoracis maxime Medicum decipere poſſunt, quoniam aliquando etiam non adſunt iſta ſigna, tamen vulnus penetrat, & ideo Medicus oculatus ſit ac omnia tentet & perquirat in tali vulnere inueſtigando, ne decipiatur. Si autem penetret vulnus thoracis & lædat partes contentas, Gal. lib. 5. meth. cap. 9, & ſect. 6. aph. 18. & etiam Celſus lib. 5. ac plurimis aliis in locis teſtantur, quod vulnera thoracis penetrantia vt plurimum ſunt lethalia, quare prognoſticis in hac parte maxime indigemus. Sed cum hactenus poſita ſint ſigna vulneris penetrantis, videamus modo quibus ſignis poſſimus cognoſcere vulnera cor ipſum lædentia.

Signa vulnerati cordis.

Signa ergo cordis vulnerati ſunt hæc: Primo ſi vulnus ſit in ventriculo dextro cordis, ſanguis effluit niger cum magna vehementia: Si autem vulneretur ſiniſter ventriculus, effluit copia ſanguinis vehementer rubri: Secundo habemus ſyncopen: frequenter enim animo concidunt: tertio habemus ſudores frigidiſſimos ac etiã frigus partium omnium corporis: quarto adeſt caſus ipſius pulſus, ac poſtremo mors repentina fit. Sed nõ eſt neceſſarium, quod ſolliciti valde ſimus in huiuſmodi vulneribus, quoniam talis eſt præſtantia ipſius viſceris, (cordis ſcil.) vt omnes, qui ſic vulnerati ſunt, repente vel cito inſimul cum ſanguine animam effundant, & ideo in his non indigemus ſignis. Signa enim requiruntur pro curatione morborum ſignatorum, at hæc vulnera curatione non indigent; quoniam non curantur, & mors ſuccedit ante curationis initium, ideo ſignorum tractatio eſt ſuperflua.

Signa vulneratorum pulmonum.

Signa vero pulmonis vulnerati vt plurimum habemus ab exeunte ſanguine, quia ſanguis egrediens aliquando ruber eſt, aliquando vero niger, ſemper tamen ſanguis talis egrediens ſpumoſus eſt, niger vero quandoq;, quoniam ibi adſunt vaſa talem ſanguinem continentia. Secũdo cruciatur æger perpetua tuſſi cum eiectione ſanguinis ac reſpirationis difficultate. Tertio ſolet taliter vulneratus inęqualiter incaleſcere ac refrigerari, & pręcipue eius facies. Quarto adſunt etiam dolores, ſed vt plurimum potius grauantes. Sed notandum ac animaduertẽdum eſt maxime, quod aliquando in his vulneribus decipiamur, quoniam quandoque vulnerantur pulmones, & tamen hæc ſigna non adſunt neque apparent, exceptis ſputaminibus ſanguineis: vnde quoties præ manibus habebitis talia vulnera recurratis ſtatim ad ſputamina, quæ ſanguinolenta perpetuo apparent.

Signa vulnerati diaphragmatis.

Si autem diaphragma vulneratum ſit, primo cognoſcitur, quia adeſt difficultas anhelitus, ſecũdo adſunt dolores magni ac punctiones continuæ in hypochondriis, aliquando etiam adeſt grauitas: præterea habemus tunc tuſſim inſignem ac reſonantem, præterea alienationem mentis, & ideo φρένες à Græcis dicitur & hoc ratione maximi cõſenſus, quem habet cum cerebro ipſo, inſuper febris adeſt ac maxima difficultas, ingerendi cibaria ac poſtremo cadit appetitus ipſe. Si autem vulneretur vena caua vel arteria magna, iſta vulnera cognoſcemus ratione materiæ egredientis, exit enim tunc maxima ſanguinis copia, ſanguinis autem nigri, ſi vena caua vulneretur, rubei vero, ſi arteria.

Arteria vel Vena magna.

Adeſt præterea grauitas ratione ſanguinis extrauenati contenti in thorace ipſo.

Sanguinis putridi in thorace.

Et ſi caſu ſanguis hic putreſcat in thorace, hoc cognoſcitur per ſputamina, quæ fiunt putrida ac fœtida.

Sanguinis grumosi collecti in thorace.

Si vero ſanguis concretus in ipſo thorace copioſus collectus ſit, cognoſcitur primo ex vulnere ipſo, ſecundo ex eius ſitu ac latitudine: quoniam ſi ſit tam latum vulnus, vt vtramq; coſtam oppoſitam tangat, tunc coniectura aſſequimur inciſas eſſe venas atq; arterias, & per conſequens adeſſe ſanguinis collectionem, quæ etiam totum thoracem replebit: fieri enim non poteſt in eiuſ-

eiusmodi vulnere, vt nō secetur aliqua vena vel arteria intra costas contenta & ex illa sanguis profluens totum thoracem non impleat. Secundum signum contenti sanguinis in thorace est hoc, quando scil. si statim ad uocati simus, videmus vulnus penetrans, & volumus tunc educere aliquam partem sanguinis ibi contenti, & ideo tunc dilatamus vulnus, quo facto nihil sanguinis egrediatur, sed cū peruenerit ad orificium ipsius vulneris, videmus ibi multas ampullas fieri, certum signum hoc erit sanguinis contenti, qui propter attractum aerem à pulmonibus ampullas illas procreat, quæ deinde non sinunt reliquum sanguinis egredi. Tertium signum sanguinis collecti in thorace est, quādo æger sentit grauitatem aliquam in thorace persentitq; dolorem grauatiuum.

De Curatione vulnerum thoracis quorumcunque, & præcipue de euacuatione sanguinis collecti & grumosi contenti in thorace.

Cap. XIII.

Si vulneretur thorax absq; q̃ vulneretur ac lædatur aliquod membrum contentorū in ipso, quod plerunq; accidit, præcipue si vulnus sit in sinistra parte thoracis, in qua pulmones nō sunt colligati membranæ succingenti costas; cuius oppositū est in dextra, quoniam in ipsa sunt colligati ipsi membranæ, sed vel sit in dextra vel in sinistra, dummodo cōtenta in ipso thorace illæsa cognoscantur & sint, varia est secta chirurgorum in his vulneribus curandis. Quidam .n. volunt, vt statim consuatur vulnus, deinde medicamentis agglutinantibus sanetur. & ratio est, quoniam, dicunt isti, seruato vulnere aperto, refrigerabitur pulmo, quo modo refrigerato multa incommoda sequentur, atq; curatio vulneris ipsius difficilis fiet & reddetur. Alii autem aperta seruari debere talia vulnera absq; consutione. & ratio ipsorum est, quoniam materia ibidem collecta, si consuatur vulnus & agglutinetur, putrescet, ac febres faciet, quæ postmodum homines iugulare possunt: Multi quoq; dicunt ipsi, ex eiusmodi curatione fiunt empyematici; qua de causa oportebit postea secare thoracem in altera parte ad euacuandam materiam illam; nec obstat, dicunt isti, quod allegarint alii, imminere pulmonum refrigerationem ob ambientem aerem, quoniā possunt artificio temperari ac calefieri prout videbitur. Guido autem noster diligentissimus vtramq; sectam expertus eligit quoq; ex vtraq; (secta) medium; aliquando enim huiusmodi vulnera consuit & agglutinat & aliquando nonitunc autem consuendum vulnus ait, quādo certi sumus sanguinem non esse collectum ac copiosum in cauitate thoracis esse concretum, vt habetur ex signis propositis. Si itaq; paruum sit vulnus, ita vt ratione vulneris cognoscemus, non esse sanguinem ingressum in thorace, præterea nulla sit grauitas, nullumq; pondus persentiatur ab ægro, neq; sanguis regurgitet spumosus ad os vulneris, nec vllum signum aderit quod arguere possit sanguinem esse contentum in thorace concretum, tunc possumus consuere tuto atq; agglutinare. Ego autem dico non esse admodum sollicitandum de consutione ipsa, quoniam ratio hęc anceps est plerunque.

Si sit vulneratum thorax absq; læsione contentorum. Secta variæ chirurgorum in curandis vulneribus non penetrantibus.

Modus proprius.

Bene verum est, quod, si cōsuatur, deueniendū sit ad agglutinantia & exiccantia medicamenta tam per interius quam per exterius applicanda: per interius quidem, vt est radix consolidæ maioris, quæ habet vim agglutinandi: per exterius vero vt est emplastrum barbarum, & ea etiam, de quibus inferius agemus.

Si autem vulnus non sit consuendum & adsit sanguis collectus atq; in grumum conuersus in ipso thorace hoc faciendum erit, primo obseruandum ac cōsiderandum an vulnus rectum sit vel obliquum, quamuis raro accidat, quod vulnera hæc non sint intorta. Secundo considerandum est, an amplum vel angustum sit vulnus, quoniam si intortum sit, sectione rectum fieri debet: si autem erit angustum, amplum etiam reddere debemus per facta sectionem.

Si sanguis collectus sit in thorace.

Notandum est tamen, quod caute procedendum sit in sectione, ne venam vel arteriam secemus, quare semper ad inferiora facienda est sectio, quia in parte costæ superiori sunt dicta vasa, videl. arteria & vena, & ideo ne ipsa vasa secemus, semper est facienda sectio super costam inferiorem, nam in parte inferiori costæ superioris collocata sunt dicta vasa. Facta sectione imponatur linamentum imbutum albo oui: linamentum autem sit crassum, vt ampliet vulnus, ac magnum, vt sistatur sanguis; molle, ne dolorem excitet: sitq; breue, ne pulmones attingat; latum tamen, ne totum ingrediatur in ipsum vulnus ne cadat in thoracem: vt itaq; tuti atq; cauti sitis, traiiciatis linamenti caput filo, ne in thoracis cauitatem intret, si enim cadet, arrepto filo extrahi poterit. Posito itaque albo oui inungatis thoracem cum ol. ros. quo facto supraponantur vulneri lintea madida vino austero, atque ol. ros. vt dolorem mitigemus ac inflammationem impediamus.

Modus secandi super costas. Linamentū pro thoracis vulnere quale esse debeat.

Illinitio partium adiacentium.

Medicamenta eliquantia sanguinem concretum.

Secundo autem die tentanda est sanguinis eductio, & ideo opus est, vt infundamus liquorem aliquem in vulnus ipsum, qui grumos sanguinis concretos dissoluere valeat: in hoc autem casu Galenus infundebat melicratum vel aquã mulsam. Recentiores autem infundunt aquam hordei mulsam, vel aquam furfuris tritici mulsam; aliquando autem miscent oxymel ad quantitatem libræ j. Ego autem hoc vtor feliciter; recipio syr. myrtini & mellis rosati æquas portiones & infundo ad ℥ij. hoc enim medicamentum maiorum est virium, & quoq; infusum in hac pauca quantitate potest diutius detineri in thorace ipso, nam debet permanere vsq; ad alteram diem per spatium scil. 24. horarum, quia non facit grauitatem aliquam. Aqua autem mulsa non continetur tanto spatio, quoniam si tanto tempore sineretur ibi, tussim excitaret nimiam. Aliquando etiam ego impono & misceo diamoron cum melle rosato; hoc enim roborat & dissoluit & sanguinem sistit; Et hoc potissimum facio, quã do credo pulmones vulneratos esse, additis etiam iis, quæ consolident. Si verò infundimus aquas dictas, voluatur æger hinc inde, deinde tenteti, vt egrediatur aqua, quoniam quandoq; sanguis concretus egreditur etiam cum ipsa. Cum autem materia iam eliquata ac dissoluta erit, educenda est.

Quot modis sanguis concretus educatur.

Materia autem eliquata variis modis educi potest, sed tribus potissimum. primo enim eius eductio tentari potest per decubitũ, vt si æger supra latus vulneratũ decumbat, situq; facto vulneris inferioris cum reliquarum partium. Sed quoniã quandoq; pulmo super os vulneris labitur, ita vt impediat ne materia in thorace contenta egrediatur, ideo imponatis fistulam vel specillum in vulnus ipsum, ratione cuius attollantur & propellantur pulmones obtegentes vulnus ipsum: sed animaduertendum est, ne tale instrumentum pungat, quoniam fieret nouum vulnus.

Secunda ratio educendæ materiæ est, quod æger tussiat, quoniam ex motu illo, qui fit per tussim, agitantur pulmones ipsi, ita vt materia facilius propellatur & euacuetur siue egrediatur.

Piulci instrumento descriptio.

Tertia ratio educendæ illius materiæ proponitur à Galeno, qui iubet vt materiam hanc extrahamus per instrumentũ illud q; piulcum vocatur. quale autem illud fuerit apud antiquos, ego penitus ignoro: vidi tamen hoc nomine vocatum instrumentũ apud empyricos quosdam, quod quidem erat huius figuræ, erat quasi pomum vel pila ænea excauata. in cuius cauitate possit contineri lib. j. liquoris: erant autem in hac pila duæ cannulæ, quarum altera erat longa ex vna parte, ex altera autem cannula breuior, & eius vsus hic fuit: Imponebatur cannula longior in vulus thoracis, breuiori verò applicabatur os, & suctione extrahebatur sanies contenta: quicuid autẽ extrahebatur, cadebat in pilam seu pomũ. Sed huius instrumenti vsus mihi videtur nimis sordidus atque periculosus, quoniam licet materia per suctionem siue anhelitum attracta cadat in pilam ipsam, fœtor tamẽ ipsius materiæ attrahitur in os operantis & attrahentis, qui fœteor postea potest sugentẽ phthisi inficere, quare instrumentum hoc ego non probo.

De Consolidatione vulneris, quot modis ea fieri possit, & per quæ, & qualia sint talia medicamenta cum simplicia tum composita. CAP. XIV.

Quot modis consolidantia applicari possint.

FActa euacuatione materiæ contentæ siue sanguinis grumosi ex ipso thorace, vulneris ratio habenda est, imponendo medicamenta consolidantia. Sed quoniam ista vulnera tripliciter possunt consolidari; vel scil. per medicamenta iniecta in ipsum vulnus, vel per os exhibita, id est, per linctũ: vel per exterius administrata & supposita, ideo tripliciter etiam huiusmodi consolidantia applicantur: vel enim iniiciuntur in cauitatem thoracis, vel linctu assumuntur ac deuorantur, vel exterius applicantur. Hæc autem consolidantia debent esse exiccantia atque adstringentia. Componuntur autem hæc medicamenta consolidantia ex duplici materiæ genere: alia enim componuntur ex plantis ac animalium partibus, alia ex metallicis. Sed aduertendum est, quod metallica hæc pessima sunt in huiusmodi thoracis vulneribus, quoniam si cadant in ventriculum, cum ipse illa digerere nõ possit, sic necessario in venenum conuertuntur: excipiuntur tamen ex his metallicis quatuor tantum, quorum primum est terra sigillata, secundum bolus armena, tertium rubrica sinopica, id est, bolus orientalis: quartum vero est lapis hæmatites. Aduertendum est tamen, quod hęc metallica sunt in pauca quantitate exhibenda, reliqua vero omnia metallica mala sunt: dixi autem illa quatuor etiam in pauca quantitate esse administranda, quoniam etiam hæc thoracem adstringunt & respirationem impediunt, reliqua vero mala omnia esse, quoniam hæc thorax perferre non potest; quare cauendum est ab his tam per linctum quam alio modo, vel scil. ad deuorandum vel quoquo modo vtendum: caueatis ergo

Materia cõsolidantium quotuplex sit.

Quibus metallicis vti possimus in thoracis vulneribus & quibus non.

ergo ab omnibus metallicis exceptis illis quatuor modo, quo dixi: quare tutius erit deuenire ad ea adstringentia & consolidantia, quæ ex plantis vel animalium partibus assumuntur, quoniam hæc periculosa non sunt ac facile concoquuntur, vnde magis opportuna sunt. Sunt autem hæc duorum generum: quædam scilicet simplicia & quædam composita. Simplicia sunt vt gummi Tragacanthæ, gummi Arabicum, hypocystidis succus, balaustiorum, citini, gallæ immaturæ, maliciorum, rhus obsoniorum, rosæ, acacia omnis, decoctum citoniorum, lentisci decoctum, terebinthini decoctum, ex myrtho omnia, ex rubo omnia & præcipuè rubi decoctum factum in vino austero, cui decocto addatur manna thuris, aloe, rhaponticum, & illa quatuor metallica dicta, videlicet terra sigillata, bolus armena, rubrica synopica, & lapis hæmatites. *Consolidantia simplicia.*

Ex recentioribus autem præstantissima sunt hæc, quibus & ego vtor, vt primo tormentilla vtraque & illa, cuius radix est rotunda, & illa etiam, quæ longam radicem habet, fœnicula vtraque, mas scil. & fœmina, sed omnia superat præcipue mascula: tertio pilosella omnis, præcipue illa, quæ serpit: radices symphyti vel consolidæ maioris, pimpinella, garyophyllata: quæ optima est in hoc casu cum aliis medicamentis mixta: folia oliuarum tenera etiam sunt opportuna. Aliqui ex recentioribus addunt rhabarbarum, quod quidem optimum est, atque mumiam, quæ maximam habet vim, & à me quoq; maxime laudatur. & hæc sunt simplicia.

Composita autem remedia pro tali casu varia sunt, inter quæ à Gal. lib. 5. meth. duo proponuntur, primum diaspermaton vocatum, alterum vero diacassia. Sed notandum q; habemus apud varios autores varia inscripta medicamẽta sub hoc nomine diaspermaton, hoc est, de seminibus dicto: nam apud Paulum est quoddam emplastrum hoc nomine vocatum: apud Aetium etiam & reliquos, quæ differunt ab hoc descripto ab ipso Galen. præterea est etiam apud eundem Gal. in lib. 2. de comp. med. secũd. loc. emplastrum quoddam diaspermatum vocatum, quod quidem maximam habet vim sistendi sanguinis, sed neq; hoc; quoniam in eo sunt multa ingredientia calida, quæ vim habent potius dilatandi vias & proinde aperiendi ac dilatandi orificia venarum. Apud Nicolaum Myrepsium ego inuenio medicamentum diaspermaton vocatum in eius opere de antidotis pag. 108. quod conficitur ex melle & aqua pluuiali, quodq; optimum est in hoc casu. habet. n. vim sistendi sanguinẽ, siccandi, astringendi atq; agglutinãdi: hoc ergo felici cũ successu vsus sum persæpe. Illud vero, quod in eiusmodi casu propositum est a Gal. sub nomine diacassia, ignoratur ab omnibus, quamuis per hoc intelligat Auicennas, vt refert Guido, diapodion vel diatragaanthum: Quid autem voluerit Galen. per diacassiam, ignoramus quidẽ omnes. *Consolidantia composita.* *Varia medicamenta diaspermaton dicta.* *Diacassia.*

Cum ergo non possimus habere medicamenta in hoc casu proposita ab antiquis, nos deuenie mus ad ea composita, quæ habemus in officinis parata: sunt autem hæc triplicia; vt primo trocisci de spodio, qui preciosi sunt in vulnerib. thoracis. habẽt. n. vim siccandi & glutinandi sine aliqua noxa: secundo habemus trociscos de terra sigillata: tertio trociscos de charabe, qui sunt medicamentum opiatum & optimum in sistendo sanguine ac sopiendo dolore. Cum ergo hæc maxime conueniant in dictis vulneribus, his itaque vtamini, quoniam optima sunt omnia. Cum autem nos eduxerimus sanguinem è thorace, opus erit vt consolidemus cum dictis, atq; prohibeamus amplius sanguinem resudare è venis ipsis, pro quo consequendo nostri Medici solent exhibere per os rhabarbarum tentantes talem consolidationem per exhibita per os, vel mumiam exhibent addendo etiam rubiam tinctorum: Sed sciatis hanc esse malam commixtionem, quoniam licet rubia tinctorum habeat vim resoluendi grumosum sanguinem, tamen aperit venarum orificia & incitat fluxum hæmorrhoidarum ac vteri: quare ego in prima visitatione exhibeo rhabarbarum cum mumia in hanc formam: *Composita consolidantia efficaciora.*

℞ fl. cass. ℥j.
rhab. robustioris, id est, acerbioris ℈iij.
mumiæ ℈j.
pulu. hyssopi ʒj. misce, f. bolus. *Bolus in prima visitatione exhibendus.*

Vel fiat in formam potionis hoc modo;

℞ pulu. rhab. ʒj.
mumiæ ℈j.
terr. sigill. vel boli orientalis ℈. ß.
vini granatorum
aq. bugloss. an. q. s. misce. f. potio & exhibeatur: *Potio.* Ex his enim subductionem habemus alui ac vasorum roborationem & consolidationem. In cauitatẽ autem thoracis infundatur syrupus myrthinus, vel mel rosatum addita decoctione ex tormẽ- *Decoctũ infundendum in cauitatẽ thoracis.*

tilla, fanicula, garyophyllata, radice cõsol. maioris q.f. quę infundatur in vulnus, vel ego ad Idem conficio syrupum ex sumach, manna rhuris, aloe, malicorioque addito syr. myrthino ac melle rosato & infundo. Possumus etiam capere illa quatuor metallica, vel potius aliquod ex his in pauca tamen quantitate dicto decocto addentes, & postea infundo in vulnus ipsum huius decocti ad quantitatem ℥ij. Exterius autem explere soleo vulnus linamento madido oleo abietino cum melle rosato vel cum ol. mastich. aliquando autem, vt citius caro generetur, addo myrtham, thus & aloen. In exterioribus vero supra vulnus ac supra linamentum impono aliud linamentum ex petia linea infectum siue imbutum ex oleo rosato & vino austero; vel etiam pono ceratum rosatum, deinde ligo cum pannis madidis vino austero & ol. ros. vt inflammationem impediret. Transacto autem tempore inflãmationis, si multa emanat sanies, solemus applicare exiccantia & consolidantia, vt esset emplastrum ex radicibus consolidæ maioris, bolo orientali & melle; vel radices consolidæ maioris cum albo oui & melle contusas simul, vel imponimus diapalma vel barbarũ quandoq;. Circa thoracem autem, si aderit dolor in respiratione, foueatur vino & ol. amyg. dul. vel mastichino: vel accipimus oleũ viol. & ol. amygd. dulc. addito vino & locum fouemus. Ego autem præterea quotidie syrupum exhibeo matutina hora confectum ex decocto betonicæ, vel aqua fol. portul. vel etiam eius decocto vel polygoni, aut radicibus consolidæ maioris, his etiam addito syrupo myrthino vel melle rosato q.f. Ante syrupum vero aliquãdo exhibeo pilulam vnam factam ex trociscis de spodio, ex terra sigillata æqualiter mixtis, pondus autem pilulæ sit ℈j. Si vero adsit dolor, facio pilulam ex trociscis de charabe, quoniam magis facit ad doloris mitigationem. sed aduertendum est, quod vulnera hęc multoties ita protrahuntur in longum tempus, vt ex collectione materiei & retentione succedat aliud peius, de quo infra.

Syrupus infundendus.

De Curatione vulneris illius, in quo ex saniei collectione successit empyemia.

Cap. XV.

QVoniam autem rari sunt, qui vulnus thoracis alicuius momenti passi sint, qui demum non fiant empyematici propter collectam & retentam saniem in ipso thorace: quare in hoc casu, quando scil. iam facti sunt empyematici, duo sunt obseruanda, quorum primũ est, an possit euacuari materia per ipsum vulnus, atq; educi sanies collecta vel non, & si potest, laudo maxime, vt euacuetur per vulnus ipsum. Secundum obseruandum est, quod si potest euacuari per vulnus, opotter, vt nouum faciatis vulnus per sectionem factam inter sextam & septimam costam, vt exinde sanies educatur ac euacuetur. Euacuatio autem saniei dupliciter tentatur, vel s. quod perpetuo euacuetur per impositam cannulam, quæ cõtinuo feratur in vulnere facto denuo: secundo modo si non potest perpetuo euacuari, saltem id fiat statutis temporibus, vt s. bis in die saltem, quod fiet per reuolutionem corporis patientis super ipsum vulnus: tertio oportet vt exiccetur fortissime. quarto formamus fistulam ex aliquo metallo, & hanc imponimus in vulnus, vt per illam sanies egrediatur, & non detineatur in thorace: hæc enim sunt agenda in empyemate.

Saniei euacuatio duplex.

Agenda in empyemate.

Pro exiccatione autem facienda debemus abluere quotidie vulnus aliquo decocto exiccandi vim habente & hoc modo confectum. ℞ rad. consol. ma. fol. pilosellæ, oliuarũ, agrimon. betonicæ, sumach, rad. liquirit. ad placitum, & ex his fiat decoctum in vino potẽti & abluatur thorax, Si vero adesset febris, fiat decoctio in vino non potẽti & austero: possunt etiam decoqui in aqua chalybeata cum vino mixta, quod melius erit, & hæc cũ melle rof. mixta infundo in vulnus bis saltem in die, sed rursus ex vulnere extraho per reuolutionem corporis super os vulneris,

Decoctum exiccans saniem ad abluendum vulnus.

In exterioribus autem imponuntur medicamenta vel emplastra facta ex radicibus consol. maior. addita tormentilla, agrimonio & melle rof. q. f. vel etiam impono emplastrum sacrum vel cochleas contusas cum baccis lauri addito melle. Sed si adsit febris, omittantur baccæ lauri, loco quarum addantur radices consolidæ maioris: nostri vero recentiores solent exhibere medicamentum secundum hanc formam. ℞ rad. garyophyll. sem. cannab. artemis. chamomill. rub. rinctor. centaur. min. costi ad placitum, & in vino cõficiunt decoctum. sed hoc medicamentũ mihi non satisfacit, ideo eo non vtamini, quoniã habet aliqua ingredientia, quæ vim habent aperiendi orificia venarum.

Emplastrũ exterius applicandum.

Medicamentum recentiorum.

Ego itaq; medicamentũ efficio secundum hanc formam, quo vtor feliciter, ℞ rad. garyophyl. rad. filicis vtriusq;, maris s. & fœminæ, sem. centaur. maior. rhapontic. rhabarb. exoleti, coquantur in vino, deinde colentur & ad vsum seruentur. Cum vero hoc vti volumus, addimus mel rosatum vel syr. myrthinum & exhibemus in mane pro syrupo.

Medicamentum propriũ.

Verum

Si ſuperueniat fiſtula.

Verum quia multi ſunt homines, qui ſanari ex toto non poſſunt ab huiuſmodi vulneribus, ſed remanet fiſtula, non ob id dubitandum eſt, ſed potius audacter fiſtulam aliquam ex aliquo metallo in ipſum vulnus immittendum & in eo geſtandum, quoniam tunc ſalus infirmo eſt promittenda; ſed in ipſa fiſtula ponatur ipſa cannula, vt per ipſam ſanies ſenſim ac ſenſim egrediatur. Ego enim aliquos vidi ſic vulneratos, quibus tales ſuperuenere fiſtulæ, & cum ipſis fiſtulis per ſpatium 30 & etiam 40 annorum ſuperuixiſſe & abſq; aliqua læſione: vidi etiam quamplurimos, quibus poſt aliquot annos ipſa fiſtula per ſe fuit agglutinata & ſic ſanati ſunt & nihil mali paſſi fuere: inſtituatis ergo in his optimã victus rationẽ, de qua nunc non eſt, vt agamus, & hæc ſatis ſint dicta de vulneribus thoracis cũ penetrantibus, tum extrinſecis.

De Vulneribus abdominis, de eorum differentiis, de ſignis quarumcumq; partium contentarum vulneratarum, & de præſagio in eis faciendo.

CAP. XVI.

SI quis recte voluerit omnia vulnera ſanare, opus eſt, vt ſit exercitatus in anatome ipſa, ratione cuius optime cognoſcat ſitum viſcerum omnium internorum ac partes omnes ab eo contentas; & hoc intelligo & dico etiam de quocunque vulnere cum thoracis ipſius, tum etiam ipſius abdominis. At cum de thoracis vulneribus in ſuperioribus iam tractauerimus, tranſeundum eſt modo ſic ordine poſtulante ad abdominis vulnera.

Quid per abdomẽ hic intelligatur.

Per abdomen autem intelligimus ventrem inferiorem ſeu partem illam totam quæ continet epar, lienem, ventriculum, meſenterium, venam cauam, inteſtina, renes & veſicam.

Diuiſio vulnerum abdominis.

Abdominis autem vulnera in duplici ſunt differentia; ea enim diſtinguimus in vulnera ſimplicia ac non penetrantia, & in penetrantia atque compoſita: quoties enim vulneratur abdomen, vulneratur aut vulnere ſimplici & non penetrante, aut penetrãte & compoſito hoc eſt, cum vulnere quoq; & læſione particulæ alicuius contentæ. vel etiam hoc modo diſtinguimus, vulnera abdominis vel ſimplicia ſunt vel compoſita; & hæc compoſita vel penetrantia ſunt vel non penetrantia: penetrantia deinde vel ſunt cum læſione internorum viſcerum vel abſq; læſione.

Signa vulnerũ penetrantiũ.

Si ergo vulnus penetrabit, hoc ſenſu ipſo cognoſcetur, per impoſitionem videl. ſpecilli, ſecundo per egreſſionem inteſtini alicuius ſiue pluriũ aut Zirbi; tertio cognoſcimus per inſtrumẽtum ipſum vulnerans, vt eſt haſta, lancia, gladius, pugio & ſimilia. Fieri enim nun poteſt, quod vulnerantia huiuſmodi inſtrumenta non faciant vulnus profundum ac penetrans. Quarto per latitudinem ſuperficiei ipſius vulneris: cum enim vulnus anguſtum eſt, ſignum eſt, ꝙ non penetret: dummodo tamen nõ ſit factum ipſum vulnus ab anguſto inſtrumento. Si vero vulnus factum ſit ab anguſto inſtrumento, attamen latum ſit, ſignum eſt, quod penetret: ſed ſignum hoc non eſt ſempiternę veritatis. Verum cum læditur particula aliqua contenta, non ita facile ſenſu cognoſci poteſt: fiũt enim huiuſmodi vulnera anguſta & ita ſtricta, vt non poſſimus intromittere ibi ac inueſtigare particulã læſam per impoſitionem ſpecilli: tranſeamus ergo ad talia ſigna, quæ à coniecturis ſumuntur.

Signa vulnerati hepatis.

Et primo ſi vulnus penetrans erit in epate, hoc cognoſcimus primo ſumentes ſignum à copia magna profluentis ſanguinis, ſecundo à ſitu vulneris; ſi enim vulnus fuerit in hypochondrio dextro procedens ad regionem hepatis, vulnus epatis indicabit, & potiſſimum ſi ſimul adſit profluuium ſanguinis: tertio à dolore ſatis inſigni: Quarto ſi ſuperuenerit tuſſicula quædam, quæ quaſi videtur ſecum trahere iugulum dextrum ad partem læſam, quoniam per conſenſum læduntur etiam viſcera ſuperiora, thoracis ſ. ſi hęc omnia viderimus, coniectura tunc certa aſſequemur vulneratum eſſe hepar.

Vulnerati lienis.

Vulnus autem lienis cognoſcitur primo ex ſitu loci, vt ſi ſit vulnus in ſiniſtro hypochondrio, ſecundo à ſanguine exeunte, qui atrior eſt ſanguine hepatis; tertio à dolore exiſtente in hypochondrio ſiniſtro: Per hæc enim ſigna diſtinguemus vulnus lienis à vulnere hepatis. Vulnerantur etiam quandoq; inteſtina ipſa, quæ tamen duorum ſunt generum: diſtinguuntur enim in gracilia & craſſa; opus ergo eſt, vt non tantum cognoſcamus, ſi vulnerata ſint inteſtina in genere, ſed etiam ſcire oportet, ſi gracilia vel dura inteſtina vulnus ſuſceperint, ita vt non ſolum haberi debeat ſigna generalia inteſtinorum vulneratorum.

Signa generalia vulneratorum inteſtinorum.

Signa ergo generalia hæc ſunt: primo enim generale ſignum vulneratorum inteſtinorum erit ſuppreſſio ſtercoris ſiue fæcum in ſede, & egreſſio eiuſdem per vulneris labia: vel ſi non egreditur ſtercus, egreditur tamen chylus, vel ſaltem fœtor aliquis ſtercoris præcipue.

Gracilium intestinorum.

Verum vtrum sint crassa vel gracilia intestina vulnerata, hoc modo cognoscemus, primo scil. situ vulneris: Si enim videmus vulnus circa vmbilicum & exeuntia stercora liuida, vel chylus ac simul fæces in sede supprimantur, signum erit vulneris gracilium intestinorum. *Crassorum.* Si autem vulnerentur crassa intestina, hoc etiam à situ cognoscemus, primùm, si enim vulnus erit in imo ac inferiori ventre à lateribus præcipue abdominis in regione coli intestini, & stercora exeunt vel fœtor stercorum ac simul fæcum ipsarum suppressio adest, signum tunc erit vulnerati intestini crassioris.

Renum.

Cum autem vulnerantur renes, hoc etiam cognoscimus ratione situs ac etiam ratione doloris ipsorum renum, qui satis molestus est ac grauis; præterea sequitur lotii suppressio vel immutatio coloris ipsius; fit enim color eius (lotii) aut cruentus niger, aut cruentus rubens, & aliquando ita magna sunt illa vulnera, vt quandoque perueniant vsq; ad cauitatem ipsorum renum, quod cognoscemus ex maximo vulnere & ex dolore, & ex egressione lotii propter ipsum vulnus; vel si sanguis pallidus profluat ab ipso vulnere.

Vesica vrinaria. *Ventriculi.*

Vulneratur sæpe etiam vesica vrinaria, & hoc vulnus cognoscetis ex suppressione lotii, præterea à situ vulneris, tertio ex lotii egressione per ipsum vulnus. Ventriculum vero vulneratum cognoscimus primo ex nimio vomitu, secundo ex situ vulneris, tertio ex exeunte cibo, vel chylo, vel etiam potu per vulnus & similibus: præterea adest maximus dolor; quinto superuenire solent vertigines ac syncupe, ac capitis vertigines quidem insignes.

Omenti vulnerati signa certa non habentur. *Mesenterii.*

Omenti autem vulnerati nulla habentur certa signa vel notæ, ex quibus possumus certo assequi ipsum tantum vulneratum esse, quoniam neque adest dolor neque sanguinis persusio, sed quoniam particula hæc vulnerata parum aut nullum affert periculum, ideo non multum erimus solliciti de signis, neque de prognostico istius vulneris.

Vulneratur etiam mesenterium, sed signa istius partis vulneratæ difficilime habentur, ego tamen ea, quæ haberi possunt, hic tradam. Si appareat sanguis egrediens copiosus & ipsius sanguinis nigricantis maximam copiam egredi, quamuis non ita nigri, vt in lienis vulneribus. Succedit præterea & dolor intolerabilis: qui non talis est in liene. Signum tamen certissimum habemus mesenterii vulnerati, quando nerui circa ceruicem videntur conuelli & contrahere iugulum ad partem læsam, cuius rei ratio est, quoniam per mesenterium disseminantur plurimæ neruorum propagines secundæ complicationis, qui oriuntur ac ortum ducunt à sexto pari neruorum ac à medulla spinali: vnde læso mesenterio ista succedunt, quæ dicta sunt. Situs etiam ipsius vulneris in signum certum nos potest deducere.

Præsagium in quocunque vulnere abdominis.

Cognitis vulneribus præsagium faciendũ est, quod quidem nõ vnum sed diuersum est, quoniam in omni vulnere abdominis non penetrante ad cauitatem, si Medicus peritus sit ac diligens, certa spes salutis promitti potest. Si etiam vulnus sit penetrans sed sine læsione alicuius particulæ contentæ, excepto omento, quod vulneratum etiam sit, potestis salutem prænunciare, difficilem tamen, sed sanari potest: nam sciatis, quod etiam sine omento homo viuere possit; Ego enim testis sum quod multis omenta extraxerim, qui tamen multo tempore superuixere; difficilis tamen præsagienda est curatio.

Vulnera raro partium internarum ac contentarum, vt hepatis, lienis, intestinorum, vesicæ, ventriculi, renum & mesenterii teste Hippocrate sect. 6. aphor. 18. difficillima sunt, ac vt plurimum lethalia.

De Curatione vulnerum abdominis.

CAP. XVII.

Si vulnus abdominis erit simplex, adhibita diligentia consuatur primum vulnus, postea imponatur barbarum, vel puluis adstringens, quoniam sic consolidabitur & citissime, præsertim cũ linamentis madidis in melicrato. Si etiam intestina sint vulnerata, habemus nõnulla exempla quod ista vulnera sanatur quamuis etiã non consuantur. & inter alia habeo ego exemplum cuiusdam rustici Patauini, qui per duos annus tulit vulnus in intestino, & post hoc elapsum tempus sumpsit potionem succi ruræ caprariæ, siue castracani vulgo dicti, & sanatum fuit vulnus. *Exempla vulnerũ intestinorum sanatorum.* Si autem vulnus penetret in cauitatem absq; tamen læsione intimarum partium, deueniendum est ad consutionem & postea ad agglutinationem; facile enim agglutinabitur. *Si vulnus penetret absq; læsione contentorũ.* Sed dicet aliquis, non videtur, quod ita cito consuendum sit vulnus, cum in huiusmodi vulneribus rumpantur venæ, ex quibus sanguis emanans potest in grumos concrescere ac remanere in cauitate: nam si copia sanguinis fluit adi-

ad ipsum vulnus, si inuenit os vulneris clausum & consutum, cadit in cauitatem ipsam, vnde si consuatur vulnus, non patebit iter exeūdi, & ita sanguis putrescet, & incitabit alia ma-la symptomata.

An vulnera abdominis penetrantia sint statim consuenda.

Respondeo, quod eo in loco non sunt venæ admodum insignes, sed tantum in lateribus ipsis, quarū vulnerationem sequitur & arguit magna sanguinis effusio, sed & hoc concesso, quod sit sanguis concretus in cauitate, non tamen debemus timere quāuis cadat in ipsam cauitatem, sed debemus consuere, quoniam quamuis sanguis cadat & corrumpatur ad intra cauitatem abdominis, non potest tamen corrumpere intestina ipsa, sed fluet ad inguina & ibi abscessum faciet, qui deinde facile sanatur, vel antequam corrumpatur totus ille sanguis, quantuscunq; fuerit, totus etiam emittetur per sedem: quare siue collectus sit sanguis, siue non, semper consuatis ipsum vulnus, ac tentetis agglutinationem; imo sciendū est, quod non solum possumus tentare agglutinationem sed consutionem in hoc casu, sed etiam quamuis aliquod instrumentum ingressum fuerit in cauitatē ac ibi remanserit, quale esset ferrum sagittæ, vel glans plumbea qualiscunq; sit, & etiam quamuis pungat instrumentum illud, ibi sinatur ac relinquatur; excepto tamen hoc casu, si esset instrumentum & appareret circa labia vulneris & tuto posset appræhendi & extrahi: at si sit in ꝑfundo cauitatis, dimittatur, & vulnus consuatur & agglutinetur, quoniā per aliquod spatium temporis remanebit ibi & postea per se egredietur. Natura enim sagax semper expellit nocua ad opportuna loca, vnde processu temporis alicuius excernet quicquid ibi continebitur huiusmodi, vt experientia pluries compertum est; hæc autem sunt obseruanda in vulneribus abdominis quando possumus consuere ac tentare agglutinationem: obseruandum tamen & hoc est, quod huiusmodi vulnera abdominis, licet vt plurimū facile sanentur, sunt tamē eorum aliqua quæ difficuler sanari possunt ex sententia Gal. li. 6. meth. c. 4. & sunt illa, quæ in parte anteriori in medio abdomine fiunt, & ratio est, quoniam locus ille carnosus non est, sed partes illæ neruosæ sunt, quod non est in lateribus ipsis, tamen neq; in iis timere debemus, sed semper consuendum est & agglutinandum.

Si instrumētum ingressum sit in cauitatem abdominis.

Vulnera medii abdominis sunt difficilia, & quare.

Difficilia etiam sunt vulnera illa in medio abdomine, quoniā eo in loco facile exit omentū & intestina, sed, vt dixi, consuenda sunt & agglutinâda huiusmodi vulnera, at quoniam ratio consuendi apud autores diuersa existit, ideo in sequenti de consutione agam & de eius speciebus.

De Consutione vulnerum abdominis & curatione ac amputatione omenti exeuntis & refrigerati. CAP. XVIII.

CVm dixerim vtrumq; vulnus abdominis esse consuendum, sciendum est rationē consuendorum huiusmodi vulnerum abdominis difficilem esse apud autores. Reperio enim ex Galeno, Albucasi, Theodorico atq; ex recentioribus septem esse species siue modos consutionis in his vulneribus, vt vobis inferius ostendam. Ego autem in his consuendis hæc obseruandā esse moneo. Primò obseruetur quātitas partis acu accipiendæ; si enim parua quantitas præhendatur in consutione, secabitur à filo; si autē magna, irritabitur dolor. 1. Secundo obseruandum est, vt tantum puncta adinuicem distent per spatium minimi digiti. 2. tertio obseruetur profunditas intromittendi acum; nonnulli enim Medicorum nostrorum decipiuntur à pinguedine, & ipsam tantum consuere solent: ego autem moneo, vt 3. profunde acus intromittatur ac totum abdomen consuatur; quoniā si sola pinguedo consuatur, superficies tantum vulneris ipsius cōsolidabitur, musculi autem nequaquam, & ita intestina prorumpent, ac succedet hernia intestinalis appellāta, quod solet euenire in mulieribus, quæ sæpe fuerunt enixæ ac plures pepererunt. Quarto filum non sit nimis crassum nec nimis tenue: si enim erit nimis tenue, secabit; si vero nimis crassum, non percurret 4. per foramen ab acu factum, & ita nimis dolorosa fiet actio; vel si pertransibit, dilatabit nimis foramina ab acu facta, in quibus retinetur, Quare eligatis vos pro cōsutione filum mediocre & etiam æquale, ne per vices ex difficultate permeandi dolores exciter.

Obseruāda in consutione vulnerū abdominis.

Notandum autem est, quod in huiusmodi vulneribus sutura non est quarta die scindenda, sed maneat vsque ad nonam & diutius etiam iuxta necessitatem, quoniam hęc vulnera non tam cito consolidantur. Quinto obseruandum est, vt non tentetur consutio in his vulnerib. abdominis, nisi adsit etiam minister, qui partem consutam digitis arripiat, ac 5. vulnus siue partem nō consutā suis digitis comprimat, ne intestinū exeat, & partem quoq; consutam teneat appræhensam, ne dum in alio loco sutura siue punctum applicatur ac fit, id, quod iam consutum est, rumpatur; ac præterea digitis comprimat, ne intestina insimul subiacientia consuantur.

Terminus scindendæ suturæ in vulnere abdominis.

Si omentum egrediatur ex vulnere illæſum.

Vulnerato abdomine vel perforato abſq; læſione internarum partium, quomodo ſit tractandum per conſutionem dixi. At quia ſæpius tali exiſtente vulnere omentum etiam egredi ſolet vel inteſtinum aliquod, ideo cum egreditur omentum, egreditur vel læſum vel illæſum: Illæſum voco omentum, quando etſi egrediatur è vulnere, tamen nondum refrigeratum nec denigratum ſiue corruptum, ſed potius ſuum naturalem retinet calorem atq; colorem: tunc autem ſi illæſum ſit, ipſum intromittere debemus ac in cauitatem ſiue locum ſuum reponere ac reſtituere, deinde vulnus conſuere, ac ſi eſſet ſimpliciſſimum vulnus.

Si refrigeratum ſit omentum & incipiat corrumpi.

At raro accidit quin aliquid patiatur omentum ex vulnere egreſſum. Sæpe enim refrigeratur. Si itaq; ſit refrigeratum, aduertendū eſt quod tunc aut putreſcit ac incipit corrumpi, aut denigratur & iam corruptum eſt: ſi incipit putreſcere, cognoſcitur ex pallore ipſius, nam cum palleſcere tantum incipit, ſignum erit ipſum etiam incipere putridum fieri, tunc nos ipſum fouebimus ſpongiis imbutis vino dulci potenti, nigro vel albo vel cū decocto chamomillæ, ſeu aqua, in qua ſcil. decocta ſit chamomilla, vel etiā vino chamomillā ipſi addamus incoctā. Facta fomentatione obſeruandum eſt, ſi recipit omentum colorē proprium ac naturalem & viuum ita vt incaleſcat, quoniam ſi tale fiat, intromittendū eſt. Si autem frigidum adhuc ſit omentum ac adhuc in eo remaneat color liuidus, tunc ipſum amputare debemus: ratio autem ſecandi & amputandi omenti apud recentiores hæc eſt, vt accipiatur omenti pars corrupta & deligetur filo circa partem ſanam, vt ipſi ſoliti ſunt: poſtea in regione vinculi ſecetur, & deinde exurunt, intromittentes deinde ſanum omentum relictum: ſed ratio hæc mihi non placet, quoniam nos potius debemus de parte ſana etiam aliquid ligare & amputare, ne ſi parum aliquid corrupti relinquatur, id poſtea ſit in cauſa corruptionis reliqui omenti. Ego itaque hac ratione ſeco; accipio totam partem illam denigratam & ligo illam cum aliqua etiam portiuncula partis ſanæ, poſtea forcipe ſeco vſque ad viuum etiam, ac deinde omiſſa vſtione intus immitto omentum ipſum, vel etiam poſſumus conſuendo ligare & ſeparare deinde partem corruptam à ſana: quare laudo quod colligando conſuamus, deinde forcipe vel nouacula ſecemus.

Modus recentiorum amputandi omenti.

Modus proprius.

Notandum

Sed aduertendum eſt, quod in deligatione ſinere debemus caudam fili extra abdomen permanere, vt cōſolidato omento vinculum extrahere poſſimus, quamuis & natura ipſa hoc cōſummare poſſit, id tamen cum difficultate aliqua ac grauitate faciet, quo facto vulnus curetur vt ſimplex.

De Curatione inteſtinorum cùm egreſſorum ex abdomine, tum etiam vulneratorum. CAP. XIX.

Si autē inteſtina egrediātur extra ipſum abdomen, hoc fieri ſolet duob. modis: nā egrediuntur læſa vel etiam non læſa: inteſtina illæſa intelligenda ea, quæ non ſunt vulnerata, ſed tantum egreſſa quæ mollia & æqualia conſpiciuntur. Si vero læſa ſint, hoc trib. modis fieri ſolet, vel enim vulnerata ſunt, vel refrigerata vel inflammata. Si egrediuntur illæſa, ſtatim abluantur liquore aliquo, etiam vel aqua & vino ſimul mixtis vel vino tantum, vel lacte, vel poſca, vel lotio: vt ſi quid ipſis hæreat, vt puluis vel alia ſordes, optime per hanc ablutionem detergatur pluries, quatenus opus ſit repetitam, deinde imponātur & intromittantur in ſuam cauitatem, quod fiet appoſito digito ad alterum latus vulneris ac ſenſim & ſenſim per ſuos anfractus in propriā ſedem propellantur. Notandū eſt autem, quod ſæpe ſolet chylus aggregari in vna tantum parte ipſius inteſtini & maxime ipſum inflare, quare & huius habenda eſt ratio. In hoc ergo caſu debemus vtraq; manu propellere chylum externorum inteſtinorum paulatim ad interna inteſtina, ita vt intus totus tranſmittatur. Sed ſit in hac actione peritus chirurgus: nam empiricus, & qui confuſe rem tractat, dolorem maximum incitabit.

Si egrediantur illæſa.

Modus intromittendi inteſtina.

Si vulneratum eſt inteſtinum craſſum.

Si gracile.

Cur gracilia vulnera ſint curatu difficilia.

Si autem vulneratum fuerit inteſtinum aliquod, obſeruandum in ipſis eſt, ſi inteſtinum, quod vulneratum eſt, ſit craſſum vel gracile: quoniam ſi craſſum vulneratum eſt, poſſumus alacri animo rem agere & infirmo ac etiā aſtantibus ſpem & ſalutē magis certā ꝗ ſi gracile ſuſcepiſſet vulnus, promittere, quāuis cū difficultate aliqua ſanentur. Quando vero vulneratum eſt gracile ac tenue inteſtinum, certa ſpes ſalutis promittenda non eſt, non tamen derelinquendus æger, ratio autē difficultatis eſt, q. ſ. non conſolidentur facile, quia primo tenuia inteſtina repleta ſunt quam plurimis vaſis, ex quibus emanat continuo ſanguis qui agglutinationem impedit; ſecundo tenuitas ſubſtantiæ ipſius inteſtini: tertio bilis ipſa, quę à meatu felleo deſcēdit ad inteſtinum duodecimum & ad gracilia ipſa inteſtina, quæ maxime impedit conſolidationem. Præterea notandum, quod quamuis iſtæ

rationes veræ ſint,tamen etiam ipſa gracilia inteſtina,ſi vulnerentur,ſanari etiam poſſunt, & falſum eſt, quod lethalia ſint hæc vulnera; ſed dico quod omnia inteſtina ſanari poſſint & lethalia vulnera non ſunt neceſſario, quamuis vt in pluribus ſint inſanabilia. Galenus tamen addit,quod cum inteſtina gracilia habeant ſimilitudinem cum hepate,itaq; cura illorum difficilis.& ego quidem plurimos ſanaui cum difficultate tamen: in his autẽ vulneribus antiquiores noſtri chirurgi vſi ſunt conſutione, quam & ego laudo.

Primus modus conſuendi inteſtina vulnerata.

Sed aduertendum eſt,quod hæc conſutio à diuerſis chirurgis diuerſimode adminiſtratur;quidam enim hoc modo conſuunt, accipiunt cannulam vel fiſtulã ex ſambuco & ipſam per vulnus imponunt in ipſam cauitatem inteſtini, & deinde conſuũt & inteſtinum & abdomen: & ratio ab iſtis datur, quoniam ex hac conſutione prohibetur ne chylus in inteſtino contentus effluat per labia vulneris conſuti, ſed pertranſeat & exeat per fiſtulam ipſam, quo facto conſolidatio non impeditur: & præterea dum ſanabitur vulnus, æger quoque copioſiori cibo vtetur ac vti poterit, quoniam deinde cannula hæc per anum excernetur.

Reprobatio primi modi.

Sed hæc ratio non admodum mihi placet,nec eam laudare poſſum,cum dubitãdum ſit,quod cannula à natura deinde non emittatur per anum, ſed ſic fiſtula ipſa egrediatur ante vulneris inteſtini conſolidationem,ideo hoc non tentabimus.

2 modus.

Alii accipiunt inteſtinum exiccatum alicuius animalis & extenſum ponunt quoque hoc modo & propter eandem rationem: ſed neque hoc probatur à me, quoniam inteſtinum humefactum abſcedet vel ſtatim egredietur. Alii hoc fere idem faciunt accipientes aſperam arteriam ex anſere vel alio animali & imponunt in ipſum vulnus, deinde conſuũt; ſed quoniam & hoc morari diutius non poteſt,ideo laudo vt conſuantur vulnera inteſtini. Alii vero videntes, quod quandoque ex conſutione accidit inflammatio, paſſio iliaca ac etiam vomitus & denique ipſa mors, loco ſuturæ vtuntur labiis formicarum accipientes formicas illas maiores alatas,quæ inueniuntur in caudicibus ſalicum & hoc modo faciũt, quod formica accipiat ore labium vtrumq; inteſtini, deinde accipiunt formicam illam in parte poſteriori eam aliquantiſper digitis comprimentes,vt ex dolore formica valide perſtringat,& poſtquã viderint quod formica ſtricte arripuerit labia vulneris, ſeparant caput ipſius formicæ à reliquo corpore,relinquentes caput formicæ ſiue formicarum(quoniam multa capita ſunt applicanda pro longitudine vulneris)ad vulnus ipſum applicitũ & appẽſum;ſed neq; hoc mihi placet,quoniã deinde cadunt etiam illa capita formicarũ & ſic iterum vulnus dilatatur. Alii autem moti autoritate illa;quam ſe tuentes allegant, quod ſc. ſimilia ſimilibus conſeruentur,conſuunt huiuſmodi vulnera inteſtinorũ chordis ex inteſtinis animalium confectis: ſed neque hoc laudatur;quoniam hæc materia apta etiam eſt putredini,quapropter ego illam non laudo.

3. 4. 5.

Modus proprius.

Ego itaque conſuo huiuſmodi vulnera filo ſericino ratione communis ſuturæ qua conſuitur tela à mulierculis,puncto illo ſ.qui vocatur vulgo puncto ſopra mano,ſicuti etiã conſuunt mulieres,quando faciunt ex gallis capos quando ſcilicet gallos caſtrant.

Quantitas autẽ inteſtini filo atripienda in conſutione non ſit nimis pauca,nec admodum multa,ſed moderata: quoniam ſi parua accipiatur,ob motum perpetuum puncta rũperentur: motu enim ipſo inteſtina extenduntur: Si autem maior portio accipiatur, quam par ſit,obſtruetur facile inteſtinum,ac nimis ſtricta reddetur ipſius cauitas, vnde vel tunc fiunt dolores maximi vel ſuccedit paſſio iliaca;& ideo vt hoc euitetur, aliqui capiũt formicas pro conſutione, aliqui vero materiam ex animalibus, vt ſupra dictum eſt, quam tamen opinionem non approbaui neq; nunc approbo.

Facta vero conſutione relinquatur fili pars ſiue cauda extra abdomen ſuper ipſo vulnere,quemadmodum de omento ſupra dictum eſt.

Quid poſt conſutionem faciendum.

Sed aduertendum eſt, quod antequam incipiatur conſutio, oportet aliquod imponere medicamentum in internam partem inteſtini,quod faciat ad agglutinationem,& ideo ego impono aloen & mannam thuris,& illinio ſed in pauca quantitate,& ratio eſt,quoniam aloe ſtimulat: Sit ergo aloes pars vna & duæ partes mannæ thuris.

Medicamentum imponendum ante conſutionem.

Sed notandum eſt,quod medicamentum hoc eſt tamen imponendum ante ſanguinis ſuppreſſionẽ,imo ſi quæ venula ſecta ſanguinem profundat,liganda erit & ſanguis prius poſca ſiſtendus,quoniam ita ſupprimetur. at ſi in hoc medicamento timeatis aloen ſiue eius acredinẽ,poſſumus admiſcere cremorẽ radicis conſolidæ maioris,& vnam tãtum partem aloes accipere,duas vero mannæ thuris: vel infundatis ſuper vulnus cremorem conſolidæ maioris,& deinde inſpergatis puluerem ex manna thuris. Sunt præterea aliqui, qui vtuntur ſucco piloſellæ, pentaphylli & tormentillæ: & eſt optimum medicamentum: alii vero vtuntur ſucco vlmi, qui præſtantiſſimus eſt: accipiunt enim iſti veſicas ex arbore

Liquor in 24 horis agglutinans.

Cur dixerit Hippocrates vulnera intestinorum esse lethalia.

vlmi, quę nascuntur in mense Maio, & ex ipsis contentum liquorem accipiunt & vtuntur, quoniam præstantissimum est remedium; imo ego vidi Empyricum quendam siue circulatorem, qui vendebat hoc oleum pro agglutinatione vulnerum & sibi manum pungebat plaga satis profunda, & hunc liquorem postea imponebat, & agglutinabarur vulnus spatio horarum saltem 24. Agglutinatio itaq; fit ab huiusmodi liquore, quo etiam vtuntur podagrici, qui vt plurimum solẽt liquorem istum penes se habere, quoniam repellit materiam, quare etiam nos hunc feliciter imponimus & consuimus.

Causa autem, cur Hipppocrates dixerit, hæc vulnera esse lethalia, est duplex, primo quia sæpe superuenit inflammatio propter dolorem, ratione cuius (inflammationis) postea alia succedunt pessima accidentia; facile autem inflammantur hęc vulnera, quoniam intestina habent multas ac magnas venas, ex quibus fit magna sanguinis profusio, quam plerunq; sequitur inflammatio & succedit iliaca passio.

Si intestina egressa sint refrigerata.

Accidit quoq; aliquando, quod egressa intestina refrigerantur. In hoc itaq; casu fouebimus intestina ipsa sic egressa spongia madida vino calido ac potenti donec incalescant, vnde in hoc casu optimum erit vinum maluaticum seu aliud admodum potens.

Si inflammata.

Decoctum fouens intestinum pro discutiendis flatibus.

Quomodo dilatandum sit vulnus abdominis pro intromissione intestini inflati.

Si vero inflammatum fuerit intestinum egressum ita, vt intromitti non possit (& hæc est propria passio intestinorum, quoniam dum manent extra vulnus, excitatur quidã vapor à concauitate ipsa, qui replet illa intestina super vel extra vulnus existentia) in eo casu agendum ita est, vt discussionem flatus tentemus per fomentum aliquod, vnde recentiores accipiunt anethum, absynthium, chamomillam, semina odorata, vt anisorum, & hæc coquunt in vino maluatico, quo postea decocto fouent. Ego vero accipio vinũ potentissimũ, vinosum s. ac austerũ & incoquo folia lauri, chamomillã & rutam, & hoc foueo, & optime succedit. Verum notandum est ex Gal. quod non semper succedit hæc flatuum discussio; quare nisi inflatio illa per fomenta discutiatur, tũc in eo casu audacter secandũ est abdomẽ & aperiendũ magis vulnus; caute tamẽ, ne intestinũ lędatur; & ita ampliandũ est vulnus, quo facto intestinum intromittendũ est ita inflatũ, quoniam per spatium 6. vel 8. horarum discutiuntur flatus illi à calore naturali. Galen. itaq; iubet vt sectio fiat syringotomo. Paulus autem vnum notat, quod s. sectio fiat syringotomo recto; sed hoc non refert, dummodo caute ita fiat actio, vt non lędatur intestinum. Bene verum est, quod ob id syringotomo vtimur incidendo inter vulnus & ipsum intestinum, quoniam istud instrumentum nõ secat in illa parte, qua respicit intestina, in altera autem parte, qua respicit abdomẽ, secat. Sed ego magis laudo syringotomum curuum quam rectum, quoniam ex curuo perficietur sectio absq; læsione intestini, quod in vsu recti non ita facile euitari potest. Facta sectione ac intromisso intestino in cauitatem ipsam consuimus ea arte, vt in simplici vulnere dictum est, quoniam statim detumescet inflatio illa discussa à calore naturali. Facta autem repositione intestinorum in locum suum, oportet vt vulnus consolidetur; consolidabitur autem cum per vsum medicamentorum acceptorum per os, tum & per medicamenta exterius applicita. Sed notandum est, quod in omnibus agglutinantibus per exterius applicitis in intestinorum vulneribus, oportet semper aliquod stupefaciens admiscere, vt prohibeatur inflammatio ac fluxio cohibeatur; vnde in hoc casu laudo ego diaspermatum illud Nicolai Myrepsi & Galeni ac etiam ceratum barbarum. Per interius autem id possunt facere trochisci ex charabe, trochisci ex terra sigillata dissoluti cũ aliquo liquore, vt cũ aqua thermali, quæ etiam abluendo exiccat, & ita in iis, quæ exhibentur per os, semper addatis aliquem liquorem. Si autem fuerit vulnus in intestinis crassis, quæ inferiora sunt, tũc cũ clysteribus satisfaciendum est; vnde pro clystere iniicienda sunt illa, quæ habeant vim agglutinandi, semper tamen his admiscendo aliquod opiatum ac stupefaciens. In exterioribus vero ponatur emplastrum barbarum, vel empl. factum ex rad. consolidæ ma. Sed difficultas non minima adest in huiusmodi vulneribus, quando internum vulneratum est, sed nõ exeat extra abdomen; quæritur enim tunc, an debeamus educere ipsum intestinum & cõsuere vel non? Vidus Vidius Chirurgus doctissimus dicit consuendum esse abdomen absq; eductione intestini, & absq; q; eius vulnus consuatur, quoniã per conseruatũ calorem ratione consuti abdominis facile consolidabitur vulnus intestini; ac testatur vir iste se vidisse vulneratum intestinum & eo non educto, imo consuto vulnere abdominis agglutinatum fuisse abdomen & intestinum ipsum vulneratum.

Exterius applicanda.

Interius sumenda pro agglutinatione.

Si intestinũ crassum est vulneratũ.

An intestinum vulneratum non apparens educi debeat, vt consuatur.

Ego autem non sum huius sententiæ, vt scil. debeamus vulnus abdominis consuere vulnerato intestino & non egresso, sed sic relinquendum esse vulnus abdominis apertum ac non consutum, vt quicquid egredietur, ab intestino possit per vulnus abdominis excerni, aliter impedietur potius agglutinatio: interim tamen dico infundendum esse in vulnus liquorem aliquem facientem ad intestini consolidationem, vt esset succus rutæ caprariæ,

quæ

quæ vulgo dicitur astragalus, quo nullus præstantior liquor esse potest, vt repertum est in illo rustico, de quo superius meminimus, qui hunc succum mane bibebat & sanatus fuit peroptime. sic itaq; tractanda sunt intestinorum vulnera.

De Vulneribus ventriculi curandi. CAP. XX.

VVlneratur etiam ventriculus quandoq;, & variis id fieri modis potest; aliquãdo enim vulneratur tantum in superficie, aliquando penetrat vulnus ad cauitatem ipsius, aliquando vero vulnerantur ac perforantur ambo parietes ventriculi, & ego casum hunc vidi in quadam muliere, quæ vulnerata erat globulo bombardico, & tamen sanata fuit.

Si ergo vulneretur ventriculus in exteriori tantũ tunica seu superficie, nos debemus alacriori animo curam suscipere, quoniam sanari potest, quamuis cum aliqua difficultate. Sed si perforatus sit ventriculus, obseruandum est, in quo loco sit ipse perforatus; quoniã si circa orificium eius sit vulnus, cura difficilis est ac periculosa. & ratio est, quoniã ibi multi concurrunt nerui, propter quod dolor, & dolorem inflammatio, inflammationem autem denique sequetur difficilis cura, propter hoc, quoniam medicamenta per os assumpta, per vulnus tantum transeunt, & ibi non morantur. Quod si perforetur circa fundum, est cura possibilior ac facilior, quoniam & illa pars est carnosa & medicamenta per os assumpta vel etiam infusa diutius manent, ac duranteo in loco, neque ibi tot adsunt nerui, ratione quorum causetur dolor. Si itaque vulnus sit in superficie ventriculi tantum, hoc modo curabimus; prius suturam in abdomine adhibebimus ac agglutinationem ipsius abdominis tentabimus; vulnus vero superficiale ipsius ventriculi naturæ curandum committimus, quoniam ab ipsa natura consolidatur dummodo id agamus sine inflammatione ventriculi.

Præsagium.

Si vulnus sit superficiale.

Si autem perforetur ventriculus, videndum est, an possit consui nec ne, quoniam si potest consui, consuatur eo modo, quo in intestinis dictum est, nam nisi superueniat inflammatio, consolidabitur, nec dubitetis. Quando autem perforatur & consui non potest, hoc agendum erit; primo videndum est, an perforatus sit à lato instrumento vel pungenti, an si latum sit vulnus factum ab instrumento admodum lato; vel strictum sit à sagitta gladioue vel pugione aut à glande sclopetica: & si hoc modo punctus sit, non dubitetis quod consolidabitur, dummodo vindicemus vulnus ipsum ab inflammatione; quare consuendum est vulnus abdominis, & nihil est timendum, quoniam per hanc consutionem abdominis calor internus vigebit, atq; per illam strictam puncturam nihil exiet è ventriculo neque cibus neq; potus, & ita consolidabitur.

Si perforatus sit ventriculus.

Verum si vulnus sit amplum in ventriculo ipso, ita vt non possit consui, tunc debetis aperire vulnus abdominis, & quærere an per vulnus ventriculi exeat chylus & in cauitatem abdominis cadat. Quod si enim exit, tentandum est, vt per vulnus extrahatur chylus ille, qui exiens è ventriculo in cauitatem cadit abdominis: quoniam tunc non est deueniendum ad consutionem abdominis, quoniam eius agglutinato vulnere exeunte chylo vel potu è ventriculo, claudetur meatus vulneris, & ita affluet inter intestina & corrumpet ea. Vt itaque euitetis ne intestina corrumpantur ratione materiæ illius, relinquendum est vulnus apertum sine consutione, sed hoc agendum erit, vt per superius exhibeatis aliquod medicamentum, quod ad consolidationem faciat, adstringat & dolorem leniat, quale est diaspermaton Nicolai Myrepsii pondere granorum iiij dissolutum cum vino, vel diluatis cum decocto rad. consol. ma. Aduertendum est autem, quod ego non laudo opiata in vulneribus ventriculi, nisi adsit maximus dolor, quoniam immediate opium tangit locum affectum, vnde laudo, vt potius exhibeatis trociscos de spodio vel de terra sigillata, quam trociscos de charabe ac diaspermaton. Et hæc sunt, quæ per os exhiberi debent.

Si vulnus sit amplum.

Exterius applicanda.

Notandum.

In vulnus autem semper infundendum erit aliquod decoctum, vt decoctum factum in aqua chalybeata ex rad: consol. ma. pilosellæ, torment. myrthill. mastic. & manna thuris. Si etiam exhibeatis in iure, semper incoquatis vel tormentillam vel pimpinellam vel radices consolidæ maioris; vel hæc incoquantur in vino dulci & subaustero, in quo tamen adsit vis adstringendi.

Decocta in vulnus infundenda.

Cibaria quoq; omnia, quę exhibentur, habeant vim medicamentosam, vnde semper in cibariis coquatur radix consol. ma. vel pimpinella vel etiam rhabarbarũ vetustissimum, vt habeat vim tantum adstringendi, non autem soluendi, exhibeantur etiam oua sorbilia. Sed ne ventriculus intumescat & extendatur, adhibenda est summa diligentia in exhi-

Cibaria, qualia.

Quanta.

bendo cibo, quoniam non debemus multum cibi exhibere, ne impediatur eius consolidatio: exhibeatur itaque cibus per vices, & pro quaque vice tantum ad ℥j. ß. ad summum, & hoc faciendum est singula quaque hora vel tertia ad plus.

Clysteres nutrientes.

Si autẽ requiratur alimentũ maius, quã fieri possit à cibo exhibito, tunc applicetur enema confectum ex iure pingui vel lacte addito saccharo, quoniã hoc alimentum facile distribuitur vel etiam consummatũ seu destillatum, vel ouum dissolutum in iure itidem per clysterem iniiciemus, vel saccharum cum ouo, vel saccharum cum melle; sed ius cum saccharo optimum est pro clystere.

Exterius applicanda.

In exterioribus autem vulneris tentanda est agglutinatio, vnde imponatur vel barbarum vel medicamentum confectum ex rad. consol. maioris. Verum si apertum fuerit vulnus abdominis; debemus infundere in ipsius cauitatem super vulnus ventriculi duas vel tres guttas medicamenti, quod habeat vim consolidandi, constringendi ac doloris mitigandi; & simul etiam applicentur linamenta in eodem medicamento madefacta super vulnus. In hoc ergo casu aliqui chirurgi solent accipere vinum maluaticum cũ oleo abietino mixtum. & hoc vtuntur: sed reuera mihi non placet, quoniam nimis calefacit partem: vnde ego soleo conficere medicamentum secundum hanc formam.

Medicamentum proprium infundendũ super Ventriculi vulnus.

℞ ol. mastich. ℥ij.
abietini ℥j
mannæ thuris ʒij.
puluer. tormentill. vel chamomil.
pulu. fl. hyperici
rad. consol. ma. an. ʒj.
vermium terrestri. N. v.
croci ℈j.

vini alb. aust. & impotentis ℥ij. misce, coquantur hæc ad vini consumptionem, postea exprimatur, coletur & purgetur ac cum linamentis infundatur.

Pro circumiacentibus partibus.

Verum in vulneribus abdominis complicatis cum vulneribus ventriculi habenda semper est ratio partium adiacentium; & ideo omnes partes circumpositæ ipsi abdomini, vt thorax, latera siue inguina semper imbuantur plurimo cerato rosato vel ol. ros. ac vino, ne inflammatio succedat ac tandem mors. Et hæc satis sint dicta de vulneribus abdominis cum simplicibus, tum penetrantibus & complicatis cum ipsius ventriculi vulneribus: nunc modo agendum venit de vulneribus hepatis.

De Vulneribus epatis. CAP. XXI.

Qualia hæc vulnera sint.

VVlnera hepatis diabolica sunt, & nullum ego vidi sanatum vulnerum horum; quoniam ibi maxima sunt vasa, & semper sanguis emanat, vnde si sanatur aliquod horum vulnerũ, inter miracula connumerari debet, quoniam nisi solus Deus hæc sanare potest.

Præsagium.

Attamẽ si ad curam huiusmodi vulnerum aduocemur, hoc erit agendum, vt ægris potius satisfaciamus, quam quod vlla adsit spes salutis. Ego autẽ dum fui vocatus, affundere sum

Per externus applicanda.

solitus medicamenta adstringentia ac consolidantia, imo si etiam latum sit vulnus, consolidandum est & primo vtendum consutione. Si vero fuerit strictum, sic est relinquẽdum, & in vulnus infundi potest succus pimpinellæ aut tormẽtillæ, aut pentaphylli, aut polygoni vel etiam hippuridis.

Per interius exhibenda.

Per interna vero exhibeo, quæ sanguinem sistunt ac consolidant, vt sunt trochisci de charabe, vel diaspermaton, quæ optima sunt, quoniam opiata sunt, sed quam maxime probo trochiscos de charabe, de terra sigillata & de spodio: ac deinde vulnus abdominis consuo, quoniam ista vulnera sunt relinquenda ipsi naturæ.

De Vulneribus renum. CAP. XXII.

SI autem renes vulnerentur, obseruandum est in primis, an effluat lotium, siue materia aquosa, vel sanguis aquosus, quoniam si non exeat talis materia, signum est, quod non penetrat vulnus ad cauitatem ipsam renum. In hoc itaq; casu infundemus medicamenta in vulnus ipsum, quæ sint consolidantia, inter quæ primo est succus siue liquor ille folliculorum seu vesicarum vlmi, vel alii succi, de quibus dictum est in tractatione vulnerum in-

Si vulnus nõ penetret.

testinorum. Hoc facto consuatur vulnus abdominis ac consolidetur, & vulnus renum naturæ relinquatur: attamen etiam per interius exhiberi possunt ea quæ facere apta sunt ad renum consolidationem; in exterioribus vero applicentur fortissima agglutinantia. Sed

dicet

dicet aliquis, agglutinato vulneris sanies effluens ex renibus ipsis aggregabitur in cauitate abdominis, & sic superuenient symptomata: Respondeo ego, quod aggregabitur quidem, tamen, quamuis sanies ex renibus effluens agglutinato vulnere in ipsius cauitatem aggregetur, nihilominus à natura ipsa transmittetur per intestinum rectum, vel digeretur ita vt nullum symptoma superuenire possit.

Si autem vulnus renum profundum sit, ita vt egrediatur vrina, vel serosus sanguis, *Si penetret.* tunc non debetis consuere vulnus in exteriori parte, sed id debetis agere, quod diximus in vulnere ventriculi penetrante, vt scil. in vulnus ipsum medicamenta imponamus, quæ habeant vim consolidandi, vt si infundamus oleum abietinum cum illis succis herbarum, de quibus diximus in vulnere ventriculi. Per interius autem exhibeantur trocisci de charabe si dolor adsit, vel de spodio, siue etiam de terra sigillata vel diaspermaton, sed eos dissoluetis aliquo decocto diuretico, vt cũ decocto capillorũ Veneris vel liquiritiæ, vel maluæ vel alkekengi, vel cum decocto seminum maiorum vel citrulli, melonum, cucurbitarum. vel dicta medicamenta dissoluantur cum succis aut pimpinella, vel consolidæ maioris vel pilosellæ, & exhibeantur cum dictis diureticis. Ego tamẽ maxime laudo succum rutæ caprariæ siue astragalidis ac aliarum supra dictarum. Cauendum tamen est à diureticis calidis ne inflamment, sed inuenienda sunt ea, quæ temperata sint. *Diuretica.*

De Vulneribus vesicæ. CAP. XXIII.

SI vero vesica vulneretur, sciatis, quod sanari potest, sed maxima cum difficultate, præcipue si circa os ipsius vulneretur. Eadem ergo agenda erunt, quæ in vulneribus renum agenda esse diximus. Verum si vesica discissa sit in fundo, timenda est mors; tamen vtrumque vulnus adueniente inflammatione lethale est, & ego vidi vnum tantum sanatum fuisse ab huiusmodi vulnere: habebat enim vesicam perforatam à parte ad partem à glande sclopeti. Vos autem hæc vulnera curabitis vti vulnera ventriculi curantur: sed vulnus abdominis apertum seruetur neq; cõsuatur, quoniam excrementa perpetuo emanant. Sunt aliqui, qui infundunt in vesicã aliquod medicamẽtum cõsolidans, vt sunt liquores dicti p syringam, sed hoc, domini, mihi non placet, nisi orificiũ vesicę ita latũ sit, vt syringa ingredi possit & facile, quoniam si orificium strictum sit vel caruncula adest, tunc nõ sunt infundẽda medicamenta per syringam, quoniã medicamenta illa obstruerẽt meatum vrinarium: ex quo sequeretur inflammatio, & præcipue cum syringa imposita esset aliquãtulum violenter, & ita inflãmationem postea sequeretur mors ipsa. Si autem possit medicamentum imponi per vulnus ipsum, imponatur succus aliquis ex dictis herbis mixtus cum sero lactis caprini chalybeato, qui tepidus imponatur. Illis autẽ medicamentis per os exhibendis atq; assumendis semper admisceantur medicamenta diuretica, vt medicamenta agglutinantia possint locum affectũ petere; nec vsus eorum timendus est, quoniam nulla fit læsio ab illis, licet generale sit præceptũ, quod in omnibus renũ affectionib. ac vesicæ non conueniant diuretica. Adhibeatur etiã diligẽtia in exhibendo cibo: vena quoq; secetur cubiti recti, ac magna sanguinis copia extrahatur, & fere ad deliquiũ animi. Sed in his renũ vulnerib. aduertendũ est & vesicę, ne exhibeantur pharmaca per os electiue ducẽtia, sed tantũ leniẽtia moderata: vnde si haberi posset aqua Villensis pro potu optima quidem esset. Et hæc sunt, quæ agenda veniunt in vulneribus cum abdominis, tum partium ab ipso contentarum.

Præsagia. *Si vulnus sit in fundo vesicæ.* *Notandum circa syringa.* *Medicamenta iniicienda.* *Cibus.* *Vena secetur.*

De Vulneribus neruorum, & præcipue de eorum qualitate, diuisione, signis, præsagiis & sensu. CAP. XXIV.

NVlla repeciuntur vulnera, quæ magis ęstimẽtur à chirurgis quam vulnera neruorum, & semper deterrentur ac ab illis abhorrent; vnde semper pro curatione talium vulnerum solent habere medicamenta præ manib. atq; veluti per traditiones cõmunicata, quæ spasmum seu conuulsionem faciunt. & merito inquam terrentur, quoniam huiusmodi vulnera difficilia sunt curatu multis de causis, & primo quia nerui sensum exquisitissimũ habent, secundo quia cõuulsiones imminent in his vulnerib. ac eueniunt, quæ sæpe mortem inducunt; tertio quoniam maximum habent consensum cum cerebro, vnde superueniunt vertigines ac alia praua symptomata infirmos iugulantia; quarto quoniam substantia neruorum frigida est & sicca, ratione cuius substantiæ non possunt cito sanari, merito itaq; chirurgi vulnera hæc maxime timent ac fugiunt. *Cur neruorum vulnera sint difficillima.*

Distinguũtur autẽ huiusmodi vulnera in tria genera: primũ genus est, quãdo vulneratur neruus p puncturã, & vulnus tale etiã punctura vocatur ipsi' nerui: secundũ est quãdo secatur neruus per longum vel per transuersum: tertiũ quãdo contunditur, laceratur & *Diuisio vulnerum neruorum.*

atteritur. Ista sunt tria genera vulnerum seu læsionum neruorum, quæ etiam vel fiunt cum detectione nerui vel absque detectione. Sed in omnibus his tribus generibus sit vel tectus vel detectus neruus, cognoscendum est in primis & ante omnia, quomodo vulneratus sit neruus, sumpta indicatione ab instrumento feriente, ex quo vulnus cognosci potest, quale sit.

Signa nerui vulnerati.

Signa autem nerui vulnerati sunt dolor intolerabilis, sensus atque locus ipse affectus, vnde si quæ est pars, quæ requirat compositionem partium, nerui sunt: item superueniens febris cum rigore & cum doloribus repetitis signum erit certissimum vulnerati nerui: præterea si viderimus superuenire vertigines, habemus indicium vulneris in neruo: vnde in omni vulnere neruorum prænunciandus est dolor, læsio ipsius partis vel priuatio sensus ac motus difficultas. Notandum est autem, quod cum dico neruum, generice loquor; nã sub hoc nomine intelligo neruosam substantiam, quæ triplex est: primo enim neruus genere sumptus continet sub se ligamenta neruea, vnde per neruum intelligo ligamenta illa neruosa, quibus iunguntur articuli, quæ nullum penitus sensum habent, habent tamen membranas ortas ab ipso neruo, quibus scil. vestiuntur à neruis ipsis, à quibus procedunt, vt dixi, quæ membranæ maximo pollent sensu. Secundo sub hoc nomine continentur chordæ siue tendones neruorum, quæ constant ex ligamentis & neruis, & quæ faciunt ad motum voluntarium: & istæ sensum habent, quamuis non exquisitum. Tertio per neruum intelligimus verum corpus neruosum à cerebro & medulla spinali procedens, quod est corpus fibrosum ac plenum meatibus siue canalibus, per quos transeunt spiritus animales sensitiui: omnes tamen nerui, licet habeant exquisitum sensum, non tamen habent exquisitissimum atque perfectum, quoniam non discernunt inter obiecta, quamuis excitent dolores intolerabiles, sed sola caro illa, quæ neruosa est, perfectum habet sensum, quoniam discernit vstionem, puncturam, compressionem, sectionem & alia id genus; attamen caro per se non sentit sed per neruum. Cum ergo tres sint species neruorum, ita faciunt ad præsagium, quod semper in læsione substantiarum istorum fiunt impedimenta operis illorum.

Præsagium.

Neruosa substantia quotuplex sit.

Qualis sit sensus neruorum.

De Punctura neruorum. CAP. XXV.

His constitutis quæ supra diximus, si habeamus neruum præ manibus, qui puncturam sit passus, quid agendum est? Hoc cognito id agendum est, quod docet autores, & potissimum Paulus lib. 4. c. 40. vel lib. 14. ca. 24. & Aetius lib. 14. cap. 29. præterea Galenus lib. de comp. med. per gen. & lib. 6. meth. med. & infinita enumerantur à nostris quoque chirurgis recentioribus, qui omnes tamen proponunt geminum scopum, vt s. primo tractetur locus affectus robustissimis medicamentis ipsum siccando atque dolorem leniendo: deinde vt prohibeatur inflammatio, ne succedat, quoniam si q; est vulnus, q; inflammationẽ inducit, est profecto ipsa nerui pũctura. Primo igitur ad prohibendã inflammationẽ secetur vena seruata rectitudine partis, & copiosum sanguinẽ euacuamus, ac etiam vsq; ad animi deliquium, quamuis hoc non videatur conuenire atque competere, attamẽ quia euacuatio sanguinis per phlebotomiã maxime refrigerat, & ob id inflammationi resistit, admitti potest. vnde postmodum inflammatio non succedit. quare fiat intrepide.

Ad prohibendam inflammationem.

Præterea humores calidi pharmaco debent euacuari, vt inflammatio itidem prohibeatur, sed hoc modo: primo præparabimus corpus per duos dies exhibendo mel rosatum cum syrupo de betonica, non tamen simul in magna quantitate, sed hoc modo, vt scil. matutina hora, quando expergiscitur æger, exhibeantur duo vel tria cochlearia huius mellis cum syrupo dicto: deinde iterum post quatuor horas tantundem exhibeatur & sic etiam ante cœnam.

Modus præparandi materiam pro euacuatione.

Tertia autem die exhibeatur pharmacum expurgans, quod tamen agaricum suscipiat, vt esset rhabarbarum cum agarico vel cassia cum agarico, vel confectio hamech, vel pilulæ de agarico, vel cochiæ cum agarico. Victus præterea ratio instituatur, quę immunis sit à vino, sed aquam mulsam bibat æger, omnia autẽ cibaria sint parui alimenti ac optimi succi, exhibeatur syr. de betonica, de rosl. siccis, addito decocto betonicæ, cichoreæ & iuę, si inflammatio non timeatur.

Euacuãtia.

Victus.

Circa autem locum affectum hoc erit agendum; primum obseruabimus an vulnus latum sit vel angustum, si enim angustum erit, ita vt sanies collecta non possit effluere nec exitum habeat, ac vis medicamenti non possit ad neruum peruenire, tunc opus est vt dilatemus vulnus per sectionem carnis & cutis vsque ad neruum ipsum, ita vt appareat neruus. Si vero vulnus sit latum per se vel dilatatum etiam, debemus inspicere ad symptomata, vt si adsit dolor, statim mitigandus est: Quæ autem faciunt ad mitigatio-

Agenda circa locum affectum.

Si vulnus sit angustum.

Mitigantia dolorem.

tigationem doloris, plurima sunt, sed primo illa, quæ anodina vocantur: secundo ea, quæ causam doloris auferunt: tertio, quæ stuporē inducunt; vnde mitigandus est dolor, vel ex anodinis, vel ex auferentibus causam doloris, vel ex inducentibus stuporem. Aduertendum tamen est, quod in hoc casu stupefacientia hæc non conueniunt: quoniam maxime sunt refrigerantia, ad quæ deuenire non debemus, vt sunt opiata: quoniam ea refrigerantia maxime lædunt ipsos neruos, vt sunt folia solani & mandragoræ, quæ stuporem inducunt. Hinc est, quod vsus olei & aquæ, hydrelæi scil. quamuis faciat ad mitigationē doloris & lenientia sint dolorē, tamen malus est ex Galeni sententia in vulnerib. neruorū, quoniā refrigerant: omnia enim frigida in hoc casu mala sunt, vnde etiā lac, licet dolorē leniat ac mitiget, tamen quia in eo etiā sunt aliquæ partes frigidæ, nō debemus eo vti in vulnerib. neruorum siue eorū dolore: quare nos monet Gal. vt vtamur iis, quæ leniant, sed locū fouendo, vt si foueretis locū fomētō facto ex oleo: sciatis enim, quod hæc ratio præstātissima est, & est medicamentum propriū, quo tamen nos vtimur hunc in modum: calefacimus oleum, & in eo imponimus membrum cum parte vulnerata siue puncta: quoniam statim cessat ac quiescit dolor. Sed aduertendum est, quod aliquantum extracta parte ex oleo, statim iterum insurgit dolor, quare tunc & vos iterum partem in ipso oleo infundetis: nam ex iteratis infusionibus cessat denique. Sed diceat aliquis, nonne, est Hippocratis sententia, quod oleum inimicetur neruis, imo & vulneribus etiam: quoniam habet vim emolliendi ac humectandi? at nerui ipsi maxima indigent siccatione, quomodo ergo hic probatur? Et ego quidem miror quandoque: quoniam seruaui interdum partem neruosam, punctam duos vel tres dies in oleo, & nullum successit incommodum, quinimo maxima succedebat doloris mitigatio, vnde ad instantiam ego responderem, quod bene verum est, quod oleum habeat vim humectandi & emolliendi, tamen nos eo vtimur in hoc casu propter symptoma, dolorem scilicet sedandum: præterea oleum diutius ac sæpius incalefactum recipit & acquirit ex hac crebra incalefactione vim siccandi, & hoc fit per longum vsum, vnde dicatis vos, quod quando Hippocrates dicit, quod oleum nocet vulneribus, & præcipue neruorum, intelligit quo ad regiam sanationem vulneris, non autem quo ad mitigationem doloris: quoniam ratione mitigationis doloris conuenit oleum, quamuis ratione vulneris non conueniat. Sciendum tamen est, quod non omne oleum cōuenit, nec bonum est. omphacinum enim ex oliuis immaturis malum est, cognoscitur autem hoc oleum crudum à colore viridi, quem detinet: sed quoniam etiam adstringens est, malum est: quoniam omnia adstringentia vitanda sunt in huiusmodi vulneribus. Eligendum itaq; erit oleum maturum ac vetustissimum: & ideo oleum illud ex Apulia optimum est, quod flauum est: quoniam ex oliuis fit optime maturis: præstantissimum ergo erit illud, quod est luteum, subtile, acre & acutum ad odorem ac pungens nares.

Stupefacientia fugienda.

Lac malum in neruorum dolore.

Oleum approbatur pro fomento ad mitigationem doloris.

Cur oleo in his doloribus sit vtendum, cum tamen sit inimicum neruis.

An omne oleū conueniat.

Sed si casu non haberemus tale oleum, nec possemus habere, accipiatis illud, quod haberi potest & illud parum coquatis, & cum eo etiam folia sambuci; coquatur vel cortex ipsius vel cæpa liliorum alborum, & sic eo vtendum pro sedando dolore. Sedato autem dolore debemus imponere medicamenta opportuna, quæ hac ratione inuestigari debent; nos habemus substantiam nerui frigidam & siccam, debemus ergo vti medicamentis calidis & siccis; siccis quidem vt conseruent propriam temperiem nerui ac in statu: calidis vero, vt tollant frigiditatem superuenientem; erunt ergo talia medicamenta robustissima siccantia, moderate tamen calefacientia.

Modus praparandi oleum, si optimum haberi non possit.

Notandum est autem, quod illi, qui sunt puncti in neruo, pars eorum puncta neruosa potest perferre oleum etiam feruentissimum, in quo ego non possem digitum tenere. & miror: vnde colligo, quod sensum exquisitissimum neruus non habeat, sed exquisitum tantum, vnde quia habemus sensum hunc saltem exquisitum, qui non potest quodlibet medicamentum tolerare, ideo omnia medicamenta debent esse immunia ab omni asperitate & acredine. Quia vero substantia nerui dura est: ideo medicamēta sint tenuia, & ita tenuia, vt possint penetrare. Quarto obseruandum est, quod si sanies colligatur in fundo vulneris vel ichor, & ibi detineatur, est veluti venenum, ac dolorem excitat; ideo medicamenta hæc non solum habere debent vim siccandi ac calefaciendi, sed etiam educendi & attrahendi ichorem à profundo in superficiem.

Nerui qualem sensum habeat.

Qualia medicamēta requirant.

Hæc autem medicamenta distinguuntur: nam vel simplicia sunt vel composita: simplicia quoque distinguuntur in leuia & robusta: leuia autem sunt hæc, primo omnes resinæ, vt est abietina, terebinthina ac laricina, præterea gummi, elemi, oleum de terebinthina, quod non sit acre cum aqua destillatum, ac etiam oleum ex resina abietina cum aqua etiam destillatum. Hæc enim omnia habent vim siccandi & roborandi atque extrahendi à profundo. Robusta autem medicamenta simplicia sunt hæc, pix liquida abluta,

Simplicia leuia.

Simplicia robusta.

naphtha,hoc eſt, oleum petroleum omne, vel alba vel nigra, vel lutea, ſagapenum,opopanax,laſer medicum, id eſt, aſſa fœtida: quoniam Cyrenaicum non habemus, ſulphur viuum,calx non extincta & euphorbium. Hæc enim etiam habent vim ſiccandi,moderate calefaciendi ac extrahendi.

Sed aduertatis,quod dicebam, quod medicamentum debet habere vires, quas dixi,ſicuti collegi ex dictis Galeni, vnde cum hæc robuſta ſint,acria,mordacia ac nimis calida,non videntur conuenire,cum ſint præter methodum iam poſitam: ideo vos moneo, vt ipſa tantum imponatis robuſta in partibus exterioribus,illa vero,quæ ſunt leuia,infundantur in ipſum vulnus:quoniam ſic faciendo,quamuis illa robuſta acria ſint, non tamen ita facile eorum vis penetrat:quoniam leuia in vulnus impoſita impediunt tranſitum acrimoniæ robuſtorum. Eſt & aliud notandum, quod in arctis neruorum vulneribus ſiue puncturis fugiendum eſt ne imponatur linamētum: quoniam prohiberet egredi ſaniem, & ſic excitaretur dolor intolerabilis, quare infundantur illa leuia in vulnus.

Notandū circa impoſitionem medicamentorum in punctura.

At in exterioribus alio modo etiam vtimur iſtis robuſtiſſimis ac calidis medicamentis:nam iſtis vtentes mitigamus feruorem illorum, & ſic Galenus miſcebat hæc robuſta cum oleo vel cera,& ita vos facietis. Sciatis autem,quod quamuis multa connumeraui,inter illa omnia, principem locum tenet euphorbium, quod ego ſacram anchoram appello, ac ſemper ipſo vtor: quoniam nunquam decipit Medicos, neque fruſtratur ſuo fine.

Euphorbii præſtantia in neruorum vulneribus.

Bene verum eſt,quod euphorbium eligi debet pro ratione affectuum ac corporum; vnde robuſtum ac recens eligatur in robuſtis corporibus, ac in altis & profundis vulneribus:ſed in corpore non ita robuſto, ac in vulnere ſuperficiali eligatur vetuſtum euphorbium. Sed notandum eſt, quod raro inuenitur bonum euphorbium. Bonum autem euphorbium illud eſt, quod eſt recens ac in exterioribus eſt veluti reſina nigricans,& hoc in corporibus vtemini. Vetuſtum autem euphorbium eſt in exterioribus flauum ac rubens, & hoc vtamini in leuibus corporibus. Sed quia diuiſi hæc medicamenta in ſimplicia & compoſita, ideo tranſeamus ad compoſita cum de ſimplicibus egerimus. Compoſita ergo medicamēta, quibus in ſimpliciſſimo neruorum vulnere ac dolore ego vtor, ſunt hæc; ſed primum eſt hoc:

Nota recentis & vetuſti euphorbii.

Medicamentū pro ſimplici vulnere & dolore.

℞.ſagapeni
opopanac.an.ʒj.
terebinth. ℥j.
ol.vetuſti ʒ ij. Miſce, fiat medicamentum, quod in exterioribus ponatur. Si vultis robuſtius, fiat ſic:

Aliud robuſtius.

℞.aſſæ fœtidæ ʒ j.
ol.vetuſtior.
pic.naual.frict.
ceræ an. ℥ß. Miſce, fiat linimentum, quod ponatur ſuper vulnus.

Si vero vultis adhuc robuſtius, fiat ſecundum hanc formam:

Adhuc robuſtius.

℞.ſulph. viui ℥j.
ol.vetuſtiſſimi quantum ſufficit, vel loco olei communis accipio oleum ſambucinum,oleum ſcilicet,in quo incocta ſunt folia ſambuci, q.ſ. Miſce ad mellis conſiſtentiam, ita vt fiat medicamentum, quod ponatur ſuper vulnus. Quod ſi iſta habere non poterimus,accipiatur calx viua & miſceatur in mortario cum oleo vetuſtiſſimo,& ſupra vulnus ponatur. Apud recentiores autem habemus oleum hypericonis magiſtrale,& etiam oleum hyperici rubeum dictum completum, quod eſt optimum. Illud autem quod magiſtrale vocatur,componitur ſecundum hanc formam:

Oleum hypericonis magiſtrale.

℞ terebinth.claræ ℥ ij.
ol.de terebinth. ℥ j ß.
roſ. compl. ℥ iiij.
vermium terreſtr. lotor. cum vino maluat. ℥ j ß.
rubiæ tinctor. ʒ iij.
ſem. & fl. hyperici M.j.
roriſm.
centaur.ma.
millefol.an.M.ß.

Modus componendi.

ſulph. viui ℥ ß. tritis terendis, inciſiſque incidendis hæc miſceantur addito vino maluatico, ac bulliant parum, deinde addantur ſemina ac flores hyperici ac coquantur ad vini conſumptionem, tandem exprimantur, & in vas reponantur, quod deinde

deinde in sole diebus canicularibus exponatur, in tempore autem noctis seruetur in domo, ne refrigefetur ab ambiente frigido, tandem transactis diebus canicularibus seruetur ad vsus; & hoc vocatur oleum hypericonis completum magistrale, quo ego vtor in exterioribus. Sed quoniam dicebam, quod inter medicamenta, quæ applicantur puncturis neruorum præcipuum est euphorbium ac omnia superat; ego hoc vtor, vtarque dum vivam. Sed aduertendum est, quod ego ipsum non vno tantum modo sed variis compono, vt etiam Galenus facit: quandoque enim ipsum compono cum oleo, quandoque cum cera, quandoque cum resinis, & aliquando cum populeone: ac Galenus lib. 6. meth. cap. 2. hoc modo ipsum componit:

Quot modis miscere possis euphorbium pro medicamento.

℞. euphorb. ʒj.
ol. comm. ℥xij.
ceræ ℥ iij. Misce, & fiat medicamentum molle.

Vel hoc hoc modo misceatur, cum idem facit:

℞. ceræ
colophon.
ol. an. ℔j.
euphorb. ℥ ij. misce.

Sed si corpus sit tenerum & molle, addit euphorbii ℥ j ß. vel hoc alio modo conficiet; ℞. ceræ, euphorbii an. ℥ ij. misce. Et vt videtis Galenum interdum miscere, cum emplastro, quandoque cum vnguento, quandoque miscet mediocri quadam substantia, ita vt etiam tenerrimum sit medicamentum vel emplastrum ratione multi olei, vel sit mediocre vel durum, vt facit idem Galenus. Dum autem miscemus, monet Galenus, quod dum coquitur in eodem lebete, addatur parum aquæ, ne comburatur. vel fiat ac paretur hoc medicamentum in duplici vase: quoniam preciosus est modus hic, & tum non indiget aqua mixtâ, imponetis ergo hoc medicamentum donec cesset dolor & caro crescat, terminus enim impositionis huius medicamenti est donec mitigetur, ac cesset dolor, secundo quod crescat caro, tertio etiam donec obducatur cicatrice vulnus nerui; hic enim est terminus.

Modus componendi.

De Neruis sectis siue cæsim vulneratis. Cap. XXVI.

Si autem neruus sectus ac cæsim vulneratus sit, tunc videndum est, an ipse neruus sit detectus nec ne, quamuis vt plurimum, quando resectus est, videtur, quia dum incisus est neruus, necessario magnum est vulnus, in quo (vulnere) hoc est agendum, primum est secanda vena, vt in punctura: secundo si adest dolor, datur indicatio, vt foueamus locum cum oleo calido: si vero non adsit dolor nec spasmus, non est deueniendũ ad oleum: quoniam superfluum est, quin etiam fugienda sunt omnia relaxantia, sed deueniendum est ad siccantia, sed quæ careant omni mordicatione, inter quæ præstantissima in hoc casu est pompholyx abluta: calx etiam viua decies lota sub diebus caniculæ. Præterea medicamẽta, quæ fiunt ex pompholyge, videlicet vnguentum diapompholygos dictum descriptum ab Aetio, similiter diachalciteos, quod dicitur diapalma, si abluatur oleo mastichino vel ol. hypericonis prædicto: præterea est vnguentum de matresylua optimum in eodem casu & vnguentum de melle, quod variis modis describitur: nam ab Aetio vno modo describitur in lib. 1. c. 127. & alio modo in lib. 15. c. 14. sed hoc vltimum est magis cõpositum; primum enim conficitur ex melle, lithargyrio, cera & oleo, secundum vero magis compositum tale est:

Simplicia.

Composita.

Vnguenti ex melle duplex descriptio ex Aetio.

℞. litharg.
ol. an. ℔ ij.
colophon.
ceræ
axungiæ veteris
mellis an. ℥ xx. primum accipiatis axungiam, oleum & lithargyrum & coquantur donec non inquinent, deinde in fine reliqua addantur, tandem emolliatis medicamentum manibus & seruetis ipsum: quoniam opportunum est maxime.

Modus componendi.

Aliud vero Nicolai est hoc modo compositum:

Vnguentum de melle Nicolai.

℞. litharg.
ceræ
olei an. ℔ j.
terebinth.
mellis Attici
adipis porcini an. ℥ vj. misce. Sed in hoc etiam non est contemnen-

dum præceptum Galeni, vt ſcilicet ſemper abluantur iſtæ reſinæ, quæcunque ſint, & ego ſemper eas abluo cum aqua betonicæ, vt amittant omnem acredinem, & vtamini illis in mollioribus corporibus. In robuſtioribus vero ac duris corporibus vtitur Galenus paſtillis Polyidæ, qui tamen non ſunt illi, qui deſcribuntur ab Aetio, lib. 9. cap. 49. ſed ſunt illi, qui deſcribuntur à Galeno lib. 5. de compoſ. med. ſec. gen. cap. 11. & ibi ſunt duæ deſcriptiones, parum tamen inuicem diſcrepantes, quare quacunque vti poteritis: aliquando vtebatur Galenus paſtillis Andronis, vel Paſionis, vel de charta, quos diſſoluebat in ſapa & imponebat. Paſtilli autem Paſionis deſcribuntur in lib. 5. de compoſ. med. per gen. cap. 14. ſed dicuntur ibi trociſci Praſion, non autem Paſionis Pauli, qui eoſdem deſcribit & appellat Paſionis: hos etiam Myrepſius deſcribit, ſed deſcriptio illa mihi non placet. Aetius etiam cap. 50. lib. 14. eos deſcribit & optime. Paſtilli autem Andronis deſcribuntur, lib. 5. de compoſ. med. per gen. & ab Aetio lib. 14. cap. 5. & à Paulo lib. 7. cap. de paſtillis & omnes diuerſimode ipſos deſcribunt, ſed ego magis probo deſcriptionem Pauli quam cæterorum. Paſtilli autem de charta combuſta deſcribuntur à Galeno lib. de comp. medic. per loc. cap. 1. & libr. 5. de compoſ. med. per gen. capit. 14. & ab aliis etiam diuerſis in locis: ſed quoniam hi paſtilli fiebant ex papyro, quam nos non habemus, ideo ego loco papyri, qua caremus, vtor typha, quæ eſt illa planta, quæ vulgo dicitur pauiera, quam ego credo habere eandem vim cum papyro antiquorum, ac vires eaſdem penitus obtinere: ideo ego vtor typham & compono eo modo in reliquis. Sed quoniam hæc omnia accipiunt metallica robuſtiſſima, vt arſenicum, æruginem æris etiam, quæ acerrima ſunt, & cruſtam poſſunt inducere, ideo videtur, quod non poſſint conuenire in neruo detecto, neque pro tali caſu ſint opportuna, nec etiam in corporibus puriſſimorum ruſticorum cum nerui ſemper ſentiant; quinimo ſi Galenus conſulit, vt euitemus euphorbium in neruo detecto, quia mordicat, multo magis iſta acerrima erunt euitanda. ſed cum per corpus robuſtum ac durum duo poſſimus intelligere, nempe corpus ruſticum ac duri habitus, & corpus durum ſubiectum, videlicet pars ſubiecta dura, vt ſunt ligamenta; ſi intelligamus non ſolum corpus durum ſicciſſimi ruſtici, ſed etiam duram ſubiectam partem, vt ſunt ligamenta dicta, Galenus erraret, & ſibi non conſtaret, ideo in neruis mollibus vtemur medicamentis primo deſcriptis in libris dictis: in ligamentis autem corporum duriorum vtemur iſtis robuſtis medicamentis cum ſapa tamen liquefactis. Sed primo ex Galeni iuſſu abſtergatur ſanies goſſipio in ſapa madefacto, vel etiam cum ſputo, non autem ſicco goſſipio, ne dolore pars afficiatur: quoniam ſi madefiat corpus, fit magis æquale, & ita ſine dolore fit detерſio; fugiatis tamen aquam ne refrigerentur nerui. Partes vero circumpoſitæ ſemper inungantur oleo chamomillæ vel lumbricorum, vt tollatur dolor.

Paſtilli Polyidæ. — *Paſtilli Paſionis.* — *Andronis.* — *De charta combuſta.* — *An metallica conueniant in neruis.*

De Contuſo neruo cum cum cute, tum ſine cute.

CAP. XXVII.

Si neruus ſit contuſus cum cute.

SI vero neruus contundatur vel ſolus vel cum cute contunditur; vnde ſi ſimul neruus cum cute contundatur, neque tamen appareat neruus detectus & ſanguis erumpat per anaſtomoſin, indicatur primo, vt ſiccemus partem contuſam ac impediamus, ne materia egrediatur è neruis per anaſtomoſin, & ea, quæ iam egreſſa eſt, digeratur: ideo medicamenta ſint ſiccantia digerentia ac obturent, etiam aliquantiſper adſtringant, ne exeat ſanguis. Cum autem temporibus Galeni iſtæ contuſiones eſſent frequentes in athleticis ludis, ideo habebant athletæ illi quædam medicamenta familiaria ac emplaſtra confecta ex farina fabacea & oxymelite, ex quibus faciebant opportunum medicamentum, quia digerit ac attenuat ſanguinem egreſſum, vnde quandoque etiam ipſi componebant emplaſtrum ex farina orobi & oxymelle, & addebant aliquando puluerem ireos, vel ſolebant conficere fomentum ex vino mulſo, vel ſapa & modico aceti ad penetrationem, vt dicit Aetius lib. 6. cap. 20. Sed quoniam ex Galeno talia debent aliquantulum adſtringere, ideo probarem ego quod ſemper permiſceatis vinum auſterum. Ego autem habeo in vſu alabaſtrina duo, alterum magiſtrale, quod in principio ſtatim eſt opponendum; reliquum vero eſt luminaris maioris, quod ſecundo loco accipimus & apponimus, quia robuſtum eſt. Si vero ſuccedat dolor, foueatur locus oleo valde calido cum ſpongia, deinde veniendum eſt ad medicamenta dicta.

Medicamenta pro neruo contuſo. — *Si dolor ſuccedat.*

Si contundatur ſine cute.

Si vero contundatur neruus ſine contuſione cutis, quod tamen raro accidit, nec vnquam ego vidi, foueatur cum aliquo oleo calido, vt cum anethino vel rutaceo, & ſecetur prius vena ac euacuetur corpus, ne aliqua ſequatur influxio. & hæc dicta ſufficiant de vulneribus partium neruoſarum.

De Vulneribus Sclopetorum, vel à glande plumbea factis.

Cap. XXVIII.

VVlnera, quæ globulo illo plumbeo fiunt, noua esse vulnera aliqui attestantur, atque antiquioribus ignota, quia nouum sit instrumentum, quo fiunt, cum tamen mihi videatur hoc genus vulnerum antiquissimum, atque consequenter antiquis notum esse, cum ipsi antiqui quodam instrumento vterentur, quod catapultam vocabant, qua glandes plumbeas proiiciebant, hinc est, quod Celsus lib. 7. cap. 6. de glande plumbea loquitur, & de vulnere ab ea facto, modumque ipsius curandi tradit. Bene verum est, quod non credo, instrumentum illud, quo his temporibus glans eiicitur, esse antiquum, sed nouum ac non vnius generis, sed multiplex esse: quoniam aliud est leue, aliud grauius, aliud grauissimum, quæ etiam nomine vario sicuti & eorum glandes vocantur: quod genus instrumenti vtinam tollatur ex orbe, cum nullum hoc sit instrumentum peius, ac sic subitò interficiens hominem. Sed de vulnere ab eo facto agentes dicimus, quod quinq; nobis videnda consideranda; veniat capita: primo quid sit huiusmodi vulnus; secundo quæ eius causæ, tertio quæ differentiæ; quartò quæ signa, quinto quis modus curandi. *Capita tractanda.*

Quo itaque ad primum caput, dicimus non esse vulnus simplex: quoniam in eo non solum adest solutio continui, sed etiam adest cauitas, & deest caro, ideo est vulnus compositum, quam rem obseruantes antiqui dixerunt hoc esse vulnus cum contusione, attritione, fractura atque veneno, ideo volunt esse vulnus compositum, & quidem compositum est: nam adest contusio & reliqua dicta, sed de duobus extremis, videlicet fractura & veneno dubium est, an adsint in tali vulnere, cum aliqui velint, quod in hoc vulnere sit exustio, vnde vocarunt ipsum vulnus exustum variis de causis atq; rationibus moti; & primò quia adest eschara, siue crusta, quæ est proprium signū vstionis; secūdo adest modus exustionis, qui talis est, vt primo incipiat, deinde sensim ac sensim maior fiat, vnde videtis quod adusta vsque etiam ad nonum diem crescat, vt etiam fit in hoc vulnere, ergo cum vstione est hoc vulnus, cum videamus, quod indies magis semper crescit vsque ad nonum; tertio quia accidunt his vulneribus symptomata propria vstorum corporum, vt erysipelas vstum & huiusmodi. Quarta ratio est à causa efficiente: quoniam hæc vulnera fiunt ab instrumento ignito, quod est glans plumbea, quæ per maximam attritionem quam acquirit ex violentia, qua ex instrumento eiicitur, ignitur: præterea cum ad spatium aliquod eiiciatur, efficitur in motu, quem habet in aere, ideo ignitur; quod autem ex aere possit igniri, testis est Aristoteles libr. de cœlo, & alibi dicens, quod quandoque sagittæ plumbeæ liquescunt ex aere: ergo hæc vulnera vsta sunt. Quinta ratio sumitur ab ip so effectu, quia videmus in parte anteriori horum vulnerum maiorem esse escharam, quæ deinde sensim ac sensim ad posteriorem partem vulneris deficit, ex quo indicatur glandem esse ignitam, quæ dum primo carnem tetigerit, fortius adurit, & tandem vltra procedens extinguitur à carnis humiditate, & sic leuius adurit. Sexta ratio est; quia hæc vulnera sentiunt ac patiuntur eadem symptomata, quæ sentiunt vsta.

Quid sit vulnus sclopetorū.

An in vulneribus sclopetticu adsit venenum & exustio & fractura.

Rationes probantes vstionē adesse.

Alii vero tenent non adesse vstionem nec escharam, quorum ego sententiam teneo & affirmo, & ratio est: quoniam si interrogetis aliquem à sclopeto vulneratum, affirmabit nullum vnquam percipere ac sentire calorem ab ipso vulnere, imo multos ego vidi vulneratos, atque etiam traiectos ab ipsis glandibus, qui vix crediderunt esse sibi solam perforatam cutim; quare cum non sentiant sensum vstionis, nec etiam calorem, possumus dicere non adesse vstionem. Secundo si huiusmodi glans esset ignita, nonne vreret notabiliter quodlibet corpus? quod tamen non facit, cum nec pannos, quibus tegitur vulneratus, vrat: nec tamen credo inesse in ipsa glande vim fulminis illius, quod pecuniam eliquat in marsupio ipso manente illæso, vt Albertus Magnus inquit. Præterea vel valde ignita esset glans vel parum, siue vel vstio ista parua esset vel magna. Si valde ignita esset glans, statim dissiparetur in frusta, quod tamen non fit. Præterea si accipiatur globulus ceteus, & inuoluatur cum stuppa, deinde proiiciatur ex sclopeto, non eliquabitur, sed adhærebit sic solidus corpori supra, quod proiicietur, imo & stuppa illa, qua erit inuolutus illæsa manebit; ergo globuli isti nec fiunt igniti nec inducunt crustam. Et quando dicunt isti, quod globus ille non incalescit à sclopeto, sed ab aere, dico quod non incalescat ab aere, nec isti rectè obseruarunt; quoniam tanta fit contusio & denigratio in illis vulneribus, quæ facta sunt eminus, & à propinquo instrumento, qualis & quanta fit à longinquo, seu in vulneribus longiori spatio factis, nec vlla est differentia. Præterea *Rationes in oppositum.*

si plumbum igniretur, sequeretur, quod statim percipiens illam humiditatem carnis dissipateretur in granа, vt patet experimento. Præterea si fieret crusta, non daretur, neque fieret fluxio sanguinis: quoniam crusta illa supprimeret sanguinem, videmus tamen in his vulneribus maximas fieri fluxiones, ergo nec eschata nec vstio adest, sed fit quædam contusio denigrata.

An hæc vulnera sint venenata rationes probantes.

Altera dubitatio est, an huiusmodi vulnera sint venenata nec ne. Et dicunt aliqui quod sic, rationibus his persuasi: primo, quia puluis sclopetorum est venenatus: quoniam habet mixta illa, quæ ratione suæ caliditatis sunt venenata, vt nitrum & sulphur, quæ sunt calida in quarto gradu. Secundò arguunt isti, quod omnes, qui conficiunt puluerē istum, habent præceptum in eo conficiendo, ne comedant allium ac cæpas, quod etiam præceptum est illis, qui timent venenum, ne ista acria comedant. Tertio quia puluis iste cum ignitur, in motu acquirat quandam malam naturam, ideo fit venenatum vulnus, & inde sequuntur mala symptomata.

Hinc est dicunt isti, quod si globuli isti, dum formantur, extinguantur in oleo, cum sunt igniti, acquirerent maiorem malignitatem. Et hæ sunt rationes affirmantes talia vulnera esse venenata. Sed nisi habeant alias rationes, istæ non concludunt nec probant.

Rationes in oppositum.

Primo, quia plumbum ac ferrum, ex quibus fiunt hi globuli, non sunt venenata: præterea sulphur conceditur, & datur in asthmate, & aliis morbis, & ego vidi puerum comedisse semi libram sulphuris, nunquam tamen aliquod incommodum passus est; & in scabie sulphuris vsus est frequens, nec venenat aliquem. Nec eitā puluis iste potest esse venenatus ratione carbonis: quoniam videmus pueros multos comedere carbones absque læsione. Modus præterea componendi puluerem istum nihil venenati continet. Præterea multis insiguntur grana pulueris istius in cute, carne & facie, & ibi sæpe numero consolidantur ac sanantur vlcera permanentibus granis, & aliqui gestant hæc per plures annos, nihil tamen veneni succedit, cum tamen si esset venenatum corrumperet illam partem: imo quando milites ac iuuenes isti luxuriosi patiuntur vlcera ac caries in pudendis, inspergunt illa puluere isto bombardico & sanantur. & certe nisi maximum ac tantum excitaret dolorem, esset preciosum medicamentum. Ergo arguitur ex his non esse venenum in puluere, nec venenata esse vulnera à glande plumbea facta ex sclopeto proiecta.

Ad rationes in oppositum.

Ad rationes vero adductas, quando dicunt isti, in his vulneribus adesse escharam, negandum est: quoniam id, quod ipsi credunt esse eschară, est potius caro contusa, quamuis communiter eschara vocetur.

Quando vero dicunt, crescere vsque ad nonam, vt faciunt vstiones; dicatis, quod talis est mos corporis contusi, vt semper increscat antequam separetur, & cadat contusio; id autem quod comburitur, crescit, & ad nonam, & etiam plus & minus ratione corporis comburentis, at in hoc casu crescit ratione contusionis.

De erysipelate autem dico, quod etiam insequitur aliquando ad contusionem etiam. Ad id vero de sagittis plumbeis eliquatis in aere, dico, quod hæc verba sunt ad Ephesios, & falsum esse: quoniam si hoc esset verum, ignirentur etiam nunc, & his etiam temporibus eliquarentur, quod non fit; ergo, &c. Ad quintam rationem dicatis, quod in principio est contusio, in fine vero adest laceratio: quoniam globulus penetrando amittit vires, & in principio est maior resistentia. Ad sextam vero de dolore, dico, quod idem sit dolor, vt in combustis. Ad septimam, quod illi, qui conficiunt puluerem istum bombardicum, præceptum habeant, vt non comedant allium nec cæpas, dico, quod hæc prohibent, vt isti dicunt, non ratione veneni, sed ne palatum habeant siccum, cui facile adhæreret iste puluis: ne itaque eis exiccetur palatum & gula, & non, quia susciperent de veneno aliquid, prohibent acria. Colligendum est itaque vulnus hoc esse cauum, contusum non venenatum: non tamen sine mala quadam qualitate putrescibili & maligna ab illa contusione inducta, atque à contusa carne fomentata.

Causa, species & differentiæ.

Causæ vero horum vulnerum patent, quod prima est sclopetus, mediata tamen, glans autem ipsa immediata. Species etiam ac differentiæ patent, quia alia ab hoc, alia ab illo fiunt instrumento.

Signa.

Signa etiam manifesta sunt, nigredo, contusio, dolor, & quia etiam hoc haberi potest clarum à strepitu pulueris: credo enim, quod nugæ sint de puluere illo, quod strepitum non faciat: falsum enim esse credēdum est, posse eodem impetu eiici glandē à sclopeto onerato puluere non edente strepitum. poterimus itaque etiam signum sumere à strepitu pulueris istius. Veniamus modo ad curationem, in qua videndum est primo, an glans sit retenta vel non: si sit retenta, indicat sui extractionem, quæ extractio debito

bito ac certo tempore fieri decet, ac debito instrumento & modo, & ita dicendum est de partibus loricæ, id est, annulis ipsis ac partibus etiam vestis & huiusmodi: quæ secum solet ista glans sæpe feriendo ferre. Tempus autem extrahendi glandem est ipsa ac eadem dies, si fieri potest, qua infixa fuit: at si non possumus ipsam eodem die extrahere, ego sum istius sententiæ, quod non debemus tentare extractionem vsque ad septimam, nisi fuerit ipsa glans in summa quiete & superficie, quia tunc & prima & secunda die extrahi potest.

Quo tempore glans extrahēda sit è corpore.

Si vero lateat in intima parte, non est extrahenda ante septimam, nisi prima die extrahatur: cur autem sic prima die tantum? quoniam in prima die sensus partis est obtusus ac corruptus, vnde extractio fieri potest sine dolore; at in secundo die & reliquis reuiuiscet sensus & periculum est inflammationis, si protitetur locus in extractione, ideo differenda est vsque ad septimam.

Modus extrahendi est, vt semper collocetur æger in eo situ, in quo erat, quando fuit vulneratus: vnde si vulneratus erat eques tempore vulneris accepti, collocetur in sella equi ad inueniendam glandem: cum autem fuerit inuenta, extrahatur, vel per eandem partem, vel per oppositam, vt monet Celsus loco citato, & ego pluries extraxi, & extrahere sum solitus per partem oppositam quam per eandem.

Modus extrahendi circa situm ægri.

Instrumenta autem, quibus extrahi debent, plura sunt; alii enim quibusdam hamis seu rampinis vtuntur; alii quodam annulo, alii forcipe ansetino, & tursus aliqui instrumento alphonsino vocato, quod mihi non displicet. Aliquando autem opus est dilatatione: ideo in ea facienda sytingotomo solemus vti: recentiores autem habent fistulas quasdam, in quibus latent gladioli: imponunt enim gladiolos in syringa latentes, & tandem manubrium eorum stringentes faciunt, vt gladioli è syringa exeuntes vulnus dilatent.

Instrumēta ad extrahendas glandes.

Si autem traiectum sit corpus, aliqui accipiunt acum ferreum, & imponūt filum ex materia aliqua molli, vt bombyce vel simili, & per vulnus traiiciunt, vt seruetur rectitudo partis vulneratæ siue vulneris, vt possit educi sanies, aliter intumescentibus musculis clauderentur meatus illi & non posset egredi sanies, & hoc mihi potissimum placet, quando vulnus penetrat à superficie ad superficiem.

Si adest fluxus sanguinis, quomodo sistendus.

Quandoque vero cum adsit fluxus aliqui accipiunt filium madefactum albo oui, alii vero accipiunt ferrum ignitum, & sic traiiciunt vulnus. Ego vero consulens & dolori & fluxioni sanguinis, ratione doloris attendo maxime contusioni, quæ nescio quid maligni secum fert. Aliqui autem fluxioni sanguinis attendunt per leuem quandam vstionem infundendo portionem Ægyptiaci puri Mesues, & ego reuera quandoque sum vsus, & cessauit dolor, & inducitur leuis quædam crusta, quod quidem mihi etiam non displicet. Alii vero per oleum calens sanguinem sistunt iniectum bis vel ter, & maximo cū successu, accipiunt enim oleum liliorum alborum & calefaciunt, donec candescat, & impositis linamentis bis aut ter tangunt partem vulneratam, donec persentiat calorem, & sic sanguis sistitur & sedatur dolor: aut etiam vtuntur hoc medicamento:

℞. capitelli ℔ j.
theriacæ ℥ j.
succi solan. hortens. vel sonchi ℥ ij. hæc mixta optime cōseruentur sub sole diebus canicularibus, donec fiat medicamentum, quod imponatur in huiusmodi casu. Aduertendum est tamen, quod eo vti debemus moderate, in quo theriaca additur ratione veneni, sed siue addatur siue non, ego non curo, cum vulnus venenatum non sit, solatti vero succus additur, vt retundat vim capitelli. Ego autem vtor oleo chalcanthi, vel Ægyptiaco puro, quod conficio cum albo oui pondere æquali, & relinquo vsque ad alteram diem: tunc postea incumbendum est parti contusæ, vt possit auferri. Solent isti vti tetraphatmaco, alii ol. amygd. dulc. alii oleo ex vitellis ouorum, quo illinunt funiculum illum traiectum, alii butyro, alii terebinthina.

Sed ego quādo possum traiicere filum, non curo, si hoc vel illo illiniatur: si vero non possemus traiicere funiculū, vterer semper oleo amygd. dulc. vel de vitellis ouo rū: sed quia relaxat nimis ac mollit, ideo admisceo portionem syrupi rosf. vel mell. ro. Cum autem videritis crustam esse ablatam, vtamini his, quæ carnem gignere possunt, atq; deinde etiam cicatricē inducere valent. Si vero transacta septima non extrahatur glans, & adhuc permanserit & sentiatur adesse, tunc ego tento dilatationem vulneris cum medulla milii nigri, vel cum spongia vel alia re simili. Vulnere autem dilatato extraho glandem. Si vero post septimam non sentio glandem, neq; ego tento amplius extractionem, sed agglutino, & si mundum sit vulnus, ipsum comprimo fascia vel plumaceolis superposito barbaro.

In vulneribus autem bombardarũ ſæpe non datur locus neq; tempus medendi; ſed ſi quid ſit ſpei, ſecetur pars, & imponatur Ægyptiacum, ne ſuccedat gangræna, & ſit Ægyptiacum quod habeat chalcanthum: & ideo vos moneo, vt hoc vtamini, donec induatur eſchara: quia ibi quandoque adſunt magna vaſa, quibus dilaceratis fit magna fluxio ſanguinis: ideo opus eſt valido etiam medicamento. Facta ſufficienti cruſta vtamini tetrapharmaco ac concoquentibus, vt eſchara cadat; & tandem procedatur cum illa cura, qua ſanantur reliqua vulnera, vt dictum eſt ſuperius. Et hæc ſatis ſint dicta de omnibus vulneribus cum vniuerſalibus tum particularibus.

FINIS TRACTATVS SEPTIMI, DE VVLNERIBVS.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI, DE VLCERIBVS PARTICVLARIBVS.

TOMI II. Tractatus VIII.

De Tinea. CAP. I.

Tineæ ſpecies.



ETERES chirurgi, vt Haliabbas, Guido ac Ioannes de Vigo de tinea ſcripſere, enumerantes tantum aliquot eius ſpecies, quarum primam melleam vocarunt, eo quod ex ipſa emanans humor ſimilis ſit melli. Secunda ſpecies ab ipſis vocatur ficoſa, quia continet materiam ſimilem granis fici, de qua loquitur Paulus lib. 3. cap. 5. Tertia ſpecies vocatur humida vel aquoſa, quæ eſt tumor vlceratus tenuiſſimis foraminibus, ex quibus egreditur humor aquoſus. Quarta vocatur tuberoſa, quæ eſt genus tumoris prominens ac referens figuram papillæ, & eſt tumor cum rubore cutis, ex quo emanat humor ſanguini ſimilis. Quinta ſpecies vocatur lupina, eo quod habeat ſimilitudinem cum ſeminibus lupini. Sexta vocatur furfuracea, quia ſquamas habet ſimiles furfuribus, de qua inſtitutum noſtrum eſt loqui, cum ſit ea, quæ vt plurimum graſſatur.

Quid tinea furfuracea. Eſt ergo tinea furfuracea vlcus capitis rubicundum, quandoq; ſiccum, quandoque humidum & emanans & habens fruſta & ſquamas craſſas, & plerunq; eſt cum capillorum defluuio: de qua loquitur Guilelmus Placentinus chirurgus, & nullus alius inter modernos. Galenus vero eam vocat ἐξάνθημα capitis, & Paulus etiam, ac veteres Græci pſoram vocant, Auicennas vero ſapharum.

Cauſa tineæ furfuraceæ. Cauſæ autem furfuraceæ tineæ ſunt humores quandoq; tenues, & aliquando craſſi, qui faciunt cortices craſſos; interdũ ſolet eſſe vlceratio capitis, quæ facta ſit ſcalpendo vnguibus, quam exulceratione ſequitur fluxio. Quandoq; vero ſordes propter raram capitis lotionem, in cute capitis exiſtentes ſolent eſſe cauſæ huius tineæ furfuraceæ, ſed plerunq; contagium eſt in cauſa huius tineæ.

Signa. Signa vero ſunt cruſtæ capitis craſſæ velut cortices, quæ quandoq; fiunt inæquales, & tunc hæc inæqualitas cruſtarum eſt ſignum non confirmatæ tineæ: aliquando vero æquales ſunt & ſunt ſignum confirmatæ tineæ.

Præſagium. Curatio ſemper difficillima eſt, & quandoq; etiã impoſſibilis. Tinea autẽ confirmata hoc efficit, vt plerunque elephantiaſin inducat. Methodus tamen curandi tineam hanc eſt, vt primum euacuetur materia, deinde locus corroboretur, & demum effluens materia prohibeatur. *Totius euacuatio.* Quando tamẽ prouenit tinea ob ſordes vel contagiũ, non fit multa fluxio. Si ergo ſit tinea cum fluxione, primum euacuãdum eſt corpus cum pilulis cochiis, vel pilulis de fumo terræ. *Capitis.* Poſt purgationem autem totius ad capitis euacuationem deueniendum eſt per maſticatoria, mandendo maſtichen vel pyrethrum. *Localia.* Facta capitis euacuatione ad loca procedendum eſt, quæ habeant vim incidendi & alterandi materiam, vt in halitum vertatur, quæ præterea diſcutiant ac repellant. Sed quoniam auferenda eſt ipſa cruſta,

sta, & vt auferatur, prius emollienda, ante omnia auferendi sunt capilli non tonsura neq; psilotro, sed pileolo intincto pice nauali. Facta hac auulsione capillorum deueniendum est ad emollitionem crustæ hoc modo, vt ipsa optime emollira sensim, ac sensim cadat: emollienda autem est ablutione & inunctione: ablutione quidem, si sæpe ac sæpius abluatur caput lixiuio tonsoris, deinde hoc decocto: ℞. fl. meliloti, chamomillæ, fol. maluæ, rad. altheæ, chelidoniæ maioris an. M. j. sem. fœnugr. sem. lini. an. ℥j. misce, & decoq. in lixiuio, quo deinde abluantur crustæ. Post ablutionem autem siccentur ipsæ crustæ, & deinde inungantur hoc linimento: ℞. pingued. gallinæ, anseris, vrsi, butyri an. ℥ ß. ol. lil. alb. ʒ ij. misce, & hoc inungantur crustæ vsque ad earum casum, qui ad summum erit infra quatuor dies. Cum autem deciderint crustæ, abluatur caput & exiccetur optime, postea fricetur ac scarificetur, aut applicentur hirudines aliquot, post medicamentum hoc apponatur: ℞. nitri ℥j. oxymell. ℥ j ß. misce. Possunt etiam crustæ vel caput fricari hoc medicamento: ℞. alum. vsti ℥ j. aceti q. s. misce & fricetur. vel: ℞. salis ℥ ß. aceti scillitici q. s. misce. At quoniam plerunq; apud infantes fit morbus quidam capitis squamosus, qui lactumen siue lactimen vocatur, differẽs à tinea, quoniam lactumina sequuntur ætatem infantium, præterea in lactumine nunquam cadũt pili, ac etiam crustæ inæquales sunt & colore subuirentes; in tinea vero crustæ sunt albissimæ & capilli cadunt in quacumque parte vlceratæ; & si qui extrahuntur, apparent radices eorum crassæ ac redundantes humore quodam viscoso conspissatoque: ideo distinguendum est an sit tinea vel lactumen, & aduertẽdum maxime, ne lactumen pro tinea capiatur.

Crusta tineæ quomodo emollienda.

Inunctio crustarum.

Fricatio capitis vel crustarum.

Differentia inter tineam & lactumen infantium.

Cum itaque superata erit tinea supradictis medicamentis, cognoscetur primo, quoniam cutis fiet æqualis; secundo reddetur pura ac munda; si vero hæc non apparent, post dictorum vsum repetenda, ac replicanda erunt medicamenta ac auxilia priora, vt est capillorum euulsio, squamæ detractio & materiæ venenosæ vel scarificatione, vel hirudinibus eductio. His autem peractis consolidanda sunt vlcera abstergentibus & siccantibus medicamentis, qualia sunt hæc: ℞. pingued. suillæ, ol. sem. lini, ol. lil. alb. an. ℥ ß. myrrhę ʒ j ß. cineris chelidoniæ quantum sufficit, misce omnia in mortario ad consistentiam vnguenti mediocris, & eo inunge locum vlceratum bis in die, vel hoc alio simili vtere: ℞. lardi veteris ℔ j ß. olei laurini ℥ ß. oculorum populeonis, fol. sabinæ an. M. j. tritis terendis optime misceautur, ac per tres dies macerentur, deinde adde aceti acerrimi ℔ j. bulliant vsque ad aceti consumptionem, & his inungito locum.

Signa superatæ tineæ.

Pro consolidando vlcere tineæ, Abstergens & siccans.

Cum autem quandoque tinea his superari non possit, ideo deueniendum est ad fortiora iuxta veterum descriptiones, cuiusmodi est medicamẽtum illud, quod vocatum est trocisci de charta combusta, vel deueniendum est ad vesicatoria, vt est hoc: ℞. cantharid. purgat. ʒ ij. sulphur. ℥ ß. myrrhæ ʒ j ß. mellis, aceti an. quantum sufficit, misce, fiat vesicatorium, quod extentum in petia capiti applicetur, ac tam diu duret & maneat, donec vesicas excitet, quibus materia copiosa educatur. Post casum autem vesicarum deueniẽdum est ad vlcera consolidanda per ea, quæ superius dicta sunt.

Si rebellis sit tinea.

Vesicatorium.

Tinea vero humida illa dicitur, in qua squamæ aut crustæ non fiunt, adsunt tamen cætera omnia symptomata dicta in squamosa tinea, vt sunt capillorum defluxus ac exulceratio & huiusmodi. Curationis autem methodus huius tineæ talis est, vt prius corpus purgetur, deinde materia à capite per masticatoria euacuetur, vel per apophlegmatismos dictos; deinde superficies tineæ exiccetur, & si leuibus non cedat, ad fortia necessarium est accedere; vt sunt trocisci Andronis; vel ad medicamenta alia, cuiusmodi est hoc: ℞. scoriæ ferri, eretæ, aceti an. q. s. misce & inunge caput. Trocisci etiam de charta combusta valent in hoc casu, vel vesicatoria.

Tinea humida.

Curatio huius tineæ.

Exiccantia valida.

Sanato autem capite ac cicatrice obducta curandum est, vt pili renascantur, pro quo abluendum est caput sæpius cum lixiuio, in quo decocta sint varia medicamenta, quorum syluam ex variis autoribus colligere potestis. Si autem confirmata sit alopecia, illius medicamenta non sunt, quibus vinci possit: & hæc de tinea sufficiant.

Pro regeneratione capillorũ.

De affectibus aurium, videlicet de destillatione, de vlcere, de purulentia, putredine, vermibus, carne supercrescente & ossis corruptione.

Cap. II.

PVrulentæ fiunt ac dicuntur aures, ex quibus materia emanat, quæ quidem materia aut continetur in canali ipsius, aut in auricula ipsa cum partium vlceratione, quod vt plurimum infantibus euenit ac succedit. Excremẽta autem illa, quę effluunt, sunt excremen-

Influctione materia ex infantium auribus, quid agẽdum.

ta materiæ, ex qua formatus eſt infans. Quare cũ hoc modo vlcerantur infantis aures, ita vt fluat aliqua materia ex ipſarum canali, non eſt ſtatim ſiſtẽda, ſed inueſtigandum eſt, an fluxus ille ſit ſine vlcere, vel cum vlcere, ex ſignis, quæ mox dicentur.

Signa vlceris in aure.

Si itaq; erit vlcus in aure, materia manabit ſanioſa, rubore aliquo intincta: ſecundo fœtor magnus erit ratione putredinis: tertio cognoſcitur per impoſitionẽ bombycis cum ſtylo: ſi enim bombyx ſanguine tingatur, certum eſt vlceris ſignum: quarto, ſi dolor inſignis aderit.

Quando non ſit ſiſtenda auriũ fluxio.

Signa vero contraria vlcus non adeſſe ſignificant, & tunc ſiſtẽda non eſt fluxio, quoniam materia illa fluens deuenit à capite, & natura per canalem aurium tentat eam expellere, quæ ſi intercipiatur ac prohibeatur, eius euacuatio multa poterit infirmo afferre incommoda. Aetius autem in his vlceribus ſolet inſtillare medicamẽta prohibentia fluxiones, vt ſunt gallæ, myſi, alumen & reliqua huiuſmodi. Sed ego ſum huius ſententiæ, ne ſiſtatur hæc fluxio in infantibus, ſed adhibeatur maxima diligentia in expurgandis ſordibus auriculæ, ne materia compacta cuti aurem exulceret, ea autem, quibus abluenda erit auricula intincto bombyce dicentur infra.

In adultis quomodo ſit procedendum in aurium deſtillatione.

In adultis vero fiunt huiuſmodi affectus propter defluxum materiæ à capite, & tunc eſt cura neceſſaria, quoniam natura pellit materiam catharralem exiſtentem in capite per canalem auris, tanquam per viam excrementa corporis excipientem, ſed in alium locum diuertenda eſt hoc pacto.

Totius & capitis purgatio.

Primo totum purgetur, ac etiam optime caput euacuetur per nares & per palatum; præterea deriuationes admoueantur, vt cauteria in brachia: deinde ad locum affectum deueniendũ eſt cum medicamentis propoſitis ab antiquis, quorum quædam inſtillantur, quædam vero inſperguntur; & hæc diutius moram trahunt in loco cui inſperguntur, vnde magis operantur: inſtillata enim facile fluunt.

Tractatio loci.

Antiqui autem faciebant pulueres ex adſtringentibus & ſiccantibus robuſtiſſimis: ſed in his aduertendum eſt, ne robuſta illa ſint repellentia, ne ſupprimant materiam ſtatim fluentem ad locum. Antiqui autem ſolebant accipere gallas, cortices mali punici, alumen, myrrham & hypocyſtidem, hęc ſimul imponendo in linteo & exurebant, deinde puluerem conficientes ipſum in purulentam aurem inſpergebant,

Si non adſit vlcus.

vbi tamen non adeſſet vlcus, hoc modo: ℞. fol. abſynthii, roſ. ſcabioſæ, agrimoniæ, gallarum ana. ad libitum, vini q. ſ. Miſce, fiat decoct. qua abluatur vlcerata auricula non exiſtente, poſtea inſpergatur cum pulueribus prædictis.

Curatio auris purulentæ infantium.

Infans vero ſi habeat purulentas aures, magna vtendum eſt diligentia in his purgandis; eo tamen modo ne fluxus aurium ſiſtatur, ſed id medicamentis leuioribus fiat, vt eſt illud deſcriptum à Paulo lib. 1. cap. 7. vel vino mulſo aut decocto betonicæ, & aliquando aqua ſtillatitia ipſius, quæ vim habet detergendi abſque mordicatione & adſtrictione hoc modo: ℞. mellis, myrrhæ an. Miſce, & per alembicum educatur aqua, qua abluantur aures; hæc enim detergit & ſiccat moderatiſſime: aut etiam abluatur auris lotio puerili calido, canalis ipſius ſcilicet.

Quot modis aures fiant purulentæ.

Cauſæ purulentiæ.

Fiunt autem purulenti meatus aurium aut ſimpliciter aut cum vlcere, vel cum vermibus aut cum carne ſuperflua, aut cum oſſe corrupto. Horum autem omnium cauſæ ſunt aut declinatio acris declinans ad canalem auris, aut inflammatio ſuborta, ad quam ſuccedat abſceſſus, aut aliquod inſtrumenrum impactum vel infixum auribus. Si itaque fiunt purulenti canales auriculæ, ratione deſtillationis aut ratione inflammationis, incipienda eſt curatio vniuerſalis, vt ſcilicet totum prius purgetur, deinde ipſum caput. Poſtea vero ſunt abſtergenda cum his quæ ſunt abſtergentia atque ſiccantia ſine acredine parti affectæ applicanda: nam ſi quæ eſt pars, quæ robuſtiſſimis indigeat ſiccantibus, eſt auricula; quoniam omnes illæ partes, quæ obſcurum habent ſenſum, talibus medicamentis indigent, non tamẽ ſint acria.

Siccantia fortia.

Talia autem ſunt glaucium, opium, acetum, ſpodium, myrrha & ſarcocolla: hæc enim omnia habent vim ſiccandi & detergendi, & in ſumma tota curatio conſiſtit in metallicis, vt eſt bifriges, cadmia, tutia Alexandrina. ſed hæc omnia lota ſint. At cum his vti vult aliquis, ſemper cum aceto miſceantur vel paſſo, addito momento pulueris olibani aut myrrhæ.

Medicamentũ recentiorum.

Recentiores autem hoc habent in vſu: ℞ pomum granatum dulce coctum in vino, & exprimatur ſuccus, deinde adde ipſi mel roſatum & terebinthinam cum pauco oleo. fiat medicamentum, quo vtuntur in hoc affectu ſatis feliciter.

Si accidat putredo in aurib.

Cum autem ſæpe accidat, vt in hoc affectu putredo fiat, tunc ideo hoc erit agendum, vt ſcilicet accipiantur trociſci Andronis vel Muſæ, qui diſſoluti in aceto aut paſſo putredini applicentur. Recentiores vero vtũtur Ægyptiaco vel præcipitato, cum melle roſato tamen. Ceſſante autem putredine deueniendum eſt ad curationem per medicamenta ſupra dicta.

De vermibus aurium.

Quandoque vero vlcus auriculæ fit cum vermibus, qui plerunque naſcuntur ratione ſuperabundãtis humidita-

miditatis, quæ cum putrefacta fuerit incalescens modicum vermes generat, qui satis magni fiunt. [*Unde oriantur.*] Cognoscuntur autẽ vermes quandoq; visu ipso, si tamen sit canalis auris latus, at [*Signa.*] quandoq; ex relatione infirmi cognoscuntur, quia ille motum sentit & corrosionẽ, quandoq; vero eosdem cognoscere possumus immisso stylo in auriculam, ac stylum ipsum hinc inde mouẽdo, si enim adsint vermes, exagitantur, ac infirmo dolorem maximum parant. His autem cognitis exponatur auris soli & dilatetur speculo canalis, deinde volsella capiantur vermes & extrahantur. [*Curatio verminum aurium.*] Sed quoniam actio hæc fit cum magno dolore, præcipue si vi extrahuntur vermes, ideo melius erit, eos prius interficere procedendo cum illis medicamentis, quæ sunt amara ac vim siccam obtinent, vt est succus polii montani & succus absynthii, quæ liquida sunt in auriculæ canalem instillanda. Interfecti autem vermes modo deinde dicto sunt extrahẽdi, postea ratio vlceris curandi eadem fit, quæ supra dicta est ac posita. [*Interficientia vermes.*] Si vero fiunt hæc vlcera cum carne supercrescente, quæ polypus aurium dicitur, ratione nimiæ humiditatis, curatio est, vt auferatur medicamentis exulcerantibus, vt sunt mysi, chalcanthum, alumen, ægyptiacum compositum cum chalcantho. [*Curatio carnis supercrescentis in auribus.*] At formetur fistula plumbea, in quam possit ingredi illa caruncula, deinde ℞. ol. chalcant. aut sulphuris, & in eo madefactum gossipium carni applicetur: quoniam hic modus optimus est, non possunt enim subiectæ particulæ lędi à medicamento exedente. vel etiam eidem carni applicetur præcipitatum mixtum cum alumine. Ablata vero carne, obducatur vlcus cicatrice. Si vero fiat vlcus cum osse corrupto, quod visu quandoq; cognoscitur, quandoque vero per odorem, qui percipitur expurgata auricula, quoniam pessime fœtet: tertio cognoscitur ex sanie egrediente nigra ac fœtida: vltimo cognoscitur specillo argenteo imposito, statim enim specilli color immutatur, vel ad nigrũ vel ad plumbeum aut etiam ad purpureum. [*Si vlcus auris sit cum ossis corruptione.*] [*Signa ossis corrupti aurium.*] quare in hoc casu hoc modo procedendum est. primo danda est opera, vt os corruptum educatur, quod primo fit per sectionem factam supra os dilatando plagam, deinde os scalpere oportet, aut deueniendum est ad medicamenta remouentia os corruptum, vt est oleum chalcanthi vel oleum sulphuris. [*Ossis corrupti eductio.*] Quod si non succedat hæc ratio, tunc ad vstionem veniendum est, quæ erit ac fiet iuxta præceptum Archigenis, vt si erit facienda in parte anteriori auriculæ, tutissima esse potest. [*Si exustione opus est.*] Si vero in superiori parte auris os sit corruptum, tunc caute procedendum est, ne communicetur nocumentum vstionis auriculis ipsis. Facta autem exustione, abradendum est os, & vlcus cicatrice obducendum, vt diximus; obseruando tamen, ne meatus auditorius carne obducatur, quoniam sic æger fieret surdus, ideo vt hoc euitetur, fiat fistula parua plumbea, quæ semper imponatur canali auditorio obducta vnguento de thutia vel alio aliquo simili, ac eam detinendo, donec consolidetur vlcus. [*Notandum circa meatum auditorium.*] Et hæc de affectibus vlcerosis aurium.

De Vlceribus oculorum, cum in vniuersali, tum de omnibus eorum speciebus, de infixis in oculis, & de fluxione. CAP. III.

OMnia oculorum vlcera deueniunt aut ab intemperie constituta, aut à causa procatarctica: omnia tamen curatu sunt difficillima variis de causis: [*Quare hæc vlcera sint sanatu difficilia.*] primo ratione motus oculorum, qui facit curationem difficiliorem: secundo ratione sensus exquisiti, qui nec leuia tolerat, nec etiam acuta, vnde oportet oculis læuigata applicare ita, vt sensu vix percipi possint: tertio sunt difficilia ratione nobilitatis & præstantiæ partis, quoniam oculi constant arteriis, venis, neruis ac membranulis, quæ faciunt nobilitatem particulæ. Harum autem partium vlcera quædam maligna sunt, quædam vero benigniora, quæ etiam distinguuntur in aliquot species: [*Diuisio vlcerum oculorum.*] nam quædam angusta & profunda sunt, quædam vero lata & superficialia, quædam autem lata ac profunda cum procidentia vueæ membranæ.

Prima autem species à Græcis dicitur βόθριον, à Latinis fossula, à Serapione bathion, & est vlcusculum profundum, paruum, angũstum siue arrectum, consistẽs in cornea & præcipue in illa parte, in qua nigrum oculi continetur habens puncti angustiam. [*Prima species vlcerum.*] Secunda species vocatur à Græcis κοίλωμα, à Latinis vero cauitas, ac etiam cucumer, & in cornea, & est vlcus paruum sine sorditie, & cauum, non tamen ita profundum vt fossula, & accedit vsque ad tertiam laminam corneæ: [2.] quoniam cornea habet laminas, quæ connumerantur sic: prima, secunda, tertia, & quarta: ex hac enim distinctione inuenire possumus vlcerum differentias: quoniam in fossula pertingit vlcus ad quartam laminam, in Kœlomate vero ad tertiam tãtum laminam deuenit vlcus. Tertia species vocatur epicauma ab Aetio, & fit in albo oculi ac in parte corneæ, aliquando tamen in oculi albo inuenitur & fit vlcus sordidum, ac habens escharam siue crustam, fitq; etiam dolorosum, profundum ac rodens sensim partes adiacentes, & vocatur à Latinis adustiuum vlcus: à Serapione vero alcume. [3.]

4. Fiunt etiam vlcera quædam in oculorum parte superficiali, quorum prima species vocatur ab Aetio tuberculum, à Serapione vero Alusme, ab Auicenna Catamus, & est vlcus in parte nigra oculi, estque proprium vlcus corneæ, non profundum sed latum tantum superficiem oculi exulcerans, coloris subcineritii, visionem etiam auferens.
5. Quinta species dicitur ab Aetio Nephetio, à Serapione vero diaphilon, & est vlcus proprium corneæ aliquantisper profundum, tamen inter lata vlcera connumeratur & coloris est subalbidi.
6. Sexta species vocatur ab Aetio Archemon, à Serapione vero Algimen, ab Auicenna autem interprete coronalis vocatur, quia fit in corona iridis, & est vlcus non proprium corneæ nec albæ membranæ, quia vtramque occupat, & eius duo sunt colores, alter rubicundus, qui fit, quando occupatur corneus, alter albus, quando occupatur album oculi, fit etiam vlcus hoc latum profundumque.
7. Septima species vocatur ab Aetio epithauma, quæ differt ab epithaumate Pauli: nam epithauma Pauli est vlcus profundum; hoc vero Aetii latum, & à Serapione vocatur althasf, & est effectus similis lanositati: quoniam eius locus videtur q[uasi] flocci lanæ impacti oculo & à recentioribus vocatur ramosa exulceratio, ab Auicenna autem interprete lanosa seu adustiua species vlceris, & est vlcus proprium nigræ partis oculi, quæ est cornea. Fit autem in hoc vlcere superficies partis inæqualis, vt apparet in membris re aliqua acri perfusis, vt esset lixiuium, ex quo sapo conficitur.
8. Vltima species horum vlcerum est, quando ita exulceratur locus, vt etiam substantia ac oculi ipsius contenta exeant, & vocatur vlcus cum procidentia vueæ, & huiusmodi vlceratio fit aut in pupilla oculi aut in ipsius iride: si fiat in pupilla, fit cum egressione humoris acris, ac etiam cum visus corruptione. Si autem in iride fiat incipiendo à parte interiori aut exteriore depascit & exulcerat laminas corneæ, quibus per exulcerationem dilatatis sequitur procidentia vueæ, & hæc vlceratio dicitur prothesis, quando vero tota cornea membrana exit, egreditur humor albus oculi.

Procidentia vueæ quot modis fiat. Est autem duplex procidentia vueæ siue prothesis ipsa; altera quando totus oculus elabitur ex sua sede, de qua Aetius lib. 7. cap. 24. altera vero, quando ipsa tantum vuea procidit, de qua Paulus & nos hic tractamus. Hæc autem procidentia fit quatuor modis; primo quando elabitur in pauca quantitate, veluti caput muscæ vnius, & tunc dicitur myocephalus. Signa autem eius sunt tuberculum nigrum vel cœruleum in circuitu albedinem habens, ita vt candida sint vlceris ipsius labia. Quandoque vero fiunt callosa labia vlceris; semper tamen ab vlcere corrumpitur habitus pupillæ; & hac ratione quandoque elabitur vuea per vesiculas quasdam, quæ (vesiculæ) cognoscuntur: quoniam in illis non corrumpitur pupilla, nec eorum labia sunt alba neque callosa, neque per ipsas corrumpitur visio ipsa, quemadmodum in myocephalo, color autem vesicarum fit niger, non tamen est secundum caput muscæ. In hoc autem affectu Arabes diligentissime notarunt has differentias, primam formicalem, secundum muscalem, tertiam granalem: omnes tamen hæ prominentiæ sunt paruæ, quarum tamen minima formicalis dicitur, maior vero muscalis, ac maxima granalis; quartam vero vesicalem dicunt omnium maximam. Secundo modo accidit, vt vuea promineat, ac procidat ex oculo propter affectum illum, quem Græci vocant σταφύλωμα, quod duplex est, quorum primum ab Aetio describitur lib. 7. cap. 35. quando eroditur cornea, & propter eius erosionem egreditur tota vuea: alterum est, quando pars tantum aliqua vueæ egreditur. Tertio modo fit prominentia vueæ propter symptoma illud, quod dicitur malum: quoniam mali magnitudinem præ se fert vuea in hoc casu; & cognoscitur hoc genus: quoniam in eo palpebra claudi non potest, & vocatur ab Auicenna vesicalis oculi affectus: quoniam videtur quasi vesica magna.

Causa vlcerum oculorum. Causa autem horum vlcerum quandoque sunt tuberculum & pustulæ ortæ in oculo & eadem male curata, quandoque causa est fluxio humorum, quæ facit protuberationem & ophthalmiam seu oculorum inflammationem.

Præsagium. Præsagii vero ratio habenda est, ita vt nunquam proponatur certa spes salutis: quoniam semper difficilis est ac tarda satis, ac quandoque omnino impossibilis.

Curatio. Curatio autem hinc est auspicanda, vt primo conspiciamus, an causa præsens sit, & an vlcus factum sit ab internis vel ab externis. Si enim causa sit præsens, vt si aliquod impactum sit oculo, statim remouenda est per extractionem infixi: sæpe enim incidunt in oculos, vel paleæ, vel grana, vel puluis & huiusmodi.

Quot modis infixa oculis extrahi possint. Si autem impactum sit corpus durum, auferatur hoc modo, primo claudatur oculus sanus & læsus remaneat apertus: quoniam tunc illud corpus impactum oculo sensim prouenit cum lachryma ad angulos ipsius oculi, & sic tunc extrahi potest, ac extrahatur. Secundo modo potest hoc extrahi, si accipiatur palpebra superior oculi læsi & trahatur inferius: tunc enim fit vt res impacta oculo ipsius palpebræ pilis adhæreat, & sic conspici ac facile extrahi possit. Sed quoniam quandoque

adeo

adeo inpinguntur res oculo, vt his modis extrahi non poſſint, ideo tunc Medici accipiunt quoſdam lapillos, qui naſcuntur in fundo fluminis ciuitatis Galliæ Granopolis dictæ, & hos imponut ſub palpebra, & ſic feliciſſime res ſuccedit, vt illa, quæ ſunt impacta exeant. Si vero fortiſſime oculo impacta ſunt corpora aliqua, tunc ad detergentia deueniendum eſt, vt eſt multa infuſa; ſed ego in tali caſu hoc vtor medicamento atq; familiari admodum remedio.

℞ mucilag. fœnugr.
pſyllij an. ℥. ß. miſce, & coque ad ſpiſſitudinem, & huius gutta infundatur in oculum, quoniam maxime ſuccedit. Si vero impacta fuerit oculo calx vel cinis vel aliud ſimile, tunc in tali caſu ſic procedendum eſt, vt contemperetur qualitas ipſorũ hoc pacto: abluatur oculus copioſiſſima aqua, deinde affundatur mucilago pſyllii. Aetius vero iubet affundi copioſum oleum. ſed quoniam facit dolorem, ideo magis eo laudo mucilagines.

Si calx vel cinis oculo ſit impactus.

Abluto iam oculo primum claudatur palpebra ipſa, deinde lana intincta in roſaceo ponatur ſuper clauſam palpebram ad prohibendam inflammationem; & quamuis lactuca ſit oculo inimica, attamen ipſa calce præcipue exiſtente in oculo optimum ex remediũ. Sic etiam albumen oui, & oleum roſatum ductum in mortario plumbeo in hoc madefactum goſſipium imponatur oculo. Generale tamen præceptum eſt, vt ſemper ſecetur vena, ſi ætas & vires tolerent, deinde ad alia deueniendum, vt ad ſyr. roſ. ſol. Si autem acetum fuerit oculo impactum, ſtatim aqua copioſiſſima iniiciatur cum magna vi ac impetu in oculum, ſed omnia alia, quæ faciunt pro calce, faciunt etiam pro aceto.

Generale præceptum in oculorum Vlceribus.

Si autem à fluxione fiat vlcus, tunc Aetius lib. 7. c. 15. iubet nos eſſe diligentes in coercenda cauſa, quæ eſt ipſa fluxio, vt dicam in ſequenti capite.

De Cura fluxionis facientis vlcus in oculo. CAP. IV.

SI vlcus oculi prouenit à fluxione, tunc iubet Aetius in lib. 7. ca. 15. quod ſimus admodum diligentes in coercenda ipſa cauſa, fluxione ſcil. quæ quidem coercetur per inſtitutam victus rationẽ. In omni enim vlcere oculorum facto ab humoribus debemus tenuiſſimo vti victu. Aer etiam multam habet vim in his vlceribus, quoniam ſunt quædam loca quæ habent adeo puriſſimũ aerem, vt ipſe ſolus ſatisfaciat pro cura vlceris. Motus quoque ratio habenda eſt in corporibus laborantibus vlcerib. his: oportet. n. vt tales infirmi ſedendo circumducant aliquid cruribus, vt eſſet rota figuli, vt corpus tantum & inferiores partes moueantur, non autem caput. Frictio quoq; & lotio frequens partium inferiorum maxime facit hoc modo: ℞ lactucæ, rad. ſalicis, florum roſ. capitum papau. albi an. q. ſ. decoq. & hoc decocto crura lauentur. Sternutatio v. & clamor magnus fugiantur, neq; æger vnquã cap. deprimat aut cõprimat. Somni quoq; habenda eſt ratio, vt longus non ſit nimiũ, ſed potius repetatur ſæpe, iaceat tamẽ æger ſupinus, vt fiat retractio materię ad partem poſteriorem. Fæcum quoq; eſt habenda ratio, quoniam ſi conſtringatur aluus, augẽtur vapores ad caput; ergo ſæpe vtendum eſt clyſteribus aut leniente aliquo medicamento. Venus fugiatur animiq; affectiones. Diæta vero inſtituatur contemperans corporis habitum. In omni autem vlcere oculorum, vt aliquod magnum vel maius malum impediatur, ſecanda eſt vena vel in brachio, vel in malleolis, & imponãtur hirudines mariſcis: prętcrea poſteriori parti capitis abraſis pilis applicentur cucurbitulæ, & poſt ipſas imponantur hirudines, & deinde poſt aliquod ſpatium applicentur etiam hirudines poſt auriculas, & educatur copia magna ſanguinis; quoniam nullum extat periculũ: aluus etiã ſubducatur: poſtea veniendum eſt ad pharmaca ſoluentia, quæ tamen non ſicca ſint ſed humida, vt eſt caſſia vel ſyr. roſ. ſol. cum quo cætera ſunt ſemper miſcenda. Sicca autem fugienda ſunt ac catapotia, quoniam iſta diu contenta in ventriculo emittunt vapores, qui aſcendẽtes offendunt oculos infirmos, non admodum laudantur in hoc caſu, quamuis multi his vtantur. Peractis autem his caput euacuandum eſt, cuius euacuatio fit tripliciter: primum per medicamenta maſticatoria, ſecundo per attracta per nares: tertio per veſicatoria. Quo ad primam rationem, ſunt maſtiche & terebinthina: hæc enim maſticata in ore ſputum ac ſaliuam ciunt; ſed huiuſmodi medicamenta noſtris non placent, quæ ſ. manſa ſputum ciunt, quoniam in maſticatione muſculus temporalis cũ aliis venis multum agitatur, ex qua agitatione poſtea magis irritatur fluxio & attrahitur ad locum affectum. Si tamen deueniendum eſt ad eductionem ſaliuæ vel retrahendum fluxum, illis vtendum eſt, quæ non per maſticationẽ, ſed ſua virtute ſputũ cient, vt eſt Pyrethrum, ſtaphyſagria, & huiuſmodi: hoc tamen ſeruato in eductione ſputi, ne vtamur odoratis, vt eſt Zingiber & caryophyllus,

Victus. *Aer.* *Motus & quies.* *Somnus.* *Alui lenitio* *Venus & paſſiones animi.* *Capitis euacuatio quot modis fiat.* *Maſticatoria.*

quoniam Inflammarent oculos. Secunda ratio euacuãdi capitis est per nares, quam rationem solent etiam nostri timere, quoniã locus est propinquus oculis: præterea cauendũ est ab omnibus illis, quæ prouocãt sternutationẽ, quoniam ipsis maxime irritatur fluxio: vtẽdum ergo est errhinis non cientibus sternutationem compositis ex omnib. succis acribus, neq; sunt illiniendæ nares in partibus superioribus, sed inferioribus ac infimis.

Errhina.

Vesicatoria. Tertia ratio euacuandi capitis fit per vesicatoria, quorum apud autores diuersos varia est etiam compositio. Ego tamen habeo aliqua mihi familiaria & feliciter succedẽtia, quorum primum constat ex substantia cantharidum, aliud ex flammula Iouis vel ex foliis clematitidis alteræ: contusa enim herbæ folia applicantur, post quorum foliorum applicationem vesicæ durant per octo dies.

Cauteria quot modis fiant in hoc casu. Si autem his rationibus fluxio non auertatur, deueniendum est ad appositionẽ cauteriorum in posteriori parte colli. Quæ cauteria fiunt dupliciter; vno modo cum setone, altero vero cum caustico. Sciendum tamen est, quod quando fit obstructio nerui optici, non sunt tentanda huiusmodi caustica, quoniam nihil aliud afferrent nisi passionem infirmo & dolorem, in aliis vero intrinsecis passionibus, vel, vt melius dicam, fluxionibus, per hæc tentanda est euacuatio. Peracta autem tali euacuatione deueniendum est ad ipsum locum affectum hoc modo curando. primo constipandæ sunt venæ coniuncto vt prohibeatur fluxiones, ad quod efficiendum empyrici habent in vsu scutetum vocatum, q; est frustum panni vel corii magnitudine vnius scutati, in quo imponunt medicamẽtum adstringens & siccans, cuius materia est pix naualis & colophonia an. q. s. postea commiscẽt quartam partẽ pulueris adstringentis, qui conficitur ex sanguine draconis, bolo armena & cæteris huiusmodi, & cum gutta terebinthinæ efficiunt medicamentum quod applicant super supercilium loci affecti.

Quando nõ conueniant cauteria.

Medicamẽtum ponendum super scutetum panni.

Puluis adstringens.

Medicamẽtum adstringens proprium. Ego autem vtor medicamento habente vim adstringendi ac spissandi ipsum fronti ac temporibus applicãdo; neq; laudo in hoc casu albumẽ oui in hoc casu applicatũ cum lana vel alia re molli, quoniam dum siccatur, maxime attrahitur: quare fiat hoc vnguentum, q; sæpi⁹ remoueatur ac iteretur neq; in loco permittatur ad exiccationẽ vsq;, & fit hoc modo:

℞ ol. ros.
viol.
citon. an. ℥ij
bol. orient.
terr. sigill.
sangu. drac.
puluer. ireos an. ℈j misce, tritis terendis tamen antea.

Tractatio vlceris.

Post hoc autem deueniendum est ad vlcus: circa quod obseruãdum est, an vlcus sordidum sit nec ne: si enim sordidum non est, sunt ei imponenda medicamenta siccantia, tenuia ac suauia, qualia sunt medicamenta metallica optime præparata, vt cadmia, thutia Alexandrina, cerussa, scoria plumbi, lithargyrum, stibium siue antimonium: Cum his tamẽ sunt miscenda medicamenta vim habentia sedandi doloris & leniendi siccitatem metallicorum: talia aute... sunt apium, mucilago psyllii, albumẽ oui, gummi quodcunq; aqua dissolutum. collyria etiam antiquorum optima sunt, vt est collyrium libianum vocatũ, Astor, pepron &c. quæ describuntur à Paulo, Galeno & Aetio. In nostris etiam officinis est collyrium syeph album sine opio vocatum. Sed notandum est, quod antequã his vtamur, prius in cute fricanda sunt, vt fiant subtilissima & tunc oculo imponantur iuxta necessitatẽ. At si sordes affuerint, tunc cum collyriis admiscenda sunt medicamenta abstergentia, vt est decoctum fœnugræci, non autem mucilago, quæ fit ratione corticis: decoctum enim fit ratione medullæ grani ipsius. Si autem opus sit robustiori, vti possumus succo oleoxelini. Si vero robustissimum requiratur, accipi potest mel crudum. Habetur etiã in officinis syeph de thure, q; etiam abstergit Facta autẽ expurgatione deueniendum est ad puluisculos supra descriptos, deinde vlcus pertractetur procedendo cum medicamentis habentib. vim exiccandi cũ aliqua adstrictione, inter quæ sunt collyria antiquorũ, vt est illud, q; vocatur collyriũ Cleonis. Sed notandũ est circa vsum horũ medicamẽtorũ, vt statim imposito medicamento oculus claudatur, deinde supra clausam palpebrã imponatur medicamentum cum gossipio inflammationẽ coercens, vt est posca, vinũ adstringens & similia. Si aũt infirmus nõ poterit pati gossipium, imponatur offa panis humectata in prædictis medicamẽtis.

Collyria.

Si vlcus sit sordidum.

De reliquis vlcerum oculorum speciebus. CAP. V.

CVm autem procidentia vuæ tunicę habeat quatuor species vt dictum est, quarum duę vocãtur maiores, altera quarũ pomũ dicitur, reliqua vero chilos, q̃ nõ curãtur p pharmaciam,

maciam, sed per chirurgiam; sciendum est, quod reliquæ duæ, quarum altera dicitur caput muscæ, reliqua vero acinos sine cura manuali possibile, vt per pharmaca curentur. Curatio autem talis est: obseruentur illa omnia, quæ superius de vlceribus ab humorũ effluxu factis diximus, demum ad localia deueniendum est, quæ tamen distent aliquo modo à supra dictis: nam in his casibus requiruntur adstringentia & exiccantia quæ vllam asperitatem inducant, intelligendo per asperitatem superficiei inæqualitatem, quoniam hæc opportuna non essent, quoniam facta inæqualitate superficiei maximum incommodum sequeretur, nempe difficultas retrocessionis carneæ: opus est ergo summa diligentia in inueniendis huiusmodi medicamentis. Inter hæc autẽ est stibiũ, alumen scariolæ dictũ, chalcanthũ Romanum, aloë, succus omphacii & acacię, succus præstantissimus est polygoni, myrobalanorum citrinorum succus, ex quibus omnibus vel aliquibus eorũ componi possunt medicamenta vlceribus his aptissima. In maioribus vero procidentiis præstantiora non habentur medicamenta metallica ære vsto ac biphrige vsto. Inter composita vero sunt etiam valentiora, vt est collyrium vocatum Theodoricum nardinum ac Olympiacum, quæ sunt petenda vel ex Paulo vel ex Galeno vel ex Aetio. Si autem fuerit procidentia vueæ callosa vel vocata malum, sciendum est, quod hæ non cedunt pharmacis, sed potius in illis deueniendum est ad chirurgiam, hoc tamen prius seruato, quod si illa procidẽtia habeat exquisitum sensum, res & cura non bene se habet neque bene succedet, quoniam auferendo ipsam excitabitur maximus dolor, & huius testis est natura, q̃ vno oculo dolẽte cõpatietur & alter: quare optime aduertendũ est ac timendũ in hoc casu, ne infirmus excrucietur.

Medicamenta in minoribus procidentiis.

Medicamenta & collyria in maioribus.

Si callosa sit procidentia.

Notandum circa sensum existentẽ in procidentia.

Si autem in tali procidentia sensus non adsit, procedendum est chirurgia hoc modo: accipiantur duæ acus, per quarum auriculas traiiciatur duplicatum filum, deinde appræhenso callo prominentiæ oculi transmittatur vna acus à parte inferiori ad superiorem discindendo filum in illa commissura quam facit auricula acus; tunc enim aderunt duo fila, deinde aliam acum transmittens à parte dextra oculi ad sinistram, & huius quoq; filum discinde, ex quo etiam fient duo alia fila, quorum vnum ligabis in parte oculi superiori, aliud vero in inferiori, & hac ligatura successu temporis cadet eminentia seu procidentia: & hæc erit tuta amputãdi ratio: nam si cum ferro perficere velles, sequeretur magna sanguinis perfusio. Facta autem hac amputatione vlcus sannadum est rebus supra dictis.

Modus amputandi callosam procidentiam.

Post vlceris vero sanationẽ remanebit cicatrix, quæ plerunq; facit, vt miseri ægri videre nõ possint, ergo erit huiusmodi cicatrix remouenda vel attenuãda aliquo ex his à medicamentis valentibus in hoc casu, vt sunt collyria ex anagallide, & fœniculo & ruta; item oleum vetustissimum, pinguedo humana inueterata. Vtimur etiam in his cicatricib. attenuandis linctu, vt s. oculus lingua lambatur, hoc tamen seruato, vt qui oculũ lãbere debent, prius mandant aliqua oculũ corrobantia, vt est fœniculũ, eruca ac semen fœniculi, vt lingua aliquo modo aspera facta possit detergere rebellem cicatricem.

Collyria pro remouenda cicatrice.

Modus lingendi oculũ pro attenuanda cicatrice.

De Fistula lachrymali. CAP. VI.

FRequens autem morbus oculis proueniens est fistula lachrymalis dicta, non quod ex ipsa continuo lachrymæ mixtæ cum sanie effluant, sed quia est passio canalis illius, qui apparet in angulo oculi: in orbita enim, id est, cauitate illa, qua oculus cõtinetur, est quoddam foramen desinens in nares habens membranam facientem sinum cum quadam glãdula vocata caruncula, quæ si casu auferatur, facit perpetuum fluxum lachrymarum. Si autem exulceretur in ipsis viis lachrymalibus, facit vlcus dictũ fistula lachrymalis, q̃ plerunque habet meatũ angustum ac satis profundum. Cognoscitur autem hæc fistula, quia dum comprimitur pars illa, in qua est sinus lachrymalis, statim egreditur sanies, cuius saniei habenda est ratio, quoniam sæpe corrumpit os.

Ratio nominis.

Vnde oriatur fluxus lacrymarũ.

Signa fistulæ lacrymalis.

Est autem hæc fistula duplex, vna quarũ dicitur ab Auicenna Algarum, ab Aetio vero & aliis Græcis αἰγίλωψ, quæ cognoscitur, quoniam non exulceratur nec perforatur in ea cutis, sed tantum sanies emittitur per lachrymalia ipsa. Altera dicitur ἀντίλωψ, per hanc vocẽ intelligendo apud Gręcos primo tuberculum, secũdo fistulam ipsam cum perforata cute; erit ergo differentia inter antilopem & ægilopem, quoniã in illa emanat sanies per lachrymalia, in hoc vero perforatur cutis, & adhuc distinguitur fistula in illam, quæ fit cum ossis corruptione, & alteram, quæ fit absq; ossis corruptione. distinguitur tertio fistula; nã quãdoq; fit cum ossis detectione, quandoq; sine ea.

Fistula lachrymalis duplex & vtriusq; signa.

Causæ autem harum omnium fistularum solent esse duplices, quarum prima est fluxio currens ad sinum lachrymalem, quæ sua acredine exulcerat sinum ipsum & callo obducitur. Secunda causa solent esse tubercula quædam ibi exorta, quæ dum vlcerantur &

Causa fistulæ cuiusq; lacrymalis.

Signa. negliguntur, faciunt fistulam hanc. Signa vero huiusmodi fistulæ sunt primo sanies egrediens, cum qua si fœtor adsit, signum est ossis corrupti; si etiã compresso loco fistuloso *Curatio.* tenetur foramen declinans ad nares signum est detecti ossis. Cognito autem morbo, natura ac signis habitis, deueniendum est ad curationem. quæ tamen varia est respectu diuersorum fistulæ generum; sed si erit fistula antilops dicta, in qua non est assumpta cutis, procedendum est, vt diximus de vlceribus oculorum: primum enim corpus euacuandum est per venæ sectionem, ac humores expurgandi peccantes per pharmaca conuenientia: in- *Localia.* stituaturq; etiam victus ratio optima, demum ad localia deueniẽdo imponenda sunt medicamenta, quæ siccent validissime, repellant & adstringant, cuius ratio est, quoniam debemus siccare vlcus natura sua humidum, & materiam repellere fluentẽ ad locum læsum. *Siccantia et repellentia.* talia autem sunt vt cochleæ terrestres contusæ, quibus addatur aliquod faciens ad penetrationem, vt est myrrha, opopanax & huiusmodi. Verum quandoq; ad fortiora deueniendum est, vt sunt myrobalani citrini, balaustia & chalcitis; quandoq; vero hoc medicamento procedendum est. ℞ conchas marinas quæ contũdantur minutim, deinde adde aloes, croci. an. q. s. misce & impone non auferendo donec per se cadat. est adhuc fortius medicamentũ scoria ferri mixta cum aceto, quandoq; vero addimus opopanacẽ & imponimus. *Medicamenta antiquorum.* Antiqui autẽ in hoc casu vtebãtur farina erui cũ melle, item stercore columbino cũ pice. Aduertendum est autem, ꝙ reperitur herba quædam vocata ægilops quam comburimus & cum melle imponimus feliciter, item alumen & chalcanthũ addito puluere masthichis. *Si sit fistula cum perforatione cutis.* Semper tamen in huiusmodi fistulis vtendum est errhinis. Si autem sit fistula lachrymalis cum perforatione cutis, per quam sanies egreditur, primo videndũ est, an os detectũ sit & an corruptum, ꝙ vario modo cognoscitur, vt per stylum argenteũ impulsum, & colorem eius mutatum aut aliis diuersis modis & inuentionibus, vt alias dictum est à nobis.

Signa ossis corrupti. Si itaq; os corruptum sit, auferatur: si detectum, faciendum est vt squamam emittat & sic locus carne impleb itur. Si autem nec os corruptum sit, nec detectum, siccare oportet *Dilatatio fistulæ lachrymalis.* fistulam & carne vlcus, implere postea ipsum ad cicatricem perducere. Ratio autem qua hæ omnes actiones perfici possint, hæc est: primo dilatetur vlcus ipsum spongiola aut radice gentianæ: sed hæc duo non sunt adeo opportuna, quoniã primum sanguinẽ irritãt, secũdo vero inflammationem excitant; quare potius ex mea sententia dilatetur aut substantia cucurbitæ siccatæ, aut substantia napi siccati.

Si os corruptum sit. Dilatato autem vlcere si os corruptum sit, tractandũ est illo modo, quo in aliis vlceribus diximus. quod fit tripliciter, aut per inunctionem olei sulphuris vel per oleum chalcãthi vel ferro ignito. Sed quoniã periculum est in exustione ossis, ne caro etiã exuratur, ideo rutius procedẽdo hoc faciendũ est per canalẽ ex metallo aliquo confectũ. Obseruandum *Notandum circa exustionem.* tamẽ est, ne id agatur, ꝙ fit in aliis partibus os corruptũ habẽtibus, in quibus fortiter corrupto ossi ferrũ ignitũ imprimimus, & cum hac impressione morã aliquam ꝓtrahimus; quoniã in hoc casu hoc faciendũ non est, quia os tenuissimũ est: vnde si mora ꝓtrahatur cũ ferro ignito, non tantum ꝙ corruptũ est, sed etiam viuũ os exuri potest: altera est ratio, ne s. in *Instrumentum exurens ex quo metallo fieri debeat.* hac mora fumus exhalans ex vstione super nares exurat pelliculam internã narium, ꝗ dum caderet, relinqueret os palati detectũ in actione tali, quare optime aduertendũ est, vt talia euitentur incommoda Sed quoniã inter recentiores est controuersia de instrumẽto, quo fieri debet exustio, quale esse debeat, vel ex quo metallo pareturs aliqui enim eligunt aureũ ꝓpter metalli nobilitatẽ, quidam vero argenteũ, reliqui æneum. Ego autem sum huius sententiæ, ꝙ sit ex chalybe vel ferro: aurũ enim & argentũ mihi non placent, quoniã si fortiter igniãtur, liquescũt; si vero mediocriter igniãtur, nihil efficiũt, at chalybea vel ferrea instrumenta potentissime exurunt, & si squamam relinquunt, illa nullius erit momenti.

Si os tantũ detectum sit. Si autem os tantum detectum sit, & non corruptum, primo ipsum (os) eradere opus est, si fieri possit: si autem deradi non potest, imponantur illa medicamenta, quæ squamam ossis detrahere possint, quæ eadem sunt cum iis, quibus succurritur ossi corrupto, vt *Modus curandi fistulas ex aliquibus damnatus.* est oleum sulphuris, chalcanthi & ferrum ignitum. Aliqui vero volunt in cura harum fistularum, vt fundum & os fistulæ perforetur, quoniam fistulæ istæ sunt inter illa vlcera cõnumeratæ, quæ non facile curantur, & si curentur, sępe redeunt. Quando autẽ perforaretur os & fundum ipsius, tunc humor ille, si aliquis afflueret, euacuaretur, & sic os ad consolidationem perduceretur, non autem exulceraret obductam cicatricem, quoniam per nares ipsas tanquam locum vicinum & patentem deflueret. Ego autem non consulo, vt os perforetur, quoniam nos habemus canalem ipsum à lachrymali ipsa ad nares tendentẽ, cuius euidens signum est, quoniam dum aliquis flet, magnam quoque lachrymarũ partem per nares solet emittere: non est ergo opus, vt perforemus, sed semper relinquatur os fistulæ, cætera omnia sua methodo perficientes, incarnãdo, exiccando ac cicatricẽ inducendo.

Si autem

Si autem adsit fistula, in qua nec os detectum sit nec corruptum, hoc modo procedatur: si adsit callus remoueatur, si sordes detergatur. Pro callo autem eximendo, ego vtor vnguento Ægyptiaco: vel, si robustiori opus sit, ad præcipitatum deuenio. Ablato autem callo, opus est cauitatem carne implere, quę tamen tarda erit ac difficillima operatio, propter loci nobilitatem, sed, vt rectius dicam, humiditatem ac propter materiam excrementosam sæpe fluentem, opus ergo procedere siccantibus robustioribus quam in aliis vlceribus, vt sunt squamæ lotæ ac præparatæ. Quandoque vero ego solitus sum tentare curam istam per agglutinationem: ablato enim callo ac sanie detersa dilato vlcus aut spongiola aut substantia napi sicci, & hanc dilatationem facere soleo, donec intumescit locus circa fistulam existens: dum autem tumor successerat, deueniebam ad agglutinantia, imponens medicamentum siccans, vt est diadictamnum Galeni, vel barbarum in mollioribus, aut sacrum in durioribus, vel vtrumque mixtum in mediocris carnis existentibus. Sed quoniam agglutinatio quandoque non succedebat prima vice, tunc ipsam reiterans dilatabam, tumorem excitabam & agglutinantia imponebam. Quod si secunda vice non succedebat, tertia quoq; vice idem tentabam, neq; vlterius progrediebar, quoniam vltra tertiam vicē non faceßit nec succedit negotium. & hæc satis sint de fistula lachrymali.

Pro callo fistulæ eximendo.

Pro carne generanda in fistula lachrymali.

Curatio per agglutinationem propria.

De Vlceribus narium. CAP. VII.

NAres quoque vlcerantur propria vlcerū specie, quæ non vna tantū est, sed multiplex. quoniam illarum vlcera quandoque fiunt leuia, quandoque vero grauiora, tota autē summa vlcerum narium distinguitur in mitiora & grauiora, quæ ozenę à Gręcis nūcupantur. Grauium autem horum quædam sunt, quæ serpunt exeduntq; atq; putredinē habent, ratione cuius dicuntur ozenæ quasi malo odore abundātia: huius enim fœtoris causa est putredo in vlcere contenta.

Diuisio vlcerū narium.

Alia vero sunt grauia, quæ serpunt, non tamen habent malum odorem. Tertium genus horum vlcerum est illorum, quæ habent additam & excrescentem carnem aliquam, vt est polypus.

Causa horum omnium vlcerum est fluxio & destillatio facta ab ipso capite, quæ tamen communicetur capiti ab aliis partibus corporis excrementosis. Cum autem fluxio ista ac destillatio non sit semper vnius & eiusdem generis, ideo diuersarum etiam specierū facit vlcera: quādoq; enim humores acres ac tenues destillant, qui faciūt vlcera benigniora, quoniam qualis est fluxio, talis fit vlceris materia. Si autem non tantum sit acris & tenuis fluxio, sed etiam putrescens, facit vlcus serpens: in hoc enim exeduntur membranæ & cartilagines narium, sine tamen fœtore aliquo.

Causa vlcerum narium.

Signa autem & primo vlceris serpentis, sunt, quando exeduntur membranæ & cartilagines narium. Ozenæ vero signum est, quando adest fœtor insignis. Cognoscitur autem caro supercrescens, polypus narium dicta, quandoque visu ipso, quandoq; vero coniectura, cum fit impedimentum spirationis. Curatio autem talis indicatur, quod in quocunque narium vlcere ab interna causa orto indicatio curatiua est, vt primo intercipiatur fluxio: primum itaque tenui & attenuante victu vtendum est, iubentes vt caueāt ægri ab illis, quæ caput implere possunt, vt à mora sub sole, somno longo & huiusmodi motus corporis præstantissimus, dummodo quietum sit caput. Venus inimicissima est, & præterea huiusmodi vlceribus laborātes caueant à morbo gallico, quoniam per ipsum attracta materia copiosior ad caput fient narium vlcera praua ac etiam cum ossis corruptione.

Signa.

Curatio vlcerum à causa interna.

Victus ratio.

Post institutam victus rationem ad pharmaca deueniendum est. Primum ergo aluus leniatur, humores pręparentur cum proportionatis syrupis, postea expurgentur cum medicamentis, in quib. ingrediatur agaricus vel hiera, cauendo ab his, quæ recipiunt elleborum ac colocynthidem, quoniā deterrima sunt in hoc casu. Expurgato corpore, ad capitis euacuationem deuenire oportet, quod fieri debet per partes longinquas aut per palatum ipsum & per errhina, & alia quæ in nares imponūtur, quæ tamen non probātur in hoc casu, quoniā attrahunt materiam, qua attracta adhuc maiorem loci affecti exulcerationem facient. Potest etiam fieri huiusmodi euacuatio per cauteria facta in occipitio vel ceruice, vel in commissura coronali cum vstione. Aduertendum tamen est quod cū ego multoties magnum incommodum & periculū fieri percepissem ex cauterio in occipitio, ideo ipsum reprobo ac dimisi semper. Sed quoniam necessario semper cerebrū huiusmodi excremēta naribus communicāns humidum est, ideo opus est, vt siccetur ipsum caput, cuius artificii varia sunt instrumēta, vt stillicidiū aquæ siue naturalis aut arte paratæ; sunt etiā emplastra, quæ debent & possunt capiti applicari. Sed si adest aliqua caliditas capitis, timēdum est ab

Totius expurgatio.

Capitis euacuatio.

An errhina conueniant.

An cauteria in occipitio conueniant.

Exsiccatio capitis quot modis fiat.

exiccātibus,ne caput deducatur ad aliquam inflammationem;talia autem emplastra sunt ex sinapi,ex Thapsia,stercore columbino,quamuis Galenus his vtatur in euacuando excrementoso capite.sed his vtitur,quamuis aliquam incalescentiam & inflammationē capitis imminere videat,quoniā videt materiā illā in capite congregatā destillare in pulmones & phthisim facere, ideo Gal.eligens ex duob. malis minus occurrendo phthisi morbo immedicabili,non curat capitis calefactionem:at in hoc casu agendum non est, quoniam tale non imminet periculum.

Si caput sit frigidum & humidum. Si autē caput sit frigidum & humidū,ratione materię resultantis à visceribus,tūc corréctis intestinis vtendū est huiusmodi medicamentis exiccantibus, quale est supradictum emplastrum.Stillicidia etiam facta ex calefacientibus & exiccantibus conueniunt.

Loci affecti tractatio. Facta autem expurgatione totius per alui lenitionem,sanguinis missionē, humorum præparationē & ipsorum expurgationem,ac etiā capite euacuato ab excrementis locū affectum exulcerantibus,deueniendū est ad vlceris curationem: circa quod vtendū est his quæ vim habent siccandi & adstringendi.

Metallica leuia. Notandum est autem,q̄ illa vlcera,quæ leuiora sunt,leuiora etiam requirunt medicamēta,qualia sunt metallica leuia sua natura,vt cerussa, lithargyrum,scoria ferri,cadmia artificialis,spodiū, lapis hæmatites,addendo repellentia, vt gallas immaturas,myrrham & malicorium.Huiusmodi autem medicamenta tripliciter applicari possunt;primo modo,si fiant medicamēta arida, vt sunt pulueres, ipsos p̄ cannulā in nares iniiciēdo:secundo modo si fiat liquidum medicamentū,vt si pulueres ex metallicis dictis cū melle misceantur,& tunc huiusmodi medicamenta gossipio stylo inuoluentes accipimus,& loco affecto ac exulcerato illinimus: tertio modo præparantur medicamenta liquidissima,quæ iubemus ægrum per nares ipsas attrahere.

Quot modis præparentur medicamenta.

Pro auferenda crusta vlceri innata. Cum autem huiusmodi vlceribus sæpe crustæ etiam innascantur,neq; possint dictis medicamentis auferri,tunc accipimus vinum cum melle mixtum,& iubemus hoc ægrum per nares attrahere.

Si vlcera sint serpētia. Si autem fuerint vlcera narium serpentia,opus est deuenire ad robusta medicamenta à Galeno descripta, vt sunt trocisci Andronis, Pasionis, Polyidæ vel Prusæ, qui dissoluti cum aceto imponantur loco exulcerato.

Exterius applicanda. Sed cum non satis sit huiusmodi tantum medicamenta intra ponere, sed etiam extra sit opus nares medicamento exiccante oblinire,tunc conueniet gypsum dissolutū cum aqua fabrili.

Si pessima sint vlcera. Si autem sint valde pessima vlcera,non est vtendum fortissimis medicamētis, vt sunt dicti trocisci,quoniam ex vlceris malignitate & ex medicamentorum vi fortissima locus affectus deueniret ad prauā & cancerosam dispositionem;vtendū ergo erit leuioribus, sed cum summa diligentia,quæ siccent & adstringant, qualia sunt metallica: vnde in hoc casu ego sum solitus vti puluere corallorū,spodio,puluere scabiosæ,tormentillæ & agrimoniæ: vel etiam vti solco aqua scabiosæ & tormentillæ vel separatim vel mixtis:& ex his maximū successum consequi vidi in infirmis:his itaque & vos vti poteritis in casu tali:& hæc satis sint dicta de narium vlceribus cum leuibus tum serpentibus & etiam malignis: sequitur vt agamus de vlceribus palati.

De Vlceribus palati,erosione gingiuarum & affectibus quibusdam dentium.

CAP. VIII.

EXulceratur palatum variis vlceribus,&aliquando gallicis,de quibus hoc in loco nō est nostrum loqui.de his enim nunc agere instituimus, quæ non fiunt à morbo gallico & vocantur à græcis aphthæ, quasi palati vlcera, per palatum intelligendo non solum cauitatē sed & omnia in ore contenta. Sunt autem hæc vlcera duplicia;nā aut fiunt excoriationes cū carie gallica,aut excoriationes tantū:tertio aūt loco adduntur gingiuarū erosiones.

Diuisio horū vlcerum.

Causa. Causæ autē horum omniū sunt fluxiones,licet quandoq; fieri possint à causa procatarctica, quoniā fiunt sæpe vlcera palati exustione à ferculis facta: sed quoniā illa facile sanari possunt,hic ergo de illis tantum agamus, quæ ab humoris effluxu proueniunt.

Interdum itaq; destillat humor acris & amarus,qui facit excoriationem ipsam, quandoq; autem pituita salsa destillat.

Signa. Signa autem horum sunt,cum apparent in ore vlcuscula aut subalbida aut rubea: hi n.colores fiunt ratione mixtionis materię fluentis. Huiusmodi autē vlcera aphthæ vocatæ ætati puerili plerunq; propria esse solent,quoniā in illa ætate abundant excrementa cerebri, quæ sæpius ac fere semper erumpere solent per lactimina, & si per lactimina exacte non effluant,semper faciunt aphthas.Pro ratione aūt materiæ defluentis fiunt vlcera palati ma-

Cur in ætate puerili maxime fiant aphthæ.

si magna aut parua, quorũ medendi ratio facilis est, dummodo non sint ex lue gallica. Tertia species horũ vlcerũ, quæ est erosio gingiuarũ, non est curatu facilis, quoniã vlcera hæc fiũt in solida carne, & fluxio erosionẽ faciens cõtinua est, ideo difficultatẽ curationis facit. *Erosio gingiuarum.*

Curatio autem horum vlcerum consistit in duobus scopis, quorum alter est, vt auferatur fluxio ratione dicta in superioribus, videlicet per venæ sectionem, lenitionẽ alui, humorum præparationem & expurgationem ac capitis euacuationem. sed non semper hoc scopo vtimur, quoniam si fuerit leuis fluxio, sola victus ratione corrigi potest. Sed si adsit erosio gingiuarum, à primo scopo semper erit incipienda curatio, quoniam hæc fluxio huiusmodi erosionem faciens diuturna est & assidua. Alter scopus curandi vlcera hæc perficitur per localia, quæ omnia vim habere debent siccandi & adstringendi, qualia sunt gallę, rhus obsoniorum, cuperosa, oleum sulphutis temperatum, oleum chalcãthi temperatum. *Curatio vlcerum palati.* *Localia.*

Quandoq; vero hæc vlcera fiunt adeo maligna, vt cogamur in his puro sulphuris oleo vel etiam chalcanthi vti, aut aqua fortis dicta, quæ quidem fortissime exiccat. Ego tamen moneo, vt euitetur aqua hæc in his vlceribus, quoniã sæpe post huius vsum succedit aut nome aut gangræna, quare loco huius aquæ vtamini potius aliquo ex dictis oleis. Si autem adsit tertia species vlcerum palati, quę est gingiuarum erosio, sciendum est, quod erosis gingiuis dentiũ radices solent obduci vel topho quodam vel etiam sorde, vnde tunc habẽda est diligens cura dentiũ, vt semper puræ præseruentur ac candidę radices ipsorũ, q̃ fit ab aliquibus instrumento ferreo. Sed ipsum ego non laudo, quoniã ferrum est inimicissimũ dentibus, vnde si tophi aliqui adsunt in radicibus ipsorum, tunc ex frequentissima ferri frictionẽ magis indurantur, & ita vt nunquam postea remoueri possint; vtẽdum est igitur in hoc casu puluere pumicis: sed opus est, vt huic pulueri addatur materia erodens tophũ, vt est oleũ sulphutis; ideo ego in hoc casu accipio stylum, cuius apicẽ gossipio obuoluo, & in oleo sulphutis intinctũ postea puluere pumicis inspergo. hoc semel in die faciens, quoniã ex hoc p̃seruantur dentes à topho & candidi fiunt. Si autẽ fiat erosio gingiuarũ ita vt dẽtes anteriores sint agitabiles, tunc opus est, vt manu intrudãtur in sedẽ suam: sed hoc nõ satis est, quoniam oportet semper decoctũ habere, quo os abluatur vim habens siccandi & repellendi; vnde ego vti soleo decocto radicis cyperi vel decocto acoti vel nucum cupressi, vel rhoes, quod sumach dicitur. Habemus & alia robustiora, sed iis non audemus vti, quia denigrãt dentes. cum his autẽ decoctis solemus admiscere parũ myrrhæ, quia facit ad agglutinationem ac regenerationem gigiuarum. Si autem accidat, vt dẽs aliquis cadat, opus est, vt rursus in suam sedẽ ponatur, præcipue si vnus ex inferioribus sit, & filo aliquo collateralibus alligetur: aut si ille, qui cecidit, haberi non potest, alius similis qualiscunque sit vel etiam ebore factus alligari potest, & ita imponatur: natura enim dentiũ talis est, vt cadente vno cadant, & reliqui propter reclinationẽ, & sic vox vel loquela ipsa impeditur necessario. quare si dens aliquis, vt diximus, cadat, necessariũ est pro vocis ac loquelę formatione, vt reponantur in propriam sedem vel iidem, vel similes, vel arte facti. *Notandum circa vsum aquæ fortis.* *Cura erosionis gingiuarum.* *Pro præseruatione & ablutione dentium.* *Si dentes agitabiles sint* *Decoctum repellens.* *Si dentes cadant.*

De Vlceribus papillarum vel mammillarum capitis. CAP. IX.

HAbent & papillæ mammillarum sua vlcera, quæ etiam grauia, molesta ac frequentia sunt. & sunt duplicia, quorũ prima exedẽtia & phagedænica fiunt; alterũ genus horũ quæ facta sunt per longitudinẽ papillæ, & hæc in phagedænica facile vertuntur: Phagedænica enim habent secum coniunctam putredinem, & eam ita acrem, vt aliquando exedat & absumat papillam. *Diuisio.*

Causa horum est fluxio, quoniã non possunt fieri hæc vlcera maligna, nisi ex fluxu materiæ acris: isti autem humores acres facientes papillarum vlcera, miscentur quandoq; aut cum lacte, aut cum pituita; demandantur vero aut ab hepate aut à liene. *Causa.*

Sunt autem curatu difficillima hæc vlcera pro ratione substãtiæ mãmillarum, q̃ cum sit mollissima ac glandulosa, leuibus indiget, quibus non cedunt hæc vlcera. Secundo fit curatu difficilis, quoniam sæpe in his casibus vocantur ad curam imperitæ mulierculæ, quæ nec loci naturam nec morbi nec remediorum inuenire sciunt, vnde ipsæ applicant solam ceram cittinam, quæ digerit; cum tamen vlcera exiccatione & adstrictione indigeant, & ideo sæpe redduntur hæc vlcera ex leuioribus maligna vel phagedænica. Nobis ergo intentio erit, si hæc vlcera sanare volumus prohibendi fluxionem; quare primo prohibeatur lactatio pueri, quoniã lac & papillæ alterantur à puero ratione suctionis; secundo retrahatur lac ipsum, quod fit per exiccationem; imponantur ergo mammillis emplastra confecta ex farina otizæ cum puluere rosarum. Et etiam in hoc casu prouocanda sunt menstrua, sine tamen aliqua incalefactione, quod fieri potest per sectionem venæ in malleolo. *Cur hæc vlcera difficillime curentur.* *Curatio recta.* *Exiccatio vel retractio lactis.*

inter omnia autem ſiccantia hoc præſtantiſſimum eſt medicamentum, quo noſtri chirurgi vti ſolent. ℞ rhab. el. mumiæ an. ℈j. fiant pilulę 2. quarum vna vno mane detur, altera altero vel poſt duos dies, & poſt aſſumptionem pilulæ ſuperbibat mulier patiens multam aquam plantaginis, nam his cohibetur abſq; dubio fluxio.

Mammillarum temperies.

Si vlcus immundum ſit.

Cohibita atuem fluxione ac lactis generatione veniendum eſt ad vbera ipſa, quæ aut ſint phagedænica aut alia, ſemper in ipſis indicatur exiccatio & adſtrictio: quoniam habemus partem & ſubſtantiam partis ſatis ſiccam: conſtat enim mamilla cum multis glandulis tum neruis, inter quas lac generatur ac defertur per neruos ad ipſam papillam. Cum ergo talis ſit conſtitutio mammillæ ex membranis duris ac nerueis, opus erit in his vlceribus medicamento exiccante & adſtringente, obſeruando tamen, an vlcus mundum ſit an immundum: ſi enim immundum ſit, tunc ſiccantibus etiam mel roſatum admiſceri debet: ſi autem non adſit ſordes, ſolis ſiccantibus vtendum eſt. vnde ego hoc ſoleo vti medicamento, quod pluries expertus ſum; ℞ oleum ex nucibus iuglandis & ſimul incoquens ſquamam ferri vlcera inungo.

Medicamentum Aetii exiccans.

Aetius vero deſcribit medicamentum optimum ad hæc vlcera accipiens rhois coriariorum, vel ſi haberi non poteſt, loco rhois folia terebinthi vel pilularum cupreſſi lib. j. (per rhoe autem intelligenda ſunt folia ipſius plãtæ, dum enim ſcribitur rhoe coriariorum, ſemper ipſius folia intelligenda ſunt: quando vero ſcribitur rhoe culinariorum, intelliguntur fructus herbæ ipſius) gallæ immaturæ lib. j. ß. vini auſteri libr. x. tritis terendis macerentur in vino per biduum, deinde coquantur ad medietatis conſumptionem agitando materiam totam ligno cupreſſi viridi, poſtea excoletur, deinde coquatur ad mellis conſiſtentiã, & ſeruetur in vaſe vitreo ad vſum. Quando vero ipſo vti volumus, applicetur papilla hoc modo: inungatur papilla medicamento dicto, deinde accipiatur teſta nucis bene excauata, & imponatur vnguentum de thutia & applicetur, & alia etiam vim ſiccandi habentia & adſtringendi optima ſunt. Sed quandoque abluenda ſunt huiuſmodi vlcera decocto ex roſis vel ſcabioſa vel aliis huiuſmodi. Et hęc de papillarum vlceribus ſatis ſint.

De Vlceribus ſedis, ſed potiſſimum de fiſtula ani cum occulta, tum manifeſta, cum recta, tum obliqua, quo ad eius naturam, cauſas, ſigna atque præſagium.

CAP. X.

Fiſtula ani quid.

Quot modis ſedes corripiatur fiſtula.

Differentia.

SEdes infeſtatur variis vlceribus, inter quæ connumerantur rhagades primo, ſecundo vlcera calloſa, tertio vero fiſtulæ, de quibus nunc loqui inſtituimus, cum ſcripſerit Hippocrates librum ſpecialem de fiſtulis & Aetius lib. 14. cap. 11. & Paulus lib. 7. cap. 78. quibus ex locis omnibus colligimus non vnam eſſe fiſtulam ani, ſed plures: at dicamus primo quod quo ad quid rei, fiſtula ani eſt vlcus anguſtum, longum collocatum in ſubſtantia inteſtini vel muſculi. Exulceratur autem ſedes hac fiſtula variis modis: nam quandoq; e exulceratur ita, vt fiat fiſtula manifeſte patens, quandoq; vero non patens. Manifeſtam autem illam appellamus, quæ habet orificia ſua extra ſedem: occultam vero, quæ fit in cauitate inteſtini ipſius. Hæ autem fiſtulæ variant rationibus, nam quandoque licet inmanifeſtæ ſint, tamen perueniunt ad ſedem ipſam, ac illam perforant: per ſedem intelligendo cauitatem illam circa canalem recti inteſtini exiſtentem, & quoties ſit fiſtula non excedens quantitatem trium digitorum perforat ſedem ipſam, quandoque vero procedit ad muſculum extremum, quandoque autem vſque ad inteſtinum ipſum. Alia eſt varietas: nã quandoque rectæ, quandoque vero intortæ fiunt, Ita vt non poſſit earum ductus inueſtigari; quandoque vero fiunt multæ ſimul contortæ & coniunctæ, habentes tamen vnum tantum orificium.

Sunt etiã aliæ pertingentes ad articulum coxę: Et hæ ſunt ſpecies fiſtularum ſedis, quæ rectius hoc modo diuiduntur, quod ſcil. aut ſint rectæ aut intortæ, aut penetrent aut non penetrent, aut ſanabiles ſint aut inſanabiles.

Cauſa externa.

Cauſa tuberculorũ fiſtulas præcedentium.

Cauſa interna.

Cauſa autem fiſtularum vna tantum eſt procatarctica, id eſt, extrinſeca, & eſt tuberculum natum in ſede: nam quoties deuenerit ad ſuppurationem, facit vlcus, quod contracto callo efficit fiſtulam. Tuberculotum vero cauſæ ſunt primo contuſiones illarum partium ſedis, vt ſæpe contingit equitantibus; ſecundo eſt ſedes continuata in locis frigidis, vt ſupra marmore aut glacie: cum enim languidæ factæ ſunt illæ partes, attrahunt humorem, ex quo tubercula proueniunt, quæ poſtea ſunt cauſa fiſtularum, cum ex tuberculis fiant fiſtulæ. Internæ vero cauſę plures ſunt, vt vlcera, rhagades, hæmorrhoides tumentes & male curatæ. Cauſæ vero remotiores fiſtularum ſunt fluxiones ipſæ: nã cum ſedes ipſa ſit tanquam cloaca, in quam concurrunt multa excrementa, habet enim ſe-

des multas venas, per quas excrementa feruntur, non est itaque mirum, si fluxionibus subiiciatur.

Signa.

Signa fistularum sunt primum orificium, quod si appareat, non est, vt quæramus aliud signum. Sed quoniam sæpe variant; aut enim penetrant, aut non penetrant; aut sunt rectæ aut intortæ: ideo si erit recta, cognoscitur per impositionem specilli; Si enim recta procedit vel etiam prouenerit ad fundum fistulæ (cuius signum erit durities; fundus enim cuiusuis fistulæ semper durus est) signum erit rectæ fistulæ. Interna autem fistula cognoscitur per impositionem candelæ: si enim specillo cognosci non possit, qualis sit fistula, ita vt parua quantitas specilli in ipsam egrediatur, ac etiam puris vel saniei magna effluat copia, signũ est maiorẽ esse fistulã, quam specillũ indicet; quare tunc fit exploratio fistulæ per candelæ impositionẽ, quæ, quoniã flexibilis est, nobis facile potest ostẽdere. Si autem plures sint fistulæ vnũ tantum habentes orificiũ, cognoscuntur cũ per specillum, tum per magnã saniei copiã effluentẽ: præterea ex historia infirmi: sæpe .n. euenit, cũ facta fuerit vna fistula: quod successu temporis ex materia ibi copiosa vel diutius fluente plures fiant fistulæ, quarum signum sit tuberculum exortum, & deinde aliud & aliud tuberculum circa fistulæ locum. quod si illa tubercula non rupta saniem aut suam suppurationem emittant & intumescant; signum erit illam materiam ad orificium fistulæ esse conuersam, & sic locum illum exulceratum fieri fistulam; quare quot prouenerint tubercula, tot etiam enumerabuntur fistulæ ad vnum tantum orificium materiam emittentes.

Præsagia.

Si autem penetret fistula, cognoscitur per impositionem specilli, si recta sit, vel candelæ, si sit intorta: præterea imponimus digitũ in anum, & inuestigamus exploratoria illa, quorum si acumina percipimus in ano, signum est fistulam penetrare. Imponimus etiam aliquando loco digiti in anum aliud specillum, quo etiam acumina eadem cognoscere possumus. Cognoscitur præterea penetrans fistula per intestina ab excrementis per ipsam fistulam exeuntibus, aut à fœtore maximo saniei, vel cognoscitur per decoctum aliquod iniectũ in fistulam; si .n. penetrat fistula, decoctio per intestinũ rectum effluet. Cognitis aũt fistulis præsagiũ tale est, vt distinguamus primo fistulas illas in perniciosas & non perniciosas, sanabiles & nõ sanabiles: præterea in sanabiles & nõ perniciosas, & in insanabiles & nõ perniciosas. Perniciosæ fistulæ sunt illæ, quę perforãt & exulcerant intestinũ rectum. Sanabiles vero sunt illæ, quæ pertingunt tantũ ad musculum sphinctẽrẽ per quantitatẽ duorum vel triũ digitorum. Insanabiles vero sunt illę, quæ pertingunt ad intestinum rectũ, vel ad musculi superficiem. Sanabiles & perniciosæ sunt omnes dilaceratæ ac multos cuniculos habentes. Insanabiles vero non perniciosæ sunt desinentes in intestinum prope musculum sphinctẽrẽ, vel etiã in superficiẽ ipsius musculi. Curatio autẽ fistulæ ani quoniã maxima indiget diligentia & tractatione, ideo in hoc subsequenti capite eam pertractabimus.

De Curatione fistularum ani. Cap. XI.

Indicationes vniuersales. — *An conueniant pharmaca à toto trahentia in his fistulis.* — *Vena sectio.* — *Victus ratio* — *Loci affecti tractatio.* — *Quot modis fistula secari possit.*

CVratio fistularum dimissis illis, quæ sunt incurabiles, varia est; accipiamus itaque fistulam manifestam sed sanabilem: indicationes curatiuæ ipsius erunt partim communes, partim singulares. Cõmunes v. indicationes sunt, quoniã cum istæ fistulæ fiant ex defluxu, necessariũ est ipsum sistere. & quoniam fluxus fit per venas mesenterii, erit ergo sistendus per euacuationem, cuius hoc præceptum seruetur, quod quamuis resultet materia ab vniuerso corpore, non tamen tentetur euacuatio totius corporis, quoniam materia per illum locum affectum fluens irritabit magis fistulam; non est igitur vtendũ pharmacis ab vniuerso corpore trahentibus, sed euacuandum est per frictiones tantum & alia huiusmodi. Exhibeatur itaque pharmacum venas mesenterii tantum euacuans, quale est cassia, cauendo ab his in quibus aloe ingreditur, quomodo sedẽ maxime irritat aloe. Cum autem euacuatio non in solo pharmaco existat, sed etiam in venæ sectione, erit ergo secanda basilica eiusdem lateris, post quam euacuationẽ cum necessaria sit contemperatio, ideo optima instituatur victus ratio. Si quis autem siccæ & adstrictæ sit alui, danda est opera, vt fæces educantur per clysteres constantes ex decocto maluarum, oleo & butyro. Instituta autem victus ratione optima & peractis communibus per euacuationem, deinde ad locũ affectum deueniendum est. Accipiamus itaq; duas fistulas curãdas, quarum altera sit illa, quæ perforat, reliqua vero, quæ non perforat; pro curatione illius, q̃ perforat, statim deueniẽdum est ad sectionem fistulę; in qua sectione diuersi sunt chirurgorũ modi. quoniã aliq; secant super specillũ, aliqui super lignũ, aliqui v. imponunt scalprũ & secant; quę omnes rationes secandi bonæ sunt, sed illa, quæ fit syringotomo optima est. Facta autem sectione auferatur callus, in quo omnes nõ conueniũt, quoniã aliqui volũt, vt medicamẽto call⁹ auferatur, alii scalpro, quidã v. vngue; mea aũt fert sentẽtia, vt quomodocunq; auferatur callus tanq̃ corpus pternaturale, q̃ impediat consolidationẽ, nihil referat, dũmodo auferatur.


Ablatio calli fistulæ. Bene verum est, quod omnes monent, vt auferatur post sectionem, quamuis ego sim solitus ipsum auferre ante sectionem: sed si est vngue aut scalpro auferendus, auferatur post sectionem: si vero medicamento auferri debet, auferatur ante sectionem. Et quamuis omnes velint, vt Auicennas & reliqui, quod auferatur medicamento forti exedente, ego tamen per dilatationem id facere consueui: cum enim dilatatur, resoluitur, ac leuissimo postea medicamento exedente eradicatur. Dilatatur autem spongia aut substantia cucurbitæ sicca. *Modus auferendi.* Medicamenta vero, quæ ego impono pro calli eradicatione, duo potissimum familiaria habeo, quorũ alterum est vnguentum Ægyptiacum simplex in molliori callo: at in duriori (callo) vsus sum Ægyptiaco composito. Alterum vero medicamẽtum pro eodem callo erit præcipitatum; aliquo enim ex his duobus dilatatum callum semper imbui & feliciter successit.

Sectio fistulæ. Ablato autem callo secanda est fistula, quoniam aliter non agglutinaretur nec incarnaretur: secetur ergo per syringotomum. Facta sectione perducatur vlcus ad cicatricem epulotico aliquo, *Epulotica.* vt in mollioribus diapompholyge: in robustioribus vero iside: in mediocribus autem vtroq; mixto.

Si sit fistula nõ perforãs. Si autem sit fistula non perforans neque penetrans ad intestinum aut superiorem musculi partem, pro ipsa secanda accipiatur syringotomus acutam habens aciem, quoniam duo sunt syringotomi, vnus quo secamus perforantem fistulam habens aciem sphæricam: alter vero, quo secamus fistulam non peforantem habens aciem acutam: hunc ergo accipimus & facta sphærula cerea in eius acumen ipsum imponimus, & in ipsam fistulam intromittimus; & cum peruenerit instrumentum ad fundum fistulæ, premimus fortiter, ita vt perforetur globulus çreus, qui est super aciem, & fundus etiam fistulæ simul, deinde digito adiutore ipsam aciem syringotomo per anum educimus, donec secetur fistula ipsa. huc autem facimus, quoniam aliter eiusmodi fistulas sanare non possumus.


Forma autem syringotomi, quo secatur fistula perforans, est hæc.

Syringotomus pro secanda fistula perforãte.



A est sphærica acies siue habens globulum obtusum:
ab A ad B est rotunditas læuigata.
à B ad C est pars acutissima, qua incidimus.
à D ad E & F est pars obtusa.


Forma vero syringotomi, quo inciditur fistula non perforans, est hæc.



Syringotomus pro sectione fistulæ non penetrantis.

A est acies acuta, in qua vel supra quã ponendã est sphærula ærea.
ab A ad B est rotunditas læuigata.
à B ad C est pars acutissima, qua inciditur.
à D ad E est pars obtusa.


Quamuis autem hæ duæ formæ videantur sufficere pro sectione fistulæ cum penetrantis tum etiam illius, quæ non penetrat, nihilominus duæ aliæ habentur in vsu; & quidem satis idoneæ pro sectione vtriusque fistulæ: nam si fistula non perforat, ad ipsam aperiendam, aliqui vtuntur syringotomo quodam, qui in apice habet aciem cum pungentem tum etiam incidentem, qualis ostenditur ab hac forma.



A est acies acuta super quam potest poni sphærula cerea.
B est pars rotunda læuigata.
à B ad C est pars acutissima, qua fit incisio.
à D ad E est pars obtusa.

Quarta autem forma syringotomi, quo vtimur in perforante fistula, habet aciem obtusam sed depressam vel etiam rotundam vt libet, & in acie summa habet foramen, per quod traiicitur filum, quo filo traiicitur acus plumbeus siue stilus plumbeus, quæ acus siue stilus imponitur in fistulæ foramen vel orificium externum, & postea acus illa traiecta per foramen fistulæ internum educitur ac extrahitur per anum, & sic per extractionem acus ingreditur syringotomum incidens & aperiens totam fistulam, & est secundum hanc formam.

A est



A eſt acies obtuſa perforata.
B eſt pars depreſſa ac obtuſa.
à B ad C eſt pars incidens acutiſſima.
à D ad E eſt pars obtuſa ac non incidens.
F eſt foramen acus, per quod traiicitur filum, quo anneïctitur ipſa ac⁹ aciei ſyringotomi.

Si quis autem vellet eiuſmodi fiſtulas ſanare abſque ſectione, ea ratione tentanda eſt curatio talis, vt docet Hippocrates in libro de fiſtulis, nempe per agglutinationem imponenda medicamenta ſiccantia & adſtringentia, quæ ipſam fiſtulam ita coanguſtabunt, vt ſeſe parietes ipſius viciſſim tangant, facta ex ipſis glande, ad quam perficiendam vtimur linimento duro, vt barbaro, aut emplaſtro ſacro, quam glandem poſtea oblinimus aliquo ſiccante molliori, & imponimus in fiſtulam.

Modus curandi fiſtulas abſq; ſectione.

Sed hic oritur ambiguitas quædam ſanandarum fiſtularum ani, quoniam quidem cum viderint aliquem laborantem fiſtula in ano, monent, vt non aſſumatur cura, quoniam, dicunt ipſi, hoc eſt emiſſarium naturę, per quod ſibi noxium humorem expellit. Præterea aliam rationem adducunt experientia praxique ducti dicentes, quod multi laborantes variis inteſtinorum morbis ſuperueniente fiſtula liberati fuerint ab illis morbis: Quod ſi non deſierunt & liberati ſunt ex toto, ſaltem mitiores facti ſint.

Dubium an curanda ſint fiſtula ani, nec ne.

Ego autem ſum huius ſententiæ, quod omnis fiſtula ſanabilis ſit ſananda, neque vllo modo relinquenda in loco tam periculoſo. Eueniunt enim ſæpius diuerſa ſymptomata miſerum ægrum affligentia. Si autem eueniat, vt quis laboret aliquo inteſtinorum morbo, & ipſi ſupetueniat tuberculum in ſede, quod ſuppuretur, & egreſſa ſanie fiat fiſtula, ex qua mitiores reddantur illi morbi inteſtinorum, tunc adiuuatur natura vt reliquum materiæ pellere poſſit, ac tandem ceſſante morbo inteſtinorum fiſtula etiam ſanetur, ſi ſanabilis exiſtat.

Fiſtulæ inſanabiles & non pernitioſa.

Cum aũt diſtinxerim⁹ in ſanabiles, inſanabiles, ſanabiles & pernitioſas, & inſanabiles nõ pernitioſas, atq; de ſanabilibus iam dictũ ſit, ſequitur nunc vt de inſanabilibus & nõ pernitioſis agamus. Hæ autem duplices ſunt; altera, quæ deſinit in inteſtinũ prope muſculum ſphincterem, altera vero partem ſuperiorem muſculi ſphincteris perforans. Si enim perforat ipſum per quantitatem duorum vel trium digitorum, ſanabilis eſt: ſed ſi perforat ipſum per quantitatem quatuor digitorum, tunc inſanabilis redditur.

Fiſtula quãdo ſit ſanabilis & quando non.

Cum autem cura fiſtularum ſectione perficiatur, in hac ſectio periculoſa eſſet, quoniam ſi ſecemus muſculum ſphincterẽ tranſuerſaliter, fiet relaxatio ipſius ſedis, vnde ſubſequetur inuoluntaria ſtercorum emiſſio. Cum itaq; ad manus Medici deueniunt huiuſmodi fiſtulæ hoc modo tractentur: primo vniuerſalia dicta peragantur, deinde circa locũ hoc agemus; primo ſeruetur fiſtula ſemper aperta, ſecundo ſeruetur ſine callo: vt autẽ ſeruetur aperta, imponatur ſemper in cauitatem fiſtulę tenta ſiue penicillum, quandoq; vero imponi poteſt cannula plumbea.

Quomodo fiſtula ſeruetur aperta.

Si autem pertingat fiſtula ac perforet muſculum ſphincterem in parte ſuperiori, ego adhibeo molliſſimum linimentum, quo tentam obduco, quæ debet eſſe tantæ longitudinis, vt pertingat ad orificium ſuperius fiſtulæ: vti etiam aliquando cõſueui cannula ipſa, ſed quando excrementum aliquod excernitur per fiſtulam ac cannulam, tunc eam ita latã efficio, vt vix aut vi magna in fiſtulam imponeretur. Præſeruatur autẽ à callo fiſtula hoc modo, vtendo ſ. linimento deterſorio; q, ſi leuius requiratur, vtendum eſt vnguento iſidis: ſi vero potentius, vtendũ eſt ægyptiaco ſimplici, aut hoc modo conficiatur medicamentũ.

Quomodo præſeruatur à callo.

℞ diapompholyg.
vngu. ægyptiaci an. ℥ß. Miſce.

Si autem ſupetuenerit callus, remoueatur cum præcipitato mixto cum melle roſato, quo ablato ſeruetur fiſtula ſine callo & ſine exulceratione.

Remotio calli.

At quoniam illa, quæ habent vim ſiccandi, plerunq; exulcerãt, ideo ego conſueui imponere decoctum ex aqua, in qua decocta eſſet betonica & ſcabioſa, decoctum hoc iniiciendo quotidie, vt abluantur optime interiora eiuſdem fiſtulæ, & tandem imponentes tẽtam præſeruamus fiſtulam non pernitioſam.

At ſi pernitioſa ſit fiſtula, non eſt proritanda acribus medicamẽtis, ſed primo peractis vniuerſalibus ad locum affectum deuenientes non acribus vti debemus medicamentis.

Si fiſtula ſit pernitioſa.

Sed quoniam huiuſmodi fiſtulæ ſæpe ſolent eſſe gallicæ, ideo tunc primo curetur lues gallica, & tandem ad fiſtulam veniemus. Si autẽ lues gallica non adſit, oportet vt modice ſiccemus ſine calefactione; per os itaque accipiatur decoctum ſalſæ, quoniã exiccat, ad-

Si fiſtula ſit gallica.

Notandum circa aquas thermales. ftringit & contemperat; at vt ex mea ſententia conſulam, aquæ thermales ſiccantes optimę ſunt, vt ſunt aquæ Patauinæ illæ, quæ B. virginis dicuntur; robuſtiores vero ſunt Calderianæ, quæ habent vim contemperandi & ſiccandi: ſed quoniam labefactant ventriculum, ideo illis non ſunt exhibendæ, qui habent frigidiorem ventriculum. Per exterius autem non eſt deueniendum ad acria medicamenta, quoniam irritant fiſtulam: ſed ſunt tentanda leuia: vnde ego in his fiſtulis vti conſueui cannula, quoniam plumbum ipſum exiccat, & non ſinit fiſtulam coarctari, vel abluatur fiſtula ſemper decocto aliquo vim ſiccandi habente modicam, vt cum decocto plantaginis, ſcabioſæ vel tormentillę. Hoc ergo modo palliandæ ſunt fiſtulæ pernicioſæ ac miſeri præſeruandi, donec velint & poſſint, quoniam poſtea grauiſſimis ſymptomatibus ortum quandoque à fiſtulis ducentibus ſuccumbunt. Et hæc ſatis ſint de fiſtulis dicta.

Ratio vſus cannulæ. Decoctum modice ſiccans.

De Rhagadibus. CAP. XII.

RHagades ſiue rhagadiæ ſunt fiſtulæ vel rimæ per longum in externa ſede ad concauitatem terminantes, quæ contracta ſede non ita apparent.

Cauſa. Cauſæ autem harum ſunt duplices, quarum prima extrinſeca eſt, & ſolent eſſe ſtercora dura in ſede contenta, quæ, dum excernuntur, ſolent huiuſmodi rimas facere: cauſa harum etiam frequens eſt clyſteriorum vſus & applicatio, quoniam excoriatur locus ille à cannula ænea, & efficit rimas iſtas. Cauſa autem interna eſt fluxus humorum atque confluxus illorum vitioſorum, qui ſæpius affluentes ad locum affectum concreſcunt in ipſa ſede, & fiſſuras efficiunt. Notandum tamen eſt, quod non ſolum huiuſmodi materia effluens ſolet rimas has efficere, ſed etiam humor quidam acris, qui cum ſtercoribus ſæpius effluere conſueuit.

Species. Species harum rhagadum ſunt, prima recens & non calloſa, altera vero vetus & calloſa. Recentes cognoſcuntur ex hiſtoria infirmi; veteres vero ex dolore, vel ſenſu potius

Signa. obtuſo. Præterea cognoſcuntur etiam ex aliis ſignis contrariis recentium rhagadum. Factam vero rhagadem à fluxione cognoſcimus per hoc, quoniā eſt humida ſemper & profunda. Illæ vero rhagades, quæ fiunt ex dilaceratione, non ſunt valde humidæ, neq; profundæ. Solent etiam quandoq; huiuſmodi rimæ prouenire à morbo Gallico, quæ cognoſcuntur ex hiſtoria infirmi, dum dicit, tunc eas obortas eſſe, cum & perſenſit cætera ſymptomata Gallica.

Præſagium. Præſagium autem ſit de facili curatione, exceptis illis, quæ à morbo Gallico proueniunt: veteres quoq; rhagades non ita facile ſanantur & præſertim illæ, quæ habent obtuſum ſenſum.

Curatio. Si itaque curanda ſit rhagas facta à cauſa intrinſeca: vt ſi proueniat à ſtercore ſicco, primo lubricanda eſt aluus cum victus ratione emolliente, vt ex multis generibus olerum, tum etiam per frequentem vſum caſſiæ. Enema etiam quandoque iniiciatur ex oleo &

Loci affecti tractatio. butyro, vt facilime diſſoluantur ſtercora dura. Circa locum autem affectum, quoniam ſolet in huiuſmodi fiſſuris eſſe inflammatio, ideo imponātur medicamenta ſiccantia, ſed inflammationem prohibentia, vt gummi tragacanthi, gummi Arabicum & huiuſmodi; quib. admiſceantur metallica ſua natura leuia, vt ceruſſa, ſcoria ferri, bolus armena, lapis hæmatites, lapis ſpecularis & huiuſmodi, quæ habent vim ſiccandi & refrigerandi ſimul.

Si rhagades ſint doloroſæ Si autem doloroſæ ſint rhagades, tunc ſunt ſtupefaciendæ per impoſitionem vnguenti refrigerantis; vnde ego vtor vnguento populeonis, ipſum modicum eliquans, & poſtea intincta in ipſo penna non ſolum fiſſuras illinio, ſed etiam loca circumiacentia.

Curatio rhagadum inueteratarũ, & ex fluxione factarum. Localia. Si calloſæ ſint rhagades. Si autem ſint rhagades ex cauſa intrinſeca, id eſt, fluxione ipſa, vel ſint inueteratæ, tunc ab vniuerſalibus cura incipienda eſt, vt diximus in ani fiſtulis, poſtea ad localia deueniendum, quæ debent eſſe refrigerantia, exiccantia & adſtringentia, vt cadmia lota, ſpodium lotum, pompholyx lota, ſquama æris, æs vſtum lotum &c. Sed contemperentur hæc metallica aliquo medicamento liquido, vt vnguento de thutia. Quandoque vero & his addi conuenit bolũ orientalem lapidemq; hęmatiten. Si autem adſint calli in rhagadibus remoueantur non ſectione, vt dictum eſt in fiſtulis ani, ſed medicamento aliquo exedente, quale eſt Ægyptiacum mixtum cum alumine rochæ vſto.

Pro auferendo callo. Antiqui vero Medici in remouendis rhagadum callis vtebantur trociſco ex charta combuſta. Ego vero in ablatione calli duriſſimi vtor pulnere arſenici præparati & loti. Ablato callo perducatur vlcus ad cicatricem lotionibus & medicamentis, quorum omnium ſuperius facta fuit mentio.

Fiũt quoq; in ſede vlcera alterius generis ſiue excoriationes prouenientes ob multas cauſas, quorum cura iiſdem perficitur medicamentis, ablutionib. inunctionibus, & huiuſmodi aliis, vt videbitur perito iudicioſoq; chirurgo. Et hæc ſint ſatis de rhagadibus.

De

De Vlceribus pedum. CAP. XIII.

VLcera autem, quæ fiunt in planta pedis vel calcaneo ob multam ambulationem, sanari possunt sola ablutione facta cum vino austero, in quo quandoque etiam possunt incoqui rosæ, plantago & alia huiusmodi. Et hæc sufficiant de vlceribus omnibus particularibus post vniuersalia. Deoque Opt. Max. sit laus.

F. I. N. I. S. *Tractatus Octaui.*

TRACTATIVNCVLA SIVE POTIVS LECTIO, DE TVMORE BILIOSO, QVAM BENIGNVS Lector ad doctrinæ Tomi primi de Tumoribus præter naturam caput 28. quod de erysipelate est, referre potest.



CVM Galenus in lib. de tumor. præt. nat. egisset de his tumoribus, qui oriuntur à sanguine, statim eos subdit, qui à flaua bile oriri solent, huius ordinis rationem reddens in lib. 14. meth. c. 1. vbi ait maximam esse similitudinem inter erysipelas & inflammationem ratione caloris acuti & symptomatum. Verum symptomata, quæ sunt in inflammatione, ea multa sunt in erysipelate; & ideo libro 2. ad Glauc. sub genere phlegmonum vel inflammationum tractauit de erysipelate. Cum ergo hoc sit, merito explicatis tumoribus, qui à sanguine ortum ducunt, debemus & nos descendere ad biliosos: & ideo primo de erysipelate loqui, qui potissimum tumor oritur à bile. Verum vt factum est in sanguine antequam explicaremus tumores ab ipso prouenientes, determinauimus quid esset sanguis, quorumque eius differentiæ: sic etiam antequam dicamus de tumoribus, qui à bile dependent, dicamus prius quis humor biliosus dicatur, & quæ eius sint differentiæ. Galenus in libr. de tum. præt. nat. capite 9. loquens de bile vel cholera dicebat, quod Medici vocent bilem humorem colore pallidum vel flauum, gustu amarum, & est bilis naturalis recentiorum, non naturalis vero secundum meam sententiam: nam in corpore humano triplicem tantum bilem cognoscimus, vnam non naturalem, aliam naturalē, & tertiam præternaturalem: sicuti etiam cognoscimus triplicem esse sanguinem, naturalem, & non naturalem & præternaturalem. *Quatuplex bilis sit.*

Per bilem naturalem intelligimus quartam partem totius massę sanguinis, quæ quarta pars habet temperaturam calidam & siccam, quo autem colore gustuque prædita sit, ignoramus, cum nec oculis videri nec gustu gustari possit: sed si coniecturis hoc assequi vellemus, dubio procul si esset in actu & non refracta, coloris esset ex rubro flaui, gustus ex dulci amaritiam in hoc bile est idem sapor, qui est in melle aliqualiter tosto, quia bilis ista est veluti sanguis tostus; sanguis in se est dulcis; sed si torreatur, in amarum declinat, & sic esset coloris rubri flauescentis & saporis dulcis amarescentis, si videri posset atque gustari: sed ista nec tangi nec videri ac conspici potest bilis, causa est, quia continetur in potentia & refracta in tota massa sanguinea. In massa enim sanguinis sunt quatuor humores in potentia, non autem in actu; & dicuntur isti humores naturales duplici de causa; primo quia perficiunt naturam corporum; secundo quia sunt materia subministrata naturæ propter alimentum & conseruationem corporis. Quod perficiant corpus, patet; nam totum corpus diuiditur ab Hippocrate & Platone in partes continentes, contentas ac impetu ruentes: per contentas interpretantur humores, per continentes partes solidas & vasa, & per impetu ruentes ipsos spiritus: ergo illud contentum continetur inter illa, quæ perficiunt nostrum corpus: si enim homo esset sine sanguine, non nutrietur: si absque spiritibus, non viueret, ideo isti humores naturales dicuntur, quia perficiunt naturā hominis: dicuntur etiam naturales, quia sunt materia pro conseruatione & alimento; nam ex massa illa a- *Naturalis.*

luntur omnes partes, ideo iste humor biliosus naturalis dicitur, & si hoc non esset, falsa esset sententia Hippocr. probantis hominem constare ex quatuor elementis ex hoc, quia constant & nutriuntur ex quatuor humoribus, qui sunt in sanguinea massa: iste autem humor est refractus in massa cuius materia est ex chylo; nam etiam q, homo non pasceretur nisi lactuca vel lacte vel frigida qualitate alia materia, nihilominus gigneretur chylus, ex quo massa sanguinis gignitur & bilis, q est quarta portio sanguinis: & nisi gigneretur hæc bilis, hydrope corriperetur homo, quare opus est, vt sanguis generetur, qui mixtã bilẽ habeat. hęc est naturalis bilis. q quidem recentiores non appellant naturalem, sed dicunt esse non naturalem, quæ non facit morbum per se, quia non est in actu; sed si fit morbus, est à tota massa, & ideo sanguinea dicitur.

Non naturalis. Secunda bilis est, quæ à nostris non naturalis dicitur, vt distinguatur à mala illa & p̄ternaturali: sed dicitur à me non naturalis, quia primo non perficit corpus humanũ, secundo, quia non est materia apta pro alimento, imo ineptissima existit, & si pars aliqua corporis hãc bilem recipiat, aut corrumpetur aut correpta marcore perit; & hęc est bilis illa, quę est in vesica fellis quę non est inter contenta, quia non perficit corpus: nam si nihil sit illius bilis in corpore nostro, erit perfectissimum corpus: vt si demus, quod euacuetur & nõ gignatur per assumpta cibaria, nihilominus corpus erit perfectissimum: præterea non alit aliquã partem; ergo non pars corporis, & est ea, quæ apparet in corporibus animalium vel excreta per lotium, vel per fæces, vel per vomitum, nunc transfusa ad coriũ apparet faciens morbum regium, qui describitur à Galeno loc. citato, & ex ea videmus faciem infectam vel oculos: nam hic color prouenit ab hac bile, & est hic humor colore pallidus vel flauus sapore amarus, vnde postea vulgare dictum exurgit, quid aliud est amarius felle vel bile? quo-
Notandum. niã insignis est amaritudo. Sed vnũ notate, quod in ista non est acredo, non acuties, nam talis est in præternaturali, non autem in hac non naturali. Nam si acredinem haberet, sciatis, quod continuo croderet: Omnia enim acria habent vim erodendi: sed hæc bilis non erodit, ideo actis non est. Et hoc est verum, quod omne quod erodit, est salsum vel acre, & præter hæc nihil aliud erodit. Probo autem, quod non erodat, quia continuo excernitur per lotium, non tamen erodit vesicã nec renes, continetur & excernitur per fæces, & tamẽ non erodit intestina: Prętera videmus homines corripi morbo regio & fiunt veluti statua aurata, vt vtar verbis poetæ, & nulla fit erosio in cuti, saltem in oculis: Ergo huiusmodi bilis non erodit quoniam acris non est. At dicet quis, nonne huiusmodi humor est ille qui est factus ad detergendum capillamenta venarum meseraicarum, vt chylus possit transire ad hepar, vt fiat sanguis, & vt detergeret ac proritaret intestina ad excretionem? maxime ergo
Detergentia quotuplicia sint. acris est succus? nego hanc consequentiam, quoniam detergentia sunt trium generum, imo quatuor, si volumus ea recte distinguere; primo sunt acria, quæ habent maximam vim detergendi; secundo sunt nitrosa; tertio sunt salsa, quæ omnia natura detergunt; quarto sunt amara, quæ tamen vim minorem habent detergendi, & quia natura moderatam detersionem requirebat, hac ratione bili addidit qualitatem illam amaram, non acrem, ratione cuius amaritudinis detergit. Huiusmodi bilis, si quæratur, in qua parte fiat, sciatis quod fit duobus in locis, in hepate s. ex parte excrementosa chyli; & solet etiam fieri in venis ex sanguine te-
Hepar quadruplex habet excrementum. nuiori & calidiori. In hepate, vt dixi, fit ex parte excrementosa chyli, in quo triplex est excrementum & aliquando etiam quartum: est primum aquosum (excrementũ) ex quo conficitur lotium attractum à renibus, q, dependet à potu aquæ, vini vel iuris, quod assumitur ad diluendum cibum, quod humidum fit veluti vehiculũ sanguinis, quod manens aquosum acquirit vestigia caloris in epate per admixtionem nitrosæ materiæ, & ideo aqua epota si excernatur, falsa est, quia fit calidior. Secundum excrementum est quędã materia cruda, quæ non alteratur ab epate & est pituita, quæ aliquando attrahitur ab epate & effunditur p̄ vniuersum corpus, sed non est excrementum epatis, quia ante genita est.

Tertium excrementum est pars chyli calidior, quæ non est apta conuerti in sanguinem, sed alterata & concocta conuertitur in bilem, & hic humor biliosus non naturalis vocatus fit in hepate ex materia existente in chylo, & est pars calidior ipsius. Fit etiam ista bilis in venis ex sanguine tenuiori ac calidiori, quando æstuãt ac efferuent omnes venæ sicut omne genus venarum & incalescit calore præternaturali, si quis est sanguis, & potest verti in humorem biliosum, qui quidem natura sua amarus est, non acris, & habet colorem flauum vel pallidum. Ista bilis solet facere morbos, tumores præter naturam, vesicas, ampullas, solet diffundi per vniuersum corpus & corrumpere colorem, & inducit morbum regium arquatum vocatum: hæc est secunda bilis dicta non naturalis, quæ facile permeat per meatus corporis, detergit & aperit oscula venarum & proritat intestina ad excretionem.

Vltima

Vltima bilis est illa, quæ præternaturalis dicitur: hæc autem à recentioribus vocatur non naturalis. sed à me præternaturalis; nam naturalis est illa, quæ facit ad alimentum; non naturalis, quæ inutilis est & non lædit corpus; hæc vero præternaturalis inutilis est ac semper lædit corpus, ideo præternaturalis dicitur. Sed quia omne præternaturale aut per se est tale vel per accidens, hoc est, per causam aliam: eadem ratione diuiditur bilis hęc in bilem præternaturalem per se & eam, quæ per accidens est: & sic bilis est præternaturalis aut p̄ se, id est, nō admixta aliquo humore alio: vel per accidens, hoc est, per admixtionem alterius humoris. Præternaturalis ergo bilis est, quæ dicitur bilis adusta per putrefactionem, & est bilis flaua, quæ ratione putredinis in aliquo loco acquisiuit acredinem & calidior est effecta atq; tenuior, & ista præternaturalis dicitur, quia si est in venis conculcata, facit febrem: Si extra venas & non discutiatur, semper facit vlcus erodendo, si erit plurima, facit vlcus & tumorem. Et miror quomodo inepti medici non naturalem appellarint, cum rei non naturalis sit natura sua, vt iuuare & non nocere possit. Sed ista præternaturalis siue pauca siue multa sit, semper nocet corpori. videte modo, an nō naturalis possit dici. Altera est p̄ternaturalis, quæ nō gignitur per putrefactionem, sed veluti torretur & coquitur ad vlteriorem concoctionem in hepate secundum recentiores, qui volunt quod bilis vitellina aliquando torreatur & exuratur quodammodo in hepate & ita conuertatur in bilem porraceam & æruginosam, & ista est bilis præternaturalis, quia non potest consistere in partibus sine corruptione, quia semper facit aut febres aut vlcera erodendo. Et ista bilis dicitur præternaturalis in se & per se, quia non est talis per admixtionem, sed per tostionē; quamuis dogma Gal. videatur secedere ab hac sententia, vt ex lib. de fac. natur. habetur. vbi videtur velle, quod huiusmodi bilis sit potius collocāda inter humores corruptos factos ex prauis succis, veluti ex herbis & malis eduliis: sed quicquid sit, sat est, quod est bilis præternaturalis per se. Altera est præternaturalis, quæ fit per admixtionem aliquot humorum, qui reddunt eam malam, & hæc multiplex est: nam est vna, quæ cholera citrina vocatur quæ habet aliquid phlegmonis tenuioris & aquosioris in se, quo fit, vt huiusmodi bilis inutilis sit ad detersionem & proritationem, sed potius facit ad obstructionem, ideo dicitur præternaturalis. Secunda est, quæ habet phlegma viscosum admixtum, & dicitur bilis vitellina, & etiam præternaturalis, quia inepta est ad vsus naturæ, scil. apertionem & detersionem, sed facit magnas obstructiones. Tertia est illa, quæ vocatur bilis adusta per admixtionem, quia habet admixtam alteram bilem adustam: ista ita præternaturalis est, vt semper, dum in corpore existit, faciat ægritudinem maximam in vasis: Et si extra vasa est, semper crodit. & hæc est illa, quæ cancros exulcerat, & facit vlcera omnia melancholica. & sic dicamus, quod omnis bilis est aut naturalis aut non naturalis, aut præternaturalis. naturalis latet in sanguine & non potest oculis humanis videri, & est quartum elementum in sanguine, cuius saporem, odorem & colorem non nisi coniectura cognoscimus, & fit ex omni chylo etiam frigidissimo, dummodo ex eo chylo fiat sanguis. Secunda bilis non naturalis est & dicitur excrementum biliosum, flauum, pallidum, gustu amarum, quæ bilis colligitur in vesica fellis, vt detergat intestina & proritet ea ad excretionem, & vt venas detergat & aperiat, & proritet transitum chyli ad epar: & hæc bilis fit partim in epate, partim in venis ex sanguine calidiori. Tertia est præternaturalis, quæ duplex est, vel præternaturalis per se & pura, vel per accidens per admixtionem: pura iterum duplex est, vna per putrefactionem exusta vocata, quæ acris est & erodens partes, vbi est, non solum amara: altera præternaturalis est per tostionem, quia tosta & vsta est non putrida, & fit ex bile vitellina, & aliquando porracea, aliquando æruginosa vocatur: altera est præternaturalis per admixtionem, quæ iterum triplex, altera citrina vocata, altera vitellina, & altera adusta per admixtionem humoris melancholici. Tot sunt species bilis, à quibus possunt oriri varia genera affectuum, sicuti inferius dicemus. Et hæc de bile flaua.

Bilis præternaturalis.

Bilis præternaturalis diuisio.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI; DE SCIRRHO ET RELIQVIS TVMORIBVS OMNIBVS, CVM VNIuerſalibus tum particularibus, qui libro eiuſdem in Tomum Primum relato deſunt.

TOMI II. Tractatus IX.

De Scirrho. CAP. I.



Vnde ſcirrhus nomen habeat.

ΣΚΙΡΡΟΣ vel σκίῤῥωμα vel σκίῤῥωσις Græcis id ſignificat, quod ab Auicenna fen 3. lib. 4. tract. 2. cap. 4. vel 12. vocatur Sephiros, & à modernis ac barbaris durities, quamuis Græci per hanc vocem σκίῤῥωμα & σκίῤῥωσις ſignificent etiam quamcunq; duritiem abſq; tumore. Σκίῤῥος autem eſt ex illis morbis & inter illos connumeratur morbos, qui ſymptomata morbi explicant, ſiue nomen recipiant ab aliquo accidente vel natura affectus nō autem partis, nam à duritie nomen habet, quia durus eſt hic tumor atq; omnino tactui renitens. Cum vero hæc nomina reperiantur apud ſcriptores, ſcirrhus, durities & Sephiros, eandem tamen morbi ſpeciem ſignificant. Auicennas autem fen 2. lib. 1. doctr. 1. cap. 1. ſic ipſum deſcribit: durities eſt apoſtema quietum & ſedatum, id eſt tumor præter naturam non habens ſymptoma vllum infeſtans. ſubdit poſtea, ſenſum deſtruens ſine dolore & permanens in membro in eodem ſtatu: non enim creſcit cum ad ſtatum ſuum peruenerit nec declinat, nec dolor adeſt, cū in eo non exiſtat calor vllus. ſed hæc deſcriptio ſeu definitio eſt aliquo modo bona, ac explicat ſcirrhum ſecundum aliquas partes, quia eſt deſcriptio ſcirrhi exquiſiti, non autem vniuerſalis, quare eſt definitio peculiaris: aliqui enim ſunt ſcirrhi, in quibus adeſt ſenſus: nam in ſcirrho nō legitimo atque non exquiſito nō eſt deſtructus ſenſus, eſt tamen ſcirrhi ſpecies. Gal. autem in lib. 5. de ſimpl. med. fac. cap. 9. & in lib. de tum. præt. nat. ſic nobis ſcirrhum deſcribit: Scirrhus eſt tumor duriſſimus ac indolens: & hæc definitio communis eſt omni ſcirrho, quoniam de natura ſcirrhi eſt, eſſe ſine dolore: Si enim adſit dolor aliquis, inclinat in cancrum, quare non continetur tunc ſub natura ſcirrhi. Aduertendum eſt autem, quod inter tumores omnes à materia ortos nullus eſt ita durus, vt ſcirrhus, ſed tumores oſſium ſunt duriores ſcirrho.

Quid ſcirrhus ex Auicenna.

Quid ſecundum Galenum.

Cauſæ efficientes ſcirrhi.

Cauſæ ſcirrhi efficientes ſunt omnes cauſæ aliorū tumorum, externæ aut internæ: externæ vt contuſiones, calefactiones, appoſitiones medicamentorum calidorum ac etiam refrigeratio maxima. Cum enim duo genera ſcirrhi habeamus, alterum quod incipit per ſe, alterū, quod fit per tranſmutationē ex alio tumore, vt ex eryſipelate, in quo per refrigerata applicita fit ſcirrhus: Scirrhus purus incipiēs ſemper pro cauſa habet refrigerationem maximam: & hæ ſunt cauſæ externæ. Cauſæ vero internæ efficientes ſunt laxitas partis recipientis & aptitudo ad recipiendum ratione ſitus vel imbecillitatis: præterea caliditas exiſtens in parte, quæ attrahat: præterea fluxio in humoribus craſſis ac viſcoſis cum ſuis cauſis, vt expultrice valida, membrorum calore maximo ac motu agitationeque humorum ſcirrhi. Mala etiam victus ratio multum facit ad hanc fluxionem, quod ſæpe contingit in pauperibus, propter malam viuendi rationem, vt teſtatur Galenus de regione illa paupertima. Addatis quod tales humores craſſi ac viſcidi generātur etiam ex lienis & hepatis affectione, aut ratione intemperiei aut obſtructionis, hinc eſt, quod quandoq; deſinente quartana, contingunt tumores ſcirrhoſi, aut intrinſeci aut extrinſeci. Addatis ſuppreſſiones purgationum naturalium, vt per vomitum vel per hæmorrhoidas aut per menſes, & potiſſimum hæmorrhoidarum ac menſtruorum ſuppreſſiones, quę ſunt in cauſa generationis horum malorum humorum; vt ſæpe contingit mulieribus præcipue monialib. quæ cum crebro patiantur menſtruorū ſuppreſſiones, tunc illa materia aſcendit ad mammas & facit ſcirrhum, quod etiā fieri poteſt ex mala curatione Medici, qui tumores ſuperflue refrigerant quandoq;, & tunc fiunt ſcirrhi vocati per tranſmutationem.

Cauſa materiales.

Cauſæ v. materiales ſunt humores ipſi, in quib. Græci à recentiorib. differunt. recentiores enim dicunt eſſe atram bilē vel ſuccum melācholicum, qui & ipſe diuiditur in naturalem & non naturalem: vnde cum atræ bilis variæ ſint ſpecies, hinc ſcirrhoſorum tumorū

varia

varia succedunt genera. Sed cum præcipue duplex sit atra bilis: altera quæ hypostasiua siue subsidens aut fæcalis dicitur; altera vero superfluens, excrementitia & non naturalis. Primam autem naturalem Galenus vocat sedimentum sanguinis & succum melancholicum vel fæcem sanguinis, quæ transmittitur ab epate ad lienem, ac decidit ex sanguine vt ex vino fex crassa dum mustum coquitur, & est melancholia naturalis cuius tamen secundùm istos vna pars fertur ad nutriendũ corpus cũ sanguine ac frigidas partes, altera vero eius pars ad lienem demittitur, ex quo postea ad ventriculum demandatur vt appetitum excitet & faciat: ac dicunt, quod huius sapor sit medius inter dulcem & acerbum, & ipsum subdulcem vel ponticum appellant, & ex tali succo dicunt ipsi, generatur exquisitus, verus & syncerus scirrhus. Secundo dicunt quod ex melancholia non naturali fiunt scirrhi, qui sunt in quatuor differentiis, secundum quod quatuor dicunt esse species non naturalis melancholiæ: prima species est quando fæx sanguinis aduritur, ex qua fit scirrhus non legitimus: Secunda species est quando melancholia exusta fit ab aliis humoribus præter quam à melancholia: Tertia species est, quando per refrigerationem aut propter nimiam exiccationem redduntur humores crassi, puta ex medicamẽtis: quę species coincidit cum prima specie naturalis melancholiæ; Quarta species non naturalis melancholiæ est quando melancholia admiscetur aut sanguini aut bili aut pituitæ: & ex his eliciunt diuersas scirrhi species secundum diuersitatem specierum melancholiæ nuper enumeratarum. Verum Galenus non ita disponit materiam huius tumoris, sed tantum dicit, quod scirrhus habeat materiam crassam, viscidam & lentam, quæ in partibus collecta ita illas reddit, ac si essent lapideæ; postea illam tripliciter diuidit, alia ex pituita, alia ex sola melãcholia pura, tertia ex melancholia admixta alii humori: ex quo colligimus duplicem esse scirrhum, vel syncerum scil. vel non syncerum: & talis distinctio non fit ratione materiæ subiectæ, quia ex materiebus enumeratis omnibus potest fieri scirrhus verus & non verus, sed distinguuntur per suas proprietates scil. vt habent vel carent symptomatibus, vt adest vel deest durities vehemens, & vt est particeps & expers sensus & doloris: additur tertia species & est, quando aliquis alicuius humor admiscetur melancholiæ, & tunc effectus fit mixtus, vt de aliis tumoribus supra (in Tomo primo) diximus, qui affectus varia nomina sortiuntur secundum varietatem humoris admixti, vt infra accuratius dicemus. Sed prius dicamus, quod his suppositis non est mirum, si Auicennas & moderni accusant Galenum aliter sentientem; cum ipse velit, quod hæc fæx non nutriat, cum sit excrementum, neq; per totum corpus cum sanguine feratur, sed distinctum sit à sanguine ac alimento partium solidarum: quando enim dixit Galenus sanguine nutriri membra, intelligit de tota massa: quando vero dixit in qua est succus melancholicus, non intelligit de hac fæce, vt credit Auicennas, quam ipse naturalem appellat, quoniam hæc non vere naturalis dicitur, sed naturalis est illa, quæ est quarta pars massæ diuersa ab ista fæce: nam sicut in vino fit fæx, flos & vinum, ita sanguis medius est inter fæcem vel succum melancholicum ac bilem ipsam; tamen adhuc in ipso sanguine sunt quatuor humores proportionati, & fæx illa est excrementum, neque per se est apta lienem nutrire nisi complicetur cum alio sanguine, quod patet ex multis arteriis delatis ad lienem, à quibus sanguis defertur pro eius nutrimento. Melancholia autem non naturalis à modernis diuiditur in non naturalem per admixtionem & per exustionem vel refrigerationem.

Melancholia autem per exustionem quadruplex est, prima quę fit ex bile flaua vsta, & est cinis ipsius bilis flauę: Cum enim ita exuritur flaua bilis, vt tenues eius partes exhalent & crassę remaneant, hæ acres sunt, amaræ & exurentes siue exulcerantes, & ex Galeno est vera atra bilis, & quamuis Auicennas velit hanc esse tantum amaram, tamen etiam acris est. Secunda vero est illa, quæ fit ex pituita adusta. Sed irridendi sunt recẽtiores, quoniam non fit ex pituita adusta atra bilis, sed fit pituita crassa & viscida; & hanc vocat Galen. lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 9. pituitam resiccatam, quæ nisi improprie melancholia dici non debet: & volunt hanc esse saporis austeri, acris & salsi: & tertiam melancholiam, quæ fit ex sanguine exusto, inclinare in dulcedinem, quod tamen reuera ego fateor me assequi non posse. Quarta melancholia est illa, quæ fit ex succo melancholico & est præter naturam omnibus animalibus infestissima, acris ac acida vt acetũ, terram fermentans atq; fœtida & muscis inimica, de qua etiam loquitur Galenus, & est illa fere, quę fit ex bile flaua exusta per refrigerationẽ vel ex sanguine refrigerato & exiccato, vel exiccata & refrigerata bile. Melancholia vero nõ naturalis per admixtionẽ est vel cũ sanguine vel bile vel pituita.

Cum itaq; tot sint species melancholiæ, dicunt isti à melancholia naturali fieri verũ scirrhum, phlegmosum ac sine dolore. Ab atra vero bile non naturali per admixtionem vel per refrigerationẽ fieri scirrhum per complicationẽ vel per transmutationẽ dictum. A

4. Species melancholiæ non naturalis.

Melancholia per exustionem quadruplex.

materiā vero melancholica per exustionem fieri scirrhos cancerosos ac malignos. Ab illa quidem per refrigerationem scirrhos per transmutationem ex aliis tumoribus atq; humoribus & illos compositos, vt sunt phlegmonosi, erysipelatosi, œdematosi. & tot sunt melancholiæ & scirrhi ex recentioribus.

Galenus autem tot species scirrhi non ponit, neq; vult tantum à melancholica materia fieri: sed cum scirrhus sit tumor durus & sine dolore, actus à natura rei ac experiētia rei ductus vult, quod omnis congestio materiæ viscidæ ac crassæ scirrhum possit facere, quare duo sunt genera humorum scirrhum generantium; quorum primum est cruditas, de qua diximus, pituita scil. crassa, non tamen viscida: secundum est materia vitrea, vel phlegma vitreum, crassum ac tenax. Quod autem tumores duri fiant etiam ex pituita, patet ex gummatibus gallicis, in quibus apertis apparet materia pituitosa alba crassaque, vnde libr. 5. de simpl. med. fac. cap. 6. & in lib. de tum. cap. 6. & lib. 14. meth. & libr. 2. ad Glauc. semper duplicem scirrhorum materiam proponit, pituitam scil. & melancholiam, & vtrumque humorem exiccatum, id est, denudatum à proprio ichore, à materia aquosa, Ita vt sola dura ac terrestris pars remāserit parti impacta. Omnis enim succus in corpore, quamuis etiam excrementum sit, habet partes aliquas tenuiores, quibus resiccatis, vult Galenus, necessario, si à pituita & melancholia fieri debēt, dari tumores, qui duri sint ac sine dolore. quare duæ sunt species scirrhi, melancholici & pituitosi. Scirrhus materia melācholica est tumor cācrosus nec cum emollientibus curandus, quoniam irritabitur atq; magis concitabitur ex lib. 1. de simpl. med. fac. Scirrhus autem à pituita emollientibus curari potest, quoniam his potest & emolliri & discuti: præterea scirrhus à pituita est mitis ac sine aliquo dolore, quia habet materiā ita in neruis impactam, vt sensum abstulerit ac reliquerit. Ex hoc autē symptomate duas species scirrhi habem⁹ à pituita facti, quarū altera est exquisiti scirrhi, in quo nullus in parte sensus adest: altera vero scirrhi species est illius, qui adhuc sensum in parte retinet ac dolorem aliquem habet.

Notandum est autem, quod si loquamur de scirrho à materia melancholicā, licet Galenus ipsum diuidat, vt diximus, ego tamen sum dubius nūquid distingui debeat in exquisitum & non exquisitum: nunquam enim ego vidi nec vidisse fateor cancerosum tumorē absq; dolore ac punctione intercurrente, quoniam hæc certū significant adesse scirrhum cancerosum. Sed si vellemus distinguere, dico quod possemus dicere, scirrhū cancerosum exquisitū esse illum, qui fit à melancholico succo benigniori ac fœculēta materia pura benigna ac sine calore, qui potest ita impingi in parte, vt non sentiatur ab ipsa. dico autem sine calore, quoniam omnis atra bilis per adustionem, licet frigida sit, partes tamen calidas & acres habet, ratione quarum fit erosio & sensus seruatur, quare atra bilis exusta nunquam faciet scirrhum exquisitum ac sine dolore. Materia autem scirrhos faciens per transmutationem semper fere ipsos exquisitos facit, vt cum ex erysipelate vel inflammatione fiunt scirrhi.

Compositi scirrhi. Compositi autem scirrhi vel fiunt à pituita pura vel à melancholia, vel ab horū vtroq; mixto vel cum sanguine vel cum bile flaua vel cum pituita dulci ac tenui, vnde fiunt scirrhi compositi exquisiti & non exquisiti. & ita saluatur definitio Galeni etiam in scirrho canceroso, in quo non est exquisitus ac continuus dolor: at si dicatis, quod scirrhus dicitur, quia tumor durus sit, & in eo nō adsit dolor perpetuus, sed per vices quasdam intercurrēs, vnde non dolorosus dici possit. Habemus præterea scirrhos compositos & factos per refrigerationem. Quare colligitur, scirrhū aut ex pituita esse viscida ac cruda resiccata vel à pituita vitrea: & hunc esse vel exquisitum vel non exquisitum aut ex melancholia etiam, qui cancerosus est, quiq; vt plurimum exquisitus non est: raro enim exquisitus est, quoniam semper dolorem adiunctum habet; quoniam exquisitus est scirrhus, qui dolorem non habet; nō exquisitus vero qui dolorem habet. Scirrhum præterea ex transmutatione dari ex materia mixta simul & variā iuxta varietatē humorū, ex quibus fit & compositus est, quoniam sępe materia pituitosa cum atra bile miscetur, & facit scirrhum. Vnde sciendum est, q; tunc si pituita est in maiori copia fit scirrhus œdematosus, si autem atra bilis copiosior est, fit cancerosus scirrhus.

Dubitatio an à pituita mixta cum melancholia fiat scirrhus. Sed hic etiam dubitatur, quomodo mixta pituita cum melancholia faciat scirrhum, cum inter se sint contraria; nam pituita est mollis, melancholia vero dura, vnde proprietas œdematis, q; fit ex pituita, est mollities; scirrhi vero, qui fit à melancholia, durities: ad hoc respondeo, q; quando Gal. dicit, quod pituita admisceatur, intelligendum est, quod illa pituita est tenax & crassa, sed hæc tertia species secundum placita Galeni non est admittēda, vt supra diximus, quia cum scirrhus semper sit durus, non potest dici œdema, cum pituita non possit cum melancholia inuicem misceri.

Signa

Signa autem ſcirrhi pituitoſi ac veri ſunt primum color cutis non immutatus in par- *Signa.* te reliqua: & ratio eſt, quoniam hic ſcirrhus ſolet vt plurimum oriri circa chordas, neruos, perioſtia & ligamenta: raro autem in cute: vnde non eſt mirum, quod cutis proprium ſeruet colorem. Secundum ſignum ſumitur à loco, quoniam oriuntur ſcirrhi circa viſcera & circa partes neruoſas, in quibus raro accidit tumor, qui ſcirrhus non ſit. Tertium eſt durities tactui renitens, & ſcirrhus exquiſitus ille eſt, in quo ſenſus ablatus eſt neq; etiam ex compreſſione dolor excitatur, nec fit fouea. Ex recentioribus autem eſt aduertendum, quod duo tantum proponuntur ſigna, durities ſcil. & priuatio doloris, quæ ſunt vere inſeparabilia ſigna ſcirrhi: vnde ſi ad compreſſionem ſcirrhi cum digitis ſenſus non adeſt, tunc ille ſcirrhus eſt confirmatus. non exquiſiti autem ſcirrhi ſignum eſt dolor aliquis, quod ſignum ſæpe apparet, præcipue in liene.

Cognitis his ſciendum eſt, quod ad præſagium, quod in exquiſito ſcirrho & confirmato non eſt ſuſcipienda curatio, quoniã talis ſcirrhus eam non recipit, & præcipue cum *Præſagium.* accidit circa articulos, vt circa genua & talos & alias iunctuтas: vnde talium curatio eſt relinquenda: nec debet Medicus ipſius prouinciam ſuſcipere. Si vero ſcirrhus non ſit exquiſitus, nec declinet ad cancrum, difficilis eſt curatio, quoniam in materia primum reſiccata, deinde in parte impacta frigida timenda eſt longitudo ac difficultas morbi. At ſi declinet ad cancrum, non eſt tentanda curatio, niſi dolor vrgeat: quoniam ſi ſunt cancri occulti, quos melius eſt non curare teſte Hippoc. in aph. præcipue circa partem affectam, in reliquis vero aliqua poſſumus exhibere. Vnde in ſcirrhis, qui habent ſenſum, loquendo de ſcirrho non canceroſo, non eſt deſperandum, quoniam quandoq; curantur: vnde non eſt prætermittenda curatio. Et tales duplici modo curantur, vel per reſolutionem ſcil. vel per maturationem aut concoctionem, vel abſceſſum.

Aduertendum eſt tamen, quod ſemper debemus prius tentare reſolutionem, quam maturationem, & ratio eſt, quia ſcirrhi tranſeuntes in abſceſſus, raro euadunt, quin tranſeant in fiſtulam.

In ſcirrhi autem curatione eoſdem tres ſcopos ſeruare debemus eademque capita, *Curatio.* quæ ſeruanda eſſe diximus in aliis tumoribus: & primo debent omnia attenuare & ſubtiliare. Aer itaque eſt attenuandus ac ſubtiliandus pro poſſe, quia multum confert, quod poſſunt teſtari ii, qui Piſis degunt, quorum plurimi corripiuntur ſcirrhis internis propter aerem & aquam.

Cibaria bona ſint, coctu facilia ac boni ſucci: craſſa fugiantur ac pituitoſa, fugiantur etiam omnia olerum genera, caſeus ac cetera pituitam multiplicantia, præcipue braſſica, legumina omnia & carnes bubulæ: vnde eligendæ ſunt carnes auicularum montanarum, vituli & ſimilium.

Conuenit etiam vinum purum ac potens, niſi ſcirrhus fiat ex aduſtione, quoniam tunc vinum eſt diluendum aqua.

Exercitiorum habenda quoq; ratio eſt, & motus conueniunt, & præſtans eſt motus, niſi pars læſa afficiatur; ſit tamen ita moderatus, vt non ſit coniunctus cum ſudore maximo ac ſpirituum diſſipatione: quicquid autem extenuat ſine reſiccatione, præſtantiſſimum eſt. Somnus moderatus ſit. Excrementorum quoque habenda cura eſt, aluum lubricando ac leniendo aut clyſteri aut aliquo conſimili alternis ſaltem diebus. Venus animique perturbationes fugiantur: Venus enim inimiciſſima eſt huic morbo, quia refrigerat partes ac pituitam generat.

De Purgatione totius & tractatione loci affecti in ſcirrho. CAP. II.

QVo autem ad ſecundum caput, quod verſatur circa habitum totius corporis, conſiderandum eſt, cum peccet humor craſſus, an ſit exuſtus, an nõ exuſtus: vnde Auicennas vult, quod quando venæ exuberat, mittatur ſanguis, & optime ſuccedit & rationabiliter, quoniam cum humor hic non poſſit niſi difficulter præparari, debemus humores minuere ſectione venæ, dummodo cætera indicantia concurrant, & potiſſimum ætas & virtus. Sed notandum, quod multi in venæ ſectione confundentes curationem ſcirrhi canceroſi *Notandum circa venæ ſectionem.* cum hoc errant: ſed quando loquimur de ſcirrho non exquiſito à pituita, non eſt ſecanda vena, niſi adſit plenitudo vel inflammatio cum ſcirrho.

Cum autẽ neceſſaria ſit expurgatio per euacuantia materiã pituitoſam, leniatur prius *Attenuantia materiã pituitoſam.* aluus cõmuni lenitione, deinde attenuetur ac præparetur materia cum potentiſſimis, non tamen nimis exiccantibus, quæ maxime attenuant. Sic itaque pro attenuatione vtemini ſem. fœniculi aniſorum, pulegio, origano, calamentho ac hyſſopo: acetum autẽ ſcillíticũ

Notandum circa vsum simplicium exiccantiũ. omnia superat & mel quomodocunq; administratum. Sed dubitatur in exhibitione horũ simplicium, quoniam cum materia crassa sit, resiecata ac assata, pars eius quidem attenuabitur, sed alia magis assabitur & magis incrassabitur, quare hæc exhibeatur cum aliquo retundente vim eorum exiccantem; vt si coquatis cum his borraginem, liquiritiam, semina fœnugræci, melonum & cucurbitarum. Vnde ego quasi semper mãdo, vt fiant decocta in iure carnium ad humectationem & præparo materiam ac humorem ipsum pituitosum cũ syr. de betonica, Regis sabor, de fumaria cũ decoctione melissæ, borraginis, fumariæ & similium in iure carnium, addendo cochlearia duo vel tria dictorum syruporum.

Præparatis humoribus sunt euacuãdi cũ cortice ellebori nigri infuso in sero: aut myrobalanis vtor cũ electuario in dosi maiori cũ sena, lapidib. lazuli & armeno. Sed ego vtor *Pilularum fœtidarum vsus.* istis lapidib. lotis, vt iubet Trallianus, nouies. conuenit etiã cõfectio hamech. Sed quamuis multa sint pituitam educentia, duo tamen tantum ego familiaria habui semper, pilulas fœtidas, quæ ratione gummi contentorum maxime euacuãt etiam à remotis partibus, ac vim habent detergendi neruos. Alterum vero medicamentũ, quo vtor pro euacuatione huius *Pil. de hermodactylis.* materiæ sunt pilulæ de hermodactylis, quæ etiam ratione ipsorum gummi, colocynthidis & hermodactylorum iuuant maxime: & si opus sit repetita fiat euacuatio.

Facta euacuatione totius deueniendum est ad locum affectũ, circa cuius tractationẽ *Loci affecti tractatio.* materia crassa ac impacta emollienda est, vt facilius euacuari ac resolui possit, quoniã eget euacuatione propter tumorem; & euacuatio debet esse insensibilis, vnde fit medicamentis calidis & siccis. Sed dubium est nunquid conueniant calida & exiccãtia, ne reddatur morbus incurabilis, nec etiam videntur humectantia conuenire, quoniam talia augent fluxio*Qualia medicamenta requirat scirrhus.* nem agendo humorem peccantem. quid ergo agendum? Galen. nos docet, vt agamus eo modo, quo agit sol in rebus liquabilibus: nam cera apposita soli sensim liquefit, vnde si emollientia id faciunt, faciunt non caliditate sed mollitie sua tantum: vnde calida debẽt esse medicamenta in actiuis, temperata vero in passiuis, quæ à Gal. proprie malactica dicuntur & emollientia, de quibus Galenus agit in lib. 7. de compos. med. per gener. circa prin. & in lib. 5. de simpl. quare calida actu & potentia non conueniunt nec per se iuuant; nisi calida sint actu & potentia cum substantia humida.

Horum autem medicamentorũ triplex est genus; & in primo sunt medullæ, pinguedines & mucilagines inter medullas autem principatum obtinet ceruina & vitulina, quæ *Adipes,* calida est & humida. Inter adipes principatum habet adeps leoninus, cuius loco possumus vti anserino aut vrsino: possumus etiam vti adipe anatis, gallinæ, tauri, capræ & hirci; & hi sunt gradus caliditatis in modo procedendi: verum hi tres vltimi non ita emolliunt, quoniam sicciores sunt. Sed notandum est, quod cum proposuerim adipem leoninum & vrsinum, his maximo cum successu testor me pluries vsum fuisse: & in horum numero continetur etiam adeps pardalinus. Præterea adeps Taximelis dicti à Plinio, & etiam adeps anguillæ, qui potentissimus est in emolliendo: præterea adeps Themali piscis, qui maxime *Olea. Gummi.* etiam penetrat. Inter olea sunt oleum ex cera, ex thure, ex vitellis ouorum. Inter gummi est bdellium ac mastiche oleo dissoluta ac etiam thus oleo dissolutum: hæc enim per se ita nõ *Mucilagines.* valent: similiter ammoniacum, styrax alba & calamita dicta &c. Inter mucilagines autem ex seminibus vt fœnu græci, & lini; ex radicibus autem, vt altheæ vel eius seminibus, ex quibus omnib. varia cõponi possunt: nã primo decocta confici possunt, in quibus pars scirrho *Balneum.* affecta imponatur hoc modo; accipiendo sem. lini, fœnugr. fol. malu. rad. alth. & hæc coquendo cum capite veruecis in multa quantitate aquæ faciendo balneum, in quo tumidã partem æger detineat, vel accipiatis horum decoctum & pauco odorato vino addito fiat *Notandum circa fomẽta & balnea. Facientia ad penetrationem.* fomentum cum spongia. Notandum autem est ex Galeni monitis, quod vel sint fomenta vel balnea, semper aliquid cum emollientibus miscendũ est faciens ad penetrationẽ. quoniam emollientia vt plurimum indigent aliquo penetrãte, vt sunt rad. cyclaminis vel brioniæ albæ aut nigræ vel cucumeris asini in parua tamen copia, vel his deficientibus deuenimus ad semina acria, vt fœniculi, anisorum & huiusmodi. Si vero pinguedinem admisceatis, imponatis oleum resolutorium ad penetrationẽ, vel decoquatis in pauco aceto illa medicamenta dicta. Vnde Galenus monet, vt infundamus partem affectam in oleo anodyno, imo potius in oleo antiquo & rãcido, postea inungamus partem pinguedinibus, postea addimus gummi illa, donec locus reddatur mollior, vt est galbanũ, bdelliũ, ammoniacũ, ma*Facta emollitione quid agendum.* stice ægyptiaca & huiusmodi mixta cũ superiorib. Cum v. nobis indicatur quod materia sit digesta, imo facta emollitione aliqua, licet nõ appareat, materię euacuatio p discutientia fiat, vnde Gal. dissoluebat ammonicum cum aceto & superponebat scirrho: vel vtamini oleo *Resoluẽtia.* resolutorio in lib. 14. meth. cap. 5. descripto partem inungendo; postea vtamini diachylone cum gummis, quia conuenit optime. Quod si non succedit, debemus denuo ad emolliẽtia reuer-

reuerti & illis per interualla vti ne materia, cum sit rebellis, indurescat; nam talis materia nō potest vnica vice euacuari & resolui. Ego vero vtor medicamento Galeni ex lapide pyritide, qui sulphurarius, est ipsum calefaciendo, imo etiam igniendo ter & quater, & ignitum ipsum proiiciendo in acetum, & sic super illud acetum partem detinendo affectam, vt vaporem inde eleuatum suscipiat locum suffumigando, quia materiam istam attenuat ac discutit. deinde fiat ceratum ex ammoniaco infuso in aceto & superponatur, vel fiat ceratum ex lapide pyritide, quod diapyrites dicitur, quo ego vtor etiam in scrophulis optimo cum successu, sed non apertis. Galenus autem lib. 7. de comp. med. per gen. multa ad hanc materiam conferentia proponit, sed cerato illo ex pyritide vsus sum persæpe & vidi mire succedere pro resolutione vltra concoctionē in maximis tumoribus, nō dicam durissimis sed valde duris. Et quoniā mentionē feci iam de scrophulis, notandū est, quod semper in scrophulis apertio est fugiēda, imo resolutio tenenda, q mihi sæpe successit à principio cū mollitiuis supra narratis, postea cum suffumigiis ex lapide pyritide, & etiā cum emplastro eiusdem lapidis; vel eius loco admiscemus lapidē puluerisatum cum diachylone cum gummis. Quarto loco quo ad scirrhosam partem medicamenta applicentur ex alto ducentia ac discutientia, vt si vtamur cerino emplastro vel oxycroceo solo cum emplastro sacro. Paulus autem facit medicamentū ex sandaraca Gręcorum, quo etiam ego vtor in omni scirrho feliciter. Sed aduertendū est, q cum vsum attenuantiū per tres dies continuaueritis, iterum p quinque & sex dies vtendū sit emollientibus, deinde vero iterū resoluentibus, & sic vicibus cōmutatis, vt supra etiā dixi, & vt habetur ex li. 3. de compos. med. per gen. & li. 7. de comp. med. sec. loc. ita tamen vt maius spatiū sit, in quo emollientibus vtimini; nā hoc modo scirrhi etiā durissimi superantur. Notandū est etiam, q per interna succedit emollitio & euacuatio huius materiæ; vnde ego quędā propria habeo familiariaq; medicamēta, quibus vsus sum, à nemine in hoc casu posita, inter quę primum est salsa parilla, q̄ sępe tophos maximos discussit ac fere lapideos & saxeos. secundū medicamentum est decoctū guaiaci, q tamen non ita bene succedit, vt salsa, nisi in tumoribus gallicis. Tertiū est radix rusci & asparagorum siccata & in puluerē exhibita quotidie cum melle vel maluatico vino p 40 dies. Quarto in loco habeo duo valida discutientia, quorum primū est lachryma terebinthi cyprij vel lachrima nostræ terebinthinæ, quæ est resina laricina nostra; Secundū vero est ammoniaci lachryma, quā cum styrace sæpe solitus sum exhibere. Ad scirrhos vero hepatis & lienis nunquā ego adinueni melius medicamentū chalybe, si ipsius limatura maceretur in vino, vel extinguatur ferrum ignitum in vino, ita vt fiat chalybeatum. & hæc de pituitosis scirrhis satis sint dicta.

Suffumigiū ex lapide pyritide.

Monita quadam de scrophulis.

Emollitio & resolutio per interna. Medicamenta propria.

Ad scirrhos hepatis & lienis.

De Cancro quo ad varia eius nomina, definitionem, differentias, signa, causas & prognosticum. CAP. III.

SCirrhus autē melancholicus dicitur à succo crasso & melancholico, qui de genere cancrorum est, & dicitur à Græcis καρκίνος vel καρκίνωμα, à nostris vero cancer à similitudine cancri fluuiatilis vel marini, quia habet venas circumquaque dispositas tumentes, vt sunt pedes cancri; ratione cuius similitudinis καρκίνωμα dictus est ex libro decimo meth. capitulo secundo, & ex libro secundo ad Glauc. capit. 10. & ab Auic. fen 3. libro quarto capite propr. & à Paulo & Aetio vocatur cancer, quia locum ita arripit quandoque, vt inde diuelli minime possit sine partis corruptione ac mortis periculo, quod propriū est cancri fluuiatilis, cum chelis suis aliquid arripuit. Tertio dicitur cancer ab Aetio lib. 13. c. 46. vel lib. 16. ca. 43. quia asper ac durus tumor est, vt est verus cancer ille gammarus dictus, qui testam inęqualem, duram ac asperam habet.

Nomina eorumq; ratio.

Cancrorum autem duo sunt genera ex sect. 6. aph. 38. vbi Hippocrates monet, vt occulti cancri curationem dimittamus. Gal. enim ibi distinguit cancrum in occultum & manifestum. Occulta autē ea genera morborum dicuntur, quorū vel locus affectus vel causa ignoratur, vel quia oriatur in partibus abditis: & hoc tertio modo cancer dicitur occultus. Aetius vero lib. 16. c. 43. partes has abditas esse dicit, intestina s. vētriculum, lienem, hepar, palatum, sinū muliebrem, vterum ac viscera omnia.

Diuisio cancri ex Galeno.

Occulti morbi ponet qua sita dicātur.

Partes occulta.

Sed cancer dupliciter occultus dicitur; vel scil. quia sit in parte intima ac abdita; vel quia licet sit in parte manifesta & extima, non sit tamen vlceratus, vt si sit in glandula mammillæ, non tamen vlceratus, quia tunc cute tegitur, ideo occultus dicitur. Sic etiam dupliciter manifestus dicitur, vel scilicet quia sit in extima parte, vel quia sit vlceratus; vnde colligendum est cancrum posse esse & occultum & manifestum simul. Si enim sit cancer in viscere vlceratus, erit occultus, quia in parte abdita est; erit autem manifestus,

Cancer dupliciter occultus dicitur.

quia est vlceratus: sic si in mammilla sit non vlceratus vel etiam potest esse omnibus modis occultus, vt si sit in abdita parte & non vlceratus; & etiā potest esse omnibus modis manifestus, vt si in mammilla vlceratus. distinguitur etiam cancer ratione materiæ, quoniam *Quæcunque atra bilis facit tumorē cancrosum.* cum atra bilis multiplex sit, quamuis quæcunque bilis faciat tumorem cancrosum, tamē non sunt omnes vnius generis, quoniam alii benigniores sunt, alii maligniores. Si enim fiat ex atra bile, quæ est succus melancholicus, siue fæx sanguinis, tūc benignus erit: si vero fiat ab atra bile seu à melancholia atra bile proprie dicta ac exusta, erit malignus: si verò à melancholia refrigerata, benignus.

Præterea si commisceatur pituita cum aliqua istarum, retunditur earum malignitas, vnde benignior fit. Quare possunt distingui tumores cancerosi, siue vlcerati sint siue non, in benignos ac malignos. In benignis autē nulla sunt sæua symptomata, & nisi irritentur tumores isti, non valde homines afficiunt, quia non adest dolor; vel si adest, paruus est, & ita quandoq; vlcerati sunt benigni, & adeo benigni vt p multos annos durent absq; multa noxa; quandoq; enim per duodecim & plures annos durant: omnes tamen maligni sunt, sed aliqui magis, aliqui minus.

Cancri benigni signa. Benignus autem cancer pro signis primum habet colorem nigrum vel liuidum ratione humoris peccantis, qui est succus atrabilaris: secūdo nullus adest calor ad tactū aut Medici aut ad ægri sensum: imo quandoq; potius refrigeratio aliqua sentitur, quia vel à materia melancholica, vel à pituita fit, quæ sunt frigidæ. tertio venæ apparent circumquaq; subnigræ tumentes non multum. Notandū est autem, & hoc quæso obseruetis, meū enim est, *Notandum circa venas cancrorum.* quod scil. licet venæ hæ ab omnibus pro signo ponantur, non sunt tamen signum certum, quia ex centum cancris quatuor non habent ipsas, & si reperiuntur hæ, maximè patent, quando potissimū sunt in mammillis hi tumores. Sed magis fidendum est duritiei ac materię efficienti, quoniam si cognoscetis materiam atrabilarem ac duritiē, certo pronuncietis cancrum, licet non adsint symptomata sæua, quia potest esse cancer benignus. Hæc autem materia cognoscitur à colore loci subnigro ac liuido: & si etiam adest durities, pathognomonicū fit signū. Præterea cognoscitur ex pcedētibus, vt ex victus ratione pgressa vel *Signa maligni.* ex aliqua suppressā euacuatione vel ex habitu corporis. Signa autem maligni cancri sunt primum tumor ingens ac durus. magni enim tumores nunquam mites sunt. Secundum signū est, quod visu videtur vnus tumor, tactu vero videtur alius: visui enim cutis perlucida est ac mollis apparet, tactui vero omnia dura sunt: vlcerationem enim hęc indicant ac partis corruptionem. Tertium signum est inæqualitas tumoris, cum enim tumor rotundus est, paruus, æqualis, læuis ac sine symptomatibus, benignus est, at inæqualitas certum est signum malignitatis, licet nec dolor adsit. Quartū signū est, si pertinaciter hæret radicibus late extensis: duplex enim est cancer, auulsus scil. & non auulsus siue hærens: auulsi cancri sunt illi, qui si manu colligantur ac dimoueantur, non sentiūtur hærere partibus subiectis, & inter hærentes nullus fere sanatur, inter auulsos autem aliqui tollūtur. Hærentes enim *Cur malignus cancer dicatur noli me tangere.* quandoq; sunt ossibus & musculis ligati, & ideo in his sanitas sperari non debet. Quintū signum sunt venæ exprimentes pedē cancrorū turgidæ ac varicosæ, & hoc distinguo pluribus signis, quia cancer malignus ab istis dicitur noli me tangere: quoniam si suscipiatur eius curatio, cum ipso cancro homo etiā interficitur, quare maligni nunq̄ suscipiendum est onus, si mali Medici nomen subire nolis. Sextum signū est color subcineritius cum quodā nigrore addito ac etiam splēdore quodam in superficie. Septimum signum est dolor pungitiuus: referunt enim ægri se sentire veluti gladium acutum vel clauum percurrentē per tumorem, quod prouenit à vapore acri maligno ex materia melancholica orto, quæ incipit putrescere. Hæ autem puncturæ indicant etiam cancrū in partibus intimis. Octauum signum est calor aliquis ab ægro vel Medico perceptus ad tactum acris ac pungens, quod signum est maximæ malignitatis. Si verò cum canceroso tumore coniungatur inflāmatio vel erysipelas, fit malignus ac maxime perniciosus.

Causæ efficientes cancri. Causæ autem cancri efficientes sunt fluxio humoris atrabilaris, quoniā solum in hepate ac liene per congestionem potest fieri tumor hic, quoniam ibi generatur hic humor. Reliqua autem omnia loca si cancrum patiantur, patiuntur ex fluxione: fluxio vero fit vel à robore transmittentis, vel à quantitate materiæ vel ab acredine ipsius stimulante: causa *Cibaria cācrum facientia.* vero attractionis est imbecillitas partis vel dolor vel calor: huius autem fluxionis causa est cacochymia, quæ fit ex malo victu, vt ex lentibus, rapis, oleribus, carnib. vaccinis, asininis, ac bubulis, raphanis, cochleis, salsamentis ex omnibus acribus, vel etiam ex suppressa euacuatione aliqua consueta, vel ex varicibus suppressis quę prius disrumpi solebant, vel etiam *Causa materialis.* causa cacochymię ex lib. 2. ad Glauc. cap. 10. est calidus aer & siccus.

Materialis vero causa cancerosi tumoris est atrabilaris succus, qui est aut humor melancho-

lancholicus & fæx mitis, ex qua etiam mitis fit cancer, vel est atrabilaris materia vera & adusta, quæ cum maligna sit, ex ea etiam maligni fiunt cancri; vel est atra bilis cum pituita mixta, & est benigna materia, ex qua fit cancer mitis: vel est admixta atra bilis cum sanguine, & tunc fit cancer phlegmonodes: vel cum bile est admixta, & fit erysipelatosus, & istę omnes materiæ vel sunt cũ putredine vel sine. Si putrescit materia, facit cancrũ vlceratum: nulla enim alia est causa vlceris, quam putredo, ad quã necessario sequitur vlcus, vt patet in bile flaua delata ad corium in ictero & in congestione melancholiæ in liene vel ventriculo; quæ materiæ nisi putrescant, non faciunt vlcus, vt præterea patet in euomentibus bilem vltam & acidam, quæ etsi detineatur in corpore non erodit, quia non iam putrefacta est, & sic pituita. *Causa vlcerationis.*

Omnes autem cancri occulti, id est, non vlcerati in partibus externis, si benigni sint, indicant spem & sanitatem, vel mitigationem saltem per medicamenta vel per manuum applicationem, vel saltem promittunt prolongationem vitæ sine noxa. In occultis vero ac malignis, quamuis extrinseci sint, pauca est spes, & si adest aliqua, est in sola excisione tumidæ partis. Cancri autem occulti in intimis partibus non sunt curandi, quoniam impossibile est vt sanentur, neq; etiam sunt irritandi, sed demulcendi ac leniendi tantum: testor enim ego, me vnum tantum sanasse in palato, qui etiam paruus erat. Cancri vlcerati idem indicant, quoniam benigniores, & aucti indicant aliquam spem in resectione, non autem in medicamentis: si vero sint in partibus intimis, nulla est spes. *Cancri occulti externi benigni præsagium.*

De Curatione cancri. CAP. IV

CVratio Cancri tribus capitibus continetur; primo in recta victus ratione; secundo in medicamẽtorum exhibitione; tertio in tractatione loci affecti. Quo itaq; ad primum, eligatur locus, in quo sit bonus aer, bona aqua ac boni cibi: aliqua enim loca sunt fouentia cancros, vt est Pisanus aer quia siccus est. Motus opportunus eligatur; somnus moderatus sit; animi angustiæ abigantur, quoniam hæ solæ quandoq; inducunt cancros; aluus semper leniatur per clysteres fæces saltem educentes. Victus tenuis sit quantitate, sed qualitate humectans ac refrigerans, non attenuans, vnde carnes mollissimę esse debent ac oua etiam conueniunt & ex lacte omnia præter caseum vetustum. Olera optima sunt, maluarum folia in iure cocta, fructus refrigerantes & humectãtes, vt sunt cerasia, pepones & persica in moderata tamen copia, ne ex succo illo fiat feruor ac putredo: panis sit parum salitus, vinum dilutissimum sit vel aqua vtatur, caueat ab aceto maxime, quoniam ex 3. de rat. vict. in acut. acetum magis fermentat atram bilem adustam; quare non exhibeantur acetaria, vel si admittantur, fiant cum aceto miti & aqua diluto cũ saccharo & passulis, quoniam acetum facillime diffunditur per habitum totius corporis, vnde penetrãs ad partem cancrosam illam stimulat, & inde dolores augentur. Idem etiam dicatur de omnibus acidis, vt cerasis acidis, moris nigris & similibus; & hæc quoad victum. *Aer.* *Motus.* *Victus.*

Non est tamen abstinendum à medicamentis recipientibus acetum in parandis humoribus melancholicis, vt est syr. acetosus & oxymel. Loquitur enim Hippocrates de cibis in magna copia, vnde exhibeatur syrupus cum ℥. ß. oxymellis, quoniam parua erit quãtitas aceti.

Omnes autem probant sectionem venæ, viribus tamen consentientibus etiam absente plenitudine, quoniam primo morbus magnus est quia magnos effectus edit; secundo raro fit, quin sanguis ater in venis non abundet, quare secanda est vena, vt crasso ac malo sanguine remoto, frigidiori ac mediocri impleantur; tertio vt obstructiones tollãtur. Vt autẽ fiat perspiratio totius corporis mittatur sanguis à loco opportuno & in quantitate debita. semper n. in cancro necessario sunt extrema venarũ obstructa aut constipata orificia. *Vena sectio.*

Secta autem vena si suppressa sit aliqua euacuatio consueta, prouocetur: vt si hæmorrhoides sint suppressę, apponantur hirudines, si turgeant hæmorrhoides: si vero non sint turgidæ, fricentur primo cum linteo aspero vel folio ficus recenti, vt aperiantur; non enim hoc fieri debet tunc per hirudines. Si autem suppressi sint menses, menstrua prouocentur, si ætas consentiat. *Prouocatio hæmorrhoidarum quomodo fiat.*

Facta hac euacuatione humores præparentur per attenuantia, incidentia ac etiã discutientia vt acetum & oxymel, aliquid tamen semper humectans admiscendo, vt passulas, decocta liquiritiæ & huiusmodi, syrupos de pomis, & de fumaria. *Præparatio tumorum.*

Præparata materia fiat euacuatio per hieram Galeni descriptã ab Actuario & Aetio, quæ constat ex triginta duobus medicamentis: cochię pilulæ cũ veratro optimæ sunt, vt & confectio hamech. Gal. autem exhibet epithymi ℥. ß. cũ sero lactis caprini. præterea folia

Vini chalybeati vſus. *Medicamenta diſcutientia per interius.* *Antidota qua ratione agant.* *Agentia ſua natura.* *Quales cancri fluuiatiles conueniant.* *Familiare Fallop.* *Virga aurea duplex.* *Expurgationis vis in cancris.*

ſenæ cocta cum epithymo in ſero lactis. Aliqui autem vtuntur vino chalybeato, quod humores melancholicos feliciter educit: & præcipue à liene & hepate. Facta euacuatione deueniendum eſt ad medicamenta diſcutientia, inter quæ primo ſunt illa ab antiquis propoſita, vt theriaca, trociſci viperini, ſales theriacales, quibus vtebantur puris, quia valde diſcutiunt: at ego ſoleo hæc exhibere in hoc caſu cum ſucco borraginato vel roſato vel violato, quibus caliditas eorum contemperatur, & tamen diſcuſſio non retunditur neque aufertur. Præterea antidotum ex ſanguinibus præſtans eſt; antidota autem maxime faciũt ratione viperarum ingredientium in ipſa, quæ maxime diſcutiunt. Quæ vero ſua natura agunt in cancrum, ſunt cancri fluuiatiles cocti in lacte vel caprino vel aſinino, ita vt bibatur lac illud, ac etiam cancri vna cum lacte ſumantur, quoniam ventrem ſoluunt ac viſcera roborant, decoctum autem poteſt fieri in ſero lactis vel aqua. Aduertendum eſt autem, quod per cancros non ſint intelligendi cancri illi, qui dicuntur vulgo gammari, ſed intelligendi ſunt teneriores, vt ſunt marini rotundiores, qui pręcipue habentur in Hetruria ac Marchia Anconitana, nec ſunt in vſu, niſi apud pauperes, quoniam guſtui ſunt valde ſuaues. Aliqui vero hos comburunt ac puluerem eorum cum melle miſcent electuarium facientes. Ego autem experimento adinueni, aquam ſtillatitiam ex virga aurea mane exhibitam atque ſumptam ad quantitatem ℥iiij, omnia ſuperare, quia dolores mitigat & adeo diſcutit, vt nihil magis: ſed herbam iſtam accipio, dum flores habet, & deinde deſtillo: virga autẽ aurea eſt planta chymica & duplex: alia, quæ folia habet lata & ſubrubra, alia vero quæ ſarmẽtoſa eſt ac virgultoſa habens flores ſpicatos prorumpentes Iulio menſe & Auguſto, qua ego vtor, quoniam hanc veram virgam aureã eſſe cenſeo, & eſt optima. His peractis poſt aliquot dies iterum corpus per pharmacum expurgandum eſt, quoniam tanta eſt vis purgãtis medicamenti in cancris, vt Galenus lib. 2. ad Glauc. cap. 10. vel 11. dicat, ſe ſola expurgatione & victus ratione plurimos cancros incipientes ſanaſſe. Si autem cancer ex his nõ delitеſcat, quieſcendum eſt vſq; ad ver vel autumnum, quibus temporibus corpus expurgandum eſt quocunq; auxilio, quoniã ſic canceri benigni ſeruantur, ne ſaltẽ augeantur ac maligni fiant. Quandoq; vero ego dedi decoctum ſalſæ pariliæ & præcipue in cancris mãmillarum non vlceratis cum feliciſſimo ſucceſſu.

Poſt horum autem omnium adminiſtrationem deueniendum eſt ad loci affecti tractationem, circa quem quoniam plurima ſunt agenda & aduertenda, ideo in ſequenti capite omnia peragam exquiſitiſſime.

De Tractatione cancri quo ad locum affectum per medicamenta, & etiam per manualem operationem. CAP. V.

Qualia conueniant incipienti cancro. *Mediocria repellentia.* *Emplaſtrũ Falloppii.* *Linimẽtum Fallop.*

CIrca locum affectum ac canceroſum plurima quidem ſunt agenda ratione diuerſorũ temporum cancri, vnde Galenus in lib. 14. meth. cap. 4. in incipiente cancro vtitur repellentibus mediocribus, quoniam debilia nihil faciunt in materia craſſa: fortiſſima vero materiam magis indurant, vt diſcuti poſtea non poſſit: primum autem mediocre medicamentum ſunt ſucci roſarum, polygoni, plantaginis, endiuiæ, lactucæ, foliorum pap. albi: mucilagines ſem. pſyllii, ſem. cydon. & ſuccus ex radice ſymphyti expreſſus: hæc enim moderate repellunt, refrigerant ſcil. & adſtringunt, ſi his linteola madefiant & imponantur, vel micam panis madidam his ſuccis imponamus, vel accipiendo ol. roſ. vel ol. citon. vel ol. nenuphar. & cum medulla panis emplaſtrum fiat. Ego autem ſolitus ſum accipere carnem citoniorum coctam ſub prunis, & addito pane & oleis dictis vel farina hordei facio emplaſtrum: vel linimentum facio ex oleis dictis & ſuccis ductis in mortario plumbeo per duas horas, vt hoc modo: ℞ ſucci ſolani, ol. roſ. complet. an. ℥j. miſce & in mortario plumbeo per 1. vel 2. horas ducantur, & ſuperponatur tale linimentum in principio tumoris.

In augmento cancri qualia conueniant.

In augmento autem repellentibus admiſceantur diſcutientia, quæ ſunt ea medicamenta metallica, quæ diſcutiunt abſq; calefactione, id eſt, quę attenuant & ſiccant abſque calefactione, ne materia illa ferueat & tumor fiat malignus, imo malignior: vnde cũ emollientia calida ſint, his vti non poſſumus, quoniam etiam calefaceremus: quare cum cancer eſt in augmẽto, duę ſunt indicationes, diſcuſſio ſ. per exiccantia ſine calefactione & etiam repulſio: ſciendum eſt enim, quod licet ex his durior fiat tumor, tamen melius eſt affectum duriorem reddere ac minorem, quam tentare diſcuſſionem regiam & calefaciendo interficere. Medicamenta ergo metallica ſint, ſed exuſta ac optime lota, vt ſunt omnia genera cadmiæ: ſed cum nos habeamus tantum cadmiam foſſilem, quæ vulgo dicitur gelamina, quę effoditur in Bergomate agro, quo vtuntur illi ad tingendum æs album loronẽ dictum:

Cadmia duplex & quæ hic Vtenda sit. secundam cadmiam habemus factitiam ex Alexandria delatam, quæ thutia alexandrina dicitur: sed optima cadmia est illa, quæ ex Germania defertur, vbi sunt fodinæ æris. Præterea spodii genera omnia, quæ habentur ex agro Vicentino ac etiam ex aliis locis, vbi sunt fodinæ argenti & ferri; vel accipiatur spodium ex cadmia, cũ æs tingitur & lauetur optime: *Spodium.* *Pompholyx.* Præterea pompholyx quę Mediolani fit, vbi æs albũ conficitur, vel vbi fiunt bellica tormẽta siue artelariæ ipsæ; ibi enim copiosissima est pompholyx & laudabilior, quæ colligitur in cœlo illo ex fumo. Habetur etiam in officinis, vbi liquatur plumbum & argentum: sed ego in affectibus oculorum vtor illa ex Mediolano. *Biphriges.* Biphriges præterea probatur, per quam duo intelligimus, vel scil. sedimentum æris, vel lapidem pyritidem eliquatum & exustum, qui Vicentiæ copiosus habetur, & illo primo caremus. *Lithargyrum.* Est præterea omne genus lithargyri, vt est scoria plumbi, quæ dicitur vulgo ghetta, quæ habetur à figulinis ipsa vtentibus loco plumbi vsti ad vitrianda vasa, & est præstantissimum medicamentum. Est præterea lithargyrum aureum & argenteum in officinis. *Plumbum vstum.* Cerussa quin etiam optima est, æs vstũ cum sulphure, quod duplex est; vel per se, quod est album; vel cum sulphure, quod est nigrum & præstantius. *Squama.* Præterea omnes squamæ, vt argenti, æris & ferri, quæ omnia superat. Hæc autem metalla primo vtuntur, deinde ter vel abluantur, postea macerentur aqua rosacea sub sole caniculari vel vino; tertio aqua rosacea iterũ, vel vtamini diapompholyge; semper tamen continuatis euacuationibus. *De abscisione cancri.* Si vero tumor crescat, exulceretur ac sæuos dolores faciat, eradicandus est ac extirpandus; tunc enim spes non est amplius in medicamentis. Cum autẽ extirpatio possit vel caustico vel excisione fieri, posita est spes in abscisione. Sed aduertendum, ꝙ actio chirurgica laudatur tantum in manifestis cancris; in occultis enim *Qui cancri sectionem admittant.* ac internis omnino fugienda est manualis actio.

Præterea nõ omnis cancer externus hanc sectionem admittit, sed conditiones multæ requiruntur ad sectionem & auulsionem cancri faciendã: *Quot conditiones requirãtur in sectione cancri.* prima est, ꝙ sit vlceratus, vel saltem immineat vlceratio, aliter nunquam est tentanda. Secunda, quod sit auulsus, vel talis sit, vt vndequaque auelli possit: si enim vlcus habeat radices, non est tentanda dissectio, quoniam nihil efficitur: tertia, vt non sit nimis magnus, ne immineat in dissectione mortis periculum, cum vlcus maximum necessario fieri debeat in tali sectione: quarta, quod tale sit corpus, vt perferre possit actionem; si enim corpus delicatum sit, non conuenit: Quinta est, quod cancer sit in loco, in quo vasa non sint nimis magna, ne maxima fiat sanguinis fluxio ac mors sequatur. Sectio autem magis tuta est, quam vstio, quoniam per vstionem inducitur qualitas sicca consolidationem impediens, quod etiam per caustică medicamentum, vnde fit vlcus malignũ & iterum cancerosum. Quare ego ex præcepto Galeni libr. 14. meth. c. 10. ac omnib. Græcis laudo sectionem ipsam. *Sectio recentiorum reprobatur.* Recentiores autẽ in sectione semper relinquunt radicem cancri, quã postea ferro ignito exurunt & exiccant: sed hoc agendum non est, quoniã nisi adsit necessitas, nunquam ad vstionem veniendum est, vt facit Gal. qui necessitate coactus venas illas exurit vt sanguis sistatur.

Sectio itaq; melior est, quouiam minor est dolor excitatus ab ea, secundo qualitas mala sicca ex ipsa non introducitur vt ex vstione. *Sectio quomodo fieri debeat.* Sectio autem dupliciter fieri solet, primo *1 Modus.* secando cutim diductam in glandulis curandis ad folium myrthi; & hæc necessario ita fit, quoniam cutis ita super tumorem cancerosum extensa est, vt extracto tumore & glandula cutis fiat rugosa, neque vnquam consolidari possit; & ideo forcipe pars cutis secatur ad myrthi folium. *Quid post sectionem agendum.* Sectione hac facta apparet statim glandula cancerosa, & tunc sensim nouacula cutis scarificetur & separetur glandula cancerosa ab ipso cancro & etiam omnes membranas auferendo. Sed statim aperto loco digito perquirendum est, an remanserint glandulæ paucæ canceratæ, siue radices cancri, quoniam omnes sunt eradicandæ, quare fluxionem neq; timentes vsq; ad libras duas & ꝑquirẽdo an cancro magno adiaceat alius aliquis cancer paruus, membranæ omnes & glandulæ sunt extirpandę, imo sanguis à secto loco optime est exprimendus.

Glandulis ita excerptis & sanguine expresso ac fluxo ego soleo vti posca vel aqua frigida ad sanguinis suppressionem, nec inde discedo, nisi fuerit prius sanguis suppressus; nam statim oportet consuere cutim illam sectam, quoniam intumescit, ita vt nisi tunc consuatur, sequenti die consui non potest; sed si consuatur, non fit cicatrix deformis. *Consutio loci secti.* Consuto vero loco sectionem hanc tracto vt vulnera cruenta agglutinanda. & sic conseruationem cutis habeo.

2 Modus secandi. Secundo modo solet secari cancer in aliis partibus, vbi non cruatur turpitudo cicatricis, vt si fit in mammilla, per transuersum secamus nouacula corium & cancrum subiectum ac radices, quas prius omnes digito tentare opus est, deinde exprimere sanguinem etiam à remotis: eius fluxionem minime timentes vsque ad duas vel tres libras, habita ta-

men ratione virium, nam ex copiosissima sanguinis fluxione exoneratur maxime natura. Facta sectione, album oui imponitur & alia facientia ad sanguinis suppressionem, deinde deuenimus ad cicatrizantia, vt vnguentum de thutia vel magistrale vel non magistrale, vel ad diapompholygem.

Notandum circa sectionem mammillarum. Si ægri sint timidi in sectione. Vstio per medicamenta.

Ego autem vos monitos velim, quod nunquã deueniatis ad sectionem in mammillis plenis ac crassis, sed tantum in gracilibus: nam ego, vt verum fatear, tres hac sectione sanaui. Cum vero quandoque ægri secandi timidi sint nec velint secari, tunc ad vstionem veniendum est, quæ vnicum est remedium. Recentiores autem vrunt ferro ignito, sed est actio nimis dolorosa; vnde qui non tolerant sectionem, multo minus hanc tolerabũt vstionem, quare medicamentis potius fiat vstio quam ferro. Solent autem recentiores vrere per trocifcum de minio descriptum in tabella cauteriorum, impositum in cãcro prius perforato. Vsto autem ex toto cancro deueniunt ad escharotica; sed si cancer non sit vstus ex toto renouant ac replicant trociscum, vel etiam vtuntur trociscis à Ioanne de Vigo descriptis, & postea deueniunt ad escharæ casum. Alii facta exustione secant & casum escharæ procurant. Alii vero capiunt argentum sublimatum ol. amygd. dulc. emollitum, & in medio cancri imponunt, & hoc robustum est, neque mihi displicet, quoniam robustissima medicamenta conueniunt, vt capitellum, arsenicum crystallinum vel sublimatũ. Alii v. accipiunt arsenicum crystallinum & rubeum & æruginẽ æris an. partes æquales & terunt & cum axungia faciunt medicamentũ, quo vlcus explent. & hoc etiam ego quãdoq; vtor, quoniam dolores non facit ingentes sed tolerabiles & dantes inducias, quoniam substãtia tenue est, qua penetrat per totum cancrum, & si quid incõmodi habet, id est, quia percutrit per cancrum, cum sit liquidum medicamentum.

Vstio propria ex Falloppio per medicamenta.

Ego autem in vrendis cancris per medicamenta ita facio; si cancer est auulsus, ipsum laqueo excipio, cum tenui tamẽ filo circa radices cancri, deinde accipio causticum ex capitifico, vel ex alia materia & dissoluo, & ipso lata linamenta imbuo, vt est digitus minimus & impono circumquaque radicem cancri ligatum, deinde fascia tenuissima comprimo medicamentum super cutim, & per sex horas relinquo, donec scilicet exusserit, & hoc medicamentum non exurit cancrum sed radices tantum, quibus exustis cancer cessat & dolor rollitur; imo testor mihi semper successisse vstionem hanc: impono autem fasciam illam, vt si laqueus dirumperetur à caustico, adsit aliquid coarctans ac continens medicamẽtum super cancri radices. Loco autẽ capitelli quandoque imposui illud ex arsenico vel sublimato, quo imposito deinde oleum rosatum cum vino adstringenti super cancrum ponebam, ac relinquens etiam partes circumpositas. Facta vero vstione sensim ac sensim secabam sine dolore cutim exustam, semper tamen aliquid crustæ relinquẽs hærere parti sectæ. Sed notandum est, quod quandoque sed semper & nunquam hæc facta esse volui, quod non solum sanguinem per venam sectam brachii mittebam, sed per biduum ante sectionem copiosum sanguinem emittebam. Quibus actis maturationem crustæ tentabam ac eius casum & carnis generationem & vltimo loco sarcoticis frigidis cicatricem inducebam. Notandum autem est, quod qui passi sunt cancrum, ac secti sunt, nisi recta victus ratione vtantur, & bis in anno secetur ipsis vena, vel corpus expurgetur bis, incidunt iterum in cancrum saltem post duos vel tres annos, vel in eadem vel in alia patte; quare per tres vel quatuor annos bis in anno corpus purgetur, & saltem in vete vena secetur, aliter succedet recidiua. Sed aduertendum est, quod aliqua ego dereliqui in hac tractatione & curatione cancri ex memoriæ defectu: inter quæ primo est

Difficultas ex Hipp. an cancri curatio sit tentãda, necne.

quædam difficultas ex Hippocrate circa occultos cancros dicente ipsos curationem non admittere, imo si curentur, morti tradi ipsos ægtos, quare satisfaciendum est huic difficultati & autoritati. dicendum est itaque quod cum duplex sit genus occulti cancri, latens scilicet & non latens; latens quidem, vt in sede, palato, vulua, intestinis & huiusmodi dictis, quæ loca sunt inepta ad curationem per ignem, si ferro aut medicamentis cedere non velit cancer.

Præterea loca hæc plurimis sunt excrementis destinata, quæ impediunt curationem, quare de his intelligit Hippocrates. Cum vero dicit hos non debere curari, dicendum est, quod curatio duplex sit, altera locum affectum respiciens, altera vero pertinens ad causas fouentes; vnde non loquitur Hippocrates de curatione vniuersali ac pertinente ad causas fouentes, sed de curatione per locum affectum, quæ succedit: nam ego assero plurimos me vidisse ex his cancris vel sectione vel medicamento saltem mitiores factos esse; vnde intelligit ipse de eradicatione per ferrum vel ignẽ, sed palleatiua curatione ac tractatione. Circa vero sectionem venæ cum pauca dixerimus, dico modo, quod si vires non obstant vel cruditas, semper vena secetur non obseruantes rectitudinem aliquam partis, quoniam experi-

experimento ego obſeruaui pluries, ex ſectione venæ eiuſdem lateris in cancro ſtatim alios cancros ſuboriri, & etiam priorem peiorem fieri; quare nunquam ſeruetur rectitudo, ſed bene copioſiſſimus ſanguis mittatur. Circa præparationem autem notandum eſt, quod ſemper aliquid iuris ex carnibus vel liquiritiæ vel huiuſmodi humectantis imponendum ſit in præparantibus, ac ſiccitas maxima exiſtens retundatur ac tollatur.

Notandum circa ſectionem venæ brachii in cancro. *Notandum circa præparationem humorum.*

Circa euacuationem autem notandum etiam eſt, quod maximam ego reperi vim ad diſcutiendum cancrum in theriaca temperata & in trociſcis viperinis quotidie exhibitis ad ℈j. Præterea ſolitus ſum vti ſalibus theriacalibus in quibuſcunque cibis. Præterea vidi ſæpe vſum guaiaci non cõuenire vt aliqui volunt, imo obſeruaui peſſima cauſaſſe ſymptomata in cancro maligno, quoniã lignum illud videtur ex propria quadam natura cancrum irritare: quare nihil facit, etiam quod cum cancro adſit morbus gallicus. Quare vtor ego in tali caſu decocto ſalſæ parillæ, & huic maxime confido. Quod ſi forte non ſuccedit, deuenio ad decoctum radicis chinæ, quod miraculoſum in hoc caſu eſſe affirmo, & præcipue ſi cum cancro ſit morbus gallicus. Præterea eſt etiam aqua villeſis, qua quandoq; vius ſum & felici cum ſucceſſu. Circa locum autem affectum repellentia conueniũt, quoniam ſuppoſito cancro incipiente materia adhuc putrida non eſt, neque putreſcit, ideo tuto repelli poteſt. Symphytum autem conuenit pro repellente in principio cancri, intelligendo de ſymphyto priori aut minori dicto, quũ maius maximam habeat vim adſtringẽdi: diximus enim in cancro incipiente repellentia ac reprimẽtia mediocria conuenire; & ideo ſymph. maius non conuenit, cum nimis adſtringat, & ideo pro repellente vtor hoc. ℞ ol. roſ. vel citon. vel myrthini vel omnia hæc tria ſimul, deinde addatur pars lithargyri auri vel ceruſſæ lotæ & in mortario plumbeo per ſpatium duarum horarum emplaſtrum fiat infundendo ſemper aliquem ex dictis ibi ſuccis, vt ſolani, endiuiæ, nenupharis, plantaginis & huiuſmodi, donec linimenti conſiſtentiam acquirat. Quo autem ad metallica, quæ in augmento conueniunt, ſciẽdum eſt, quod lota optime eſſe debent, vt acredo eorum auferatur, vnde prius aceto acerrimo ſunt attenuanda, poſtea aqua limpida diebus canicularibus ſunt abluenda ita vt acredinem amittant. In ſtatu autem ſola diſcutientia conueniunt, quæ erunt metallica pura mixta cum aliquo oleo reſoluente, vt cum oleo reſolutorio vel cum aliqua pinguedine tenui ac rancida. Cum autẽ rariſſimi cancri ſanentur, hacq; ratione curentur, ideo oportet deuenire aut ad eradicationem ipſius aut ad palleationem.

Notandum circa euacuationem. *Cur ligni guaiaci decoctum non conueniat.* *Si cum cancro ſit morb. gallicus.* *Notandum circa metallica, vt acredinem amittant.* *In augmẽto.*

Notandum eſt autem, quod etiam cancri occulti palleari poſſint ac palleantur, quoniam quamuis non ſanentur, tamen non cruciant, vnde bis in anno expurgetur æger, vere ſ. & autumno valida expurgatione, & ſingulo etiam mẽſe aliquid expurgãs accipiat, vt ſerum vel lac caprinum, in quo infuſum ſit epithymum. Circa locum autem vtatur vnguento diapompholi dicto, quoniam dolorem lenit, ſiccat & repellit, vnde medicamentum eſt πολύχρηστον, quod eſt deſcriptum apud Aetium & etiã Dioſcoridem. Circa conditiones requiſitas ad ſectionem faciendam in cancro, tertiæ ibi dictæ ego addo, quod ſi ſit pro exemplo cancer in mammillarum radice, quia tunc ſumus prope thoracẽ nimis aut coſtas ſiue muſculos, non eſt tuta ſectio, neq; vſtio in tali caſu. Circa medicamẽnta autem imponenda ſuper locum affectum ego habui à quodam monacho ex ordine prædicatorum medicamẽtum mira faciens, ex duobus tantum conſtans medicamentis, quorum alterum eſt arſenicum cryſtallinum ſublimatum, cuius natura hæc eſt, vt applicitum parti, ſi ipſum linteolo applicetis, ita cuti adhæret, vt amplius auferri non poſſit, niſi etiam ſimul carnem à medicamento victam ſuppoſitam auferatis; vnde ratione huius ſigni deueni in cognitionem illius medicamenti, quod Monachus ipſe propalare nolebat: ſed cum vidit me cognouiſſe medicamentum ex hoc ſigno, manifeſtauit illud. Alterum medicamentum ingrediens eſt radix dracunculi Dioſcoridis ſiccata & in puluerem redacta, & cum arſenico illo mixta; & hoc pro maximo ſecreto vobis patefacio atque experientia pluries à me comprobato.

Circa palleationem cancri. *Circa locum affectum.* *Circa ſectionem.* *Circa medicamenta imponenda.* *Secretum ex duobus medicamentis compoſitum maximum.*

Sed ſi cancer fuerit integer & non exulceratus, ipſum ſcarifico cortice arundinis teneriori exteriori, poſtea medicamentum hoc impono: ſcarificatur autem cancer, vt hæreat medicamentum. Sed notandum eſt, quod ſi medicamentum hoc ſine moderatione applicetur & apponatur, nihil faciet: vnde ſi ſolum ponatur arſenicum, importunum & inutile erit, ſiue riſagallum, quoniam non penetrabit ad fundum: ſi vero puluerem ſolum imponatis, quamuis penetret ad fundum, tamen tantam vim non habet, vt poſſit cancrum auferre: ſed ſimul hæc mixta mirum in modum faciunt. Hæc autem volui dixiſſe & poſuiſſe additamenta pro ſupplemento curationis cancri, quę non fuere à me dicta in eius tractatione ex memoriæ defectu.

Notandum circa ſecretũ.

De Elephantiasi siue lepra, quo ad eius nomina, differentias & causas atq; signa. CAP. VI.

ELephantiasis erat ignota ante triumphum Pompeii Magni de Ægypto, in quo triumpho delatus est hic morbus & grassatus breui tempore, sed deinde superatus fuit & in exilium missus, post quem morbus gallicus successit, nunc vero reuiuiscit, non tamen est ita communis, vt erat tunc, quoniam xenodochia, quæ nunc morbo gallico sunt constituta, illi constituebantur. Vulgares hanc vocant lepram, vt etiam vocant interpretes Arabum.

Lepra duplex. Duplex autem est lepra, altera Arabum, altera vero Græcorum, de qua libro quinto de comp. med. sec. loc. agit Galenus, & Paulus libro quarto capite secundo & Aetius libro 13. cap. 134. & est species scabiei promens squamas & cortices, ne dum pustulas ac furfures, & lepra dicitur à squama, qua obducitur, quoniam membra crustosa fiunt, de qua non loquimur nos in hoc loco. *Vnde lepra dicatur.* Arabum vero lepra est illa, de qua loquimur, Græce autem dicitur ita, quia frequenter cancer iste mitigatus à medicamentis in lepram Græcorum inclinat: sed interpretes satis indocte morbum hunc lepram vocant; græce vero dicitur ἐλέφας, & differt ab elephante Arabum, quoniam Arabes per elephantem intelligunt tumorem scirrhosum ac diuturnum totius pedis & cruris: at ἐλέφας Græcorum de quo loquimur, est morbus totius corporis: vocatur etiam elephantias vel elephantiasis ex lib. 2. Meth. cap. 2. ob similitudinem cum elephante animali, quod maximum est. *Cur lepra vocetur elephantiasis.* Notas autem morbi huius cum elephante explicat Arethæus in 1. de caus. morb. primo, quia hic morbus est maior omnib. nam totum corpus inuadit, ac eius partes omnes intimas ac extimas organicas & similares: secundo leprosi sunt horribiles, quia tumores patiuntur per totum corpus inæquales, atros, concauos, pilisq; decidentibus in toto corpore, vt in elephante: tertio aures habent hirsutas ac sublatas vt elephantes. Vltimo hic morb. superat omnes alios in longitudine, sicuti elephas superat omnia animalia in longitudine vitæ: & ego inquam testor, aliquos vidisse hoc morbo natos, & aliquos alios passos ipsum p sexaginta annos. *Cur lepra vocetur leontiasis.* Vocatur hic morb. ab Aetio libro decimotertio capit. 120. leo & leoniasis: Auicennas vero vocat leoninam fen tertio, libro quarto, tract. 3. capite propr. Ita autem dicitur, quoniam tales patiuntur tubercula in fronte, vnde dilatatur frons, ex qua dilatatione ac prominentia cooperiuntur fere oculi ac supercilia exerta fiunt, vt in leonibus: præterea leones hac affectione laborant ex Auicenna. Præterea sicuti leo violentissimus est & ferocissimus, ita hic morbus, cum aliquem corripuit, ipsum non dimittit. *Cur dicatur satyriasis.* Galenus in libro de tumoribus vocat hunc morbum satyriasin, quoniam sicuti satyri pinguntur ridentes, ita isti habent os ita diductum, vt videantur ridere, & semper manent diductis buccis ac malis. Præterea sicuti satyri pinguntur cum malis rubris, ita ista malas rubrans habent; præterea sunt isti insatiabiles in venerem, vt satyri. *Cur morbus Herculeus.* Herculeus etiam morbus dicitur hic quasi insuperabilis & maximus.

Quid sit lepra ex Auicenna. Lepra ex Auicenna est corruptio ac permutatio complexionis & formæ omnium partium totius corporis. *Qualis intemperies sit in lepra.* Quod autem laborent in hac partes omnes intemperie, habetur in libro tertio de loc. affect. capitulo septimo, & in libro de inæqual. intempe. capite primo. quæ intemperies ex Auicenna est tendens ad corruptionem & destructionem vitæ ac caliditatis innatæ, ideo est intemperies frigida cum summa siccitate. Sed dubitatur; nam in his videtur adesse potius calor cum siccitate non insigni; primo quoniam isti dicunt se sentire ingentem calorem seu caliditatem; secundo calor ad tactum sentitur; tertio adest pruritus ac tumor totius; quarto facies & totum corpus rubeum est; quare calor adest. Quod autem non adsit tanta siccitas, patet ex plurimo excremento manante ex vlceribus ac pustulis manantibus in ipso corpore. Ego tamen dico hæc apparere ratione materiæ peccantis & abundantis ac putridæ facientis caliditatem & ruborem & excrementum in vlceribus. Sed habitus totius frigidus est & siccus, & non solum habitus, sed viscera quoque sunt tali intemperie affecta, vnde ex Arethæo fiunt grandinosa & tumida, vt patet in suibus aliquibus, in quibus grandinosæ apparent hæ carnes, quæ malæ sunt ac contagiosæ, & malum hoc generant in ipsas comedentibus. *Notandum circa carnes suillas.* quod etiam dicit Auicennas & Aetius. Dicit præterea Auicennas hunc affectum immutare compositionem & formam dupliciter; vel scilicet exulceratione vel tumore; primo enim incipiunt tumores, deinde confirmata lepra omnes partes patiuntur tumores leprosos, duros, scirrhosos & callosos, & per consequens cancerosos, qui à materia melancholica fiunt & formam compositionis destruunt, & ideo dicitur cancer totius corporis. *Cur lepra dicatur cancer totius corporis.* dicitur etiam morbus sancti Lazari, quoniam morbum hunc patiebatur Lazarus mendi-

mendicus ex Euangelio: Secundo vero exulceratione sua formam corrumpit pluribus de causis; quia primo rimas facit, secundo cancerosa vlcera, tertio lichenica, quarto phagedænica, artus etiam ac vsque ossa corrumpentia: quare definitio Auicennæ optima est, quod sit corruptionis complexionis & formæ. Ego vero addo hunc esse morbum ex illis, qui inuadunt à tota substantia, vt est morbus gallicus: ratio est, quoniam morbus contagiosus est, at vt plurimum morbi contagiosi consistunt in tota substantia potius, quam in aliqua qualitate. Quod contagiosus sit, experientia probat ac patet etiam ex testameno veteri, vbi Deus præcepit leprosos abigi: præterea sunt testes Christianorum antiquorum institutiones, qui instituere xenodochia ad hos tantum vsus, vt ab aliis leprosi separarentur. Præterea morbus ignotus erat Italiæ & per contagium deductus est ex Ægypto in Italiam. Præterea dicit Aetius, quod habitus & vlcerum excrementa communicant aliis affectum hunc. Galenus etiam in libro de subfiguratione empyrica hoc dicit: quare dicendum est esse morbum in tota substantia desinentem in intemperiem illam ac malam compositionem, quia substantia quædam aeri communicetur, quę deinde hęrens vel attracta ab alio, est veluti fermentum morbi huius.

Quod lepra sit ex morbis à tota substantia.

Quod sit morbus contagiosus.

Inter causas autem efficientes lepræ ex libr. 2. ad Glauc. capitulo octauo est aer calidus & siccus præter rationem & modum; frigidus vero est ineptus: at frigidissimus hunc morbum etiam efficere potest ex Aetio; quoniam sicuti calidissimus facit humorem melancholicum plurimum & ad cutim trahit & morbum hunc facit, sic frigidissimus refrigerat ac constipat sanguinem & ipsum fæculentum facit sua siccitate ac frigiditate nimia.

Causa efficientes externa.

Aer faciens lepram.

Aer vero frigidus & humidus tempore Galeni non erat causa huius morbi, sed his nostris temporibus fit etiam in aere frigido & humido, vt in Germania & Gallia; quamuis ego potius crediderim in his regionibus non ex aere oriri, sed ex victu, vt ex aromatibus plurimis, quibus vtuntur, & vino potenti. Bene verum est, quod aer lepræ contagiosus, vbi s. est copia leprosorum exulceratorum, à quibus aer inficitur, est causa lepræ ex Aetio & Arethæo, vnde miserabilis est huius morbi conditio, quia omnes hos relinquũt, ne ipso corripiantur & etiam patres ac matres ipsos relinquunt.

An in Gallia & Germania fiat lepra ab aere vel victu.

Præterea contactus est inter causas efficientes huius morbi, vt est bibere ex eodem vase, vti vestibus iisdem, ac præcipue vti Venere cum leproso. Additur præterea hæreditas, quia hæreditarius est ex Auicenna, vnde quandoq; serpit per familias, & licet, dum pueri sunt, non appareat, cum tamen sicciores fiunt, vt in adolescentia, manifesta fit hæc affectio.

Contactus.

Hæreditas.

Quarta causa est conceptio tempore menstruorum: semen enim conceptum tunc attrahit malam naturam à menstruis. Quinta causa est nimius motus corporis ex Aetio & Galeno, quia maxime corpora siccat ac viscera ac sanguinem exurit, vt patet in aliquibus, quos ego vidi, qui etiam ex morbo gallico propter nimium exercitium in lepræ vestigia inciderunt.

Conceptio tẽpore menstruorum.

Nimius motus corporis.

Internæ vero causæ efficientes lepræ sunt, primo sexus ætasq;, nam magis viri, quia sicciores atque calidiores sunt, & qui in consistenti ætate degunt, hoc morbo afficiuntur. Præterea hepatis intemperies calida & sicca humores adurendo: tertio caliditas & siccitas totius corporis. Item lienis obstructio, ex qua causatur ipsius imbecillitas, quia succum deinde melancholicum trahere non potest, & sic ad totum transmittitur & lepram facit. Addit Auicennas viscerum internorum maximam imbecillitatem, vt nequeant expellere succum melancholicum, vnde incipiunt ipsa fieri grandinosa, deinde communicatur toti corpori. Præterea ex Galeno suppressiones euacuationum solitarum, quæ tres sunt præcipue, vel scilicet varicum, vel hæmorrhoidarum, vel mensium, addit Auicennas omnium cutis meatuum obstructionem, ex qua prohibeatur transpiratio: si enim rara est cutis, exhalat hæc materia: si vero obstructa, ea (materia) vel putrescens facit febrem; vel, si non facit febrem, causat lepram, tuberculum faciens.

Causa efficientes interna.

Inter causas autem materiales primo est victus plurima excrementa generans crassa & exusta, vt sunt cibi melancholici, ex quibus succus fæculentus fit, ex quo deinde lepra. Addit Auicennas victum generantem pituitam vitream & crassam; quod mihi placet, non quia pituita vitrea sit materia lepræ, vt vult Auicennas, sed quia ex resiccata vitrea fieri potest melancholia exusta.

Causa materiales.

Quod si non concedatur ex pituita vsta fieri melancholiam, ab his tamen cibis vitrea generatur, quæ mala est, quia obstruit ac feruorem facit & vstionẽ, ex qua postea fit lepra; quare dicit Galenus, quod in Alexandria & Ægypto vagetur hic morbus, quoniam vtũtur

Cibaria generantia lepram.

maximè farina elixa ac polenta generante pituitosam materiam lentam ac viscidam: vnde non est mirum, si in montibus, vbi viuunt incolæ polenta miliacea, abundat lepra. Præterea cochlearum carnes, quia spurcissimæ sunt, causant ipsam: item fungi & talia crassum sanguinem generãtia, vt testudines, salita omnia, lentes, carnes bouinæ, in quibus tota peccat Europa, salsæ omnes carnes tam quadrupedum, quam piscium durorũ hanc materiam subministrant: & in summa omnis victus generans sanguinem crassum est huius causa. Ob id ex lacte viuentes non patiuntur lepram; & hinc est, quod in Scythia non fit hic morbus, quoniam lacte vescuntur.

Causa immediata. Causa autem immediata lepræ est humor melancholicus, diffusus tamen in totũ corpus, quoniam si transmittitur ad aliquam partem, facit carbunculum vel cancrum: si autem ad totum corpus, facit vel febres melancholicas vel lepram. *Diuisio lepræ ratione materiæ.* Si vero melancholia hæc sit succus fæculentus purus vel melancholia ex bile flaua ad totum transfusa, fit elephantiasis nigra dicta à colore nigro. Si autem in isto humore sanguis misceatur, ex libro de atra bile capitulo quarto fit lepra subrubra, quia sanguis retundit materiam illam melãcholicam. Si autem materia hæc sit cum phlegmone crasso ac viscido ex Plinii libro vigesimoquinto capite quinto dicitur alba. Auicennas autem distinguebat elephantiasin ratione materiæ, quæ semper tamen est melancholica, & triplicem ex hac materia lepram oriri dicebat; vnde si lepra oriebatur à melancholia facta ex flaua bile adusta, ipsam appellabat feram & incurabilem: si vero fiat ex melancholia facta ex sanguine vsto, benignam vocabat lepram illam.

Si vero fit ab exusta melancholia, hanc mediocrem esse dicebat, vnde ratione materiæ lepra alia est benigna, alia mediocris & alia fera. Quoniam autem signa lepræ requirũt aliqualem diligentiam, circa eorum inuentionem & inuestigationem, ideo optimum fore duxi caput distinctum ponere signorum cum incipientis, tum progressæ & confirmatæ lepræ; ideo in sequenti capite hoc aggrediar.

De Signis lepræ cum incipientis tum confirmatæ. CAP. VII.

Signa lepræ duplicia sunt; alia enim sunt signa incipientis, alia vero iam factæ lepræ. per incipientem autem lepram non debet intelligi illa, quæ in primo insultu est, vel quæ per actos dies tantum durauerit, quoniam hæc cognosci non potest, sed per lepram incipientẽ intelligimus, quando viscera tantum infecta sunt, non autem corium adhuc arripuerit: per antiquatam vero, quæ corium etiam ipsum arripuit, quæq; incurabilis est, nam illa incipiẽs curationem suscipit, & non admodum difficulter curari potest.

Signa lepræ incipientis. 1. Cum itaq; viscera tantum affecta erunt, primum signum erit ex Aetio, segnities quædam superueniens insignis ac præter naturam & consuetudinem patientis, quoniam tunc 2. incipit intemperies illa pessima frigida & sicca, ex qua substãtia spirituũ animalium ac substantia tota corporis dissipatur. Secundũ signũ est difficilis respiratio, dummodo nõ adsint tubercula in thorace, nec destillatio, nec pectoris angustia, q̃ respiratio prius fuerit calida: sit autem tarda, quoniam dissipatis viribus ac facto homine segni, musculi etiam dilatantes 3. thoracem & partes respirationis, torpidi fiũt. Tertium signum est motus tarditas ad actio-4. nes omnes, q; cum primo signo concurrit. Quartum signum est suppressio alui prçter causam manifestam, quoniam excitatur maximus feruor corporis, à quo fæces siccantur, licet calor naturalis dissipetur; ratio etiam est, quod cum omnia membra segnia fiant, etiã inte-5. stina segniora fiũt. Quintum signum est lotium subiugale ac turbidũ, quod semper tale remanet citra vllum affectum circa renes vel vesicã & febrem; & hoc signum est certũ, quoniam alii affectus sine febre non faciunt tale lotium absq; affectu vel vesicç vel renũ, quoniam dissipatur calor naturalis & præternaturalis viget, vnde non potest fieri bona coctio 6. ac segregatio malorum humorum in corpore à bonis. Sextum signum est etiam respiratio fœtida, quod tamen aduertendum est, quoniam quandoq; fit ab vlcere faucium vel pulmonũ vel nariũ vel ex materia resiccata in faucib. vel ex vlcere dentium aut palati, vel ratione materiæ exiccatæ contentæ in ore, vt ego vidi iam in quadam moniali, quæ talem fœtorem in respiratione emittebat ratione bilis crassæ resiccatæ oblitæ palato. quare de his omnibus interrogandus est æger. *Fœtida respiratio à quibus proueniens possit.*

7. Septimum signum est odor corporis totius fœtidus ac sudor fœtidissimus, loquendo non de sudore à forditie facto, vt sub alis & in pedibus, sed de sudore causato ab humoribus corruptis: cum enim malus sanguis generetur & fœtidus, serum eius, quod per cutim edu-8. citur, fœtidum quoque fit necesse est. Octauum signum est eructatio perpetua eleuata à melancholia & ructus molestissimi; quia, cum mala fiat concoctio, ac copia melancholiæ

adsit,

adsit, quę fœculenta est, ab hac fiunt flatus ac vapores, qui per vulnus educũtur, adest tamẽ appetitus obtusio. Nonum signum est aptitudo inexplebilis ad venerem: tentiginem enim semper patiuntur hi; quod tamen signum, si iuueni superueniat, non est ob id dicendum esse lepram. Decimum est raucedo faucium sine læsione manifesta & præter consuetudinem, & vt dicitur, loquela in naribus, quoniam cum lepra sit cancer intimus pulmones afficere incipiens, afficit etiam asperam arteriam, ex qua siccata vel humectata fit raucedo & vox aspera Vox enim, meo quidem iudicio, fit in capite asperæ arteriæ; vel aspera fit ipsa vox vel rauca vel canora: fit autem talis vox vel ob siccitatem vel humiditatẽ; in lepra autem credendum est fieri ob siccitatem. Vndecimum signum sunt mores melancholici, quia abundat plurima melancholia, vnde veluti hypochondriaci melancholici fiunt. Duodecimum sunt somnia grauia, turbulenta ac melancholica. 9. 10. 11. 12.

Decimum tertium est incubus, quem in somnis fere continuo patiuntur ratione spirituum dissipatorum; vnde si tria vel quatuor horum signa adsint, non dubitetis de principio lepræ. Decimum quartum est suspicio aliqua, quod conuersatus sit cum aliquo infecto. 13. 14.

Lepræ autem confirmatæ primum signum est corruptio, deformatio ac conturbatio faciei, primo enim malæ intumescunt, inæquales ac rubræ fiunt, atto tamen rubore & etiam oculi, frons amplior fit ac tuberculis repletur, & inde palpebræ cadunt, oculi absconduntur, & sic totus intuitus faciei leoninus fit, mentum intumescit tumoribus duris, scirrhosis & cancerosis, totaq; facies rimosa fit. *Signa lepræ confirmatæ.*

Dicit autem Auicennas, sternutationem superuenire in multis vel ratione pharmacialicuius vel ratione vaporum vel perturbationis cerebri ab ambiente vel à sole. Fit autem sternutatio in istis ex vaporibus elisis à toto corpore ad caput. Tertio addatis narium constrictionem internam vel à destillatione factam, vel quoniam membranæ intrinsecæ nariũ patiuntur tubercula, vnde semper isti ore aperto expirant & loquũtur quasi per nates.

Quarto adest pilorum extenuatio, cum tamen antea fuerint duri, crispi ac spissi, quia calor dissipatur & excrementum non est ita calidum & siccum vt possit tales pilos formare. Præterea cum omnia languida sint, cutis non potest ita bene ali nec etiam pili, & ita omnes tandem cadunt. Ex Arethæo autem hoc est præcipuum signum lepræ confirmatę, quoniam in morbo gallico capilli tantum cadunt, sed in lepra omnes, vt axillarum & aliorum omnium locorum. Quinto lingua grandinosa fit tota ac plurimis referta tuberculis & aspera, & etiam venæ sub lingua turgidæ sunt, quoniam tubercula hæc cutim exasperant. Sexto oriuntur in toto corio vniuersi tubercula inæqualia dura & aspera, quæ corium totum exasperant. Oriuntur etiam timæ, fiunt vlcera, deinde squamæ quædam nigrę eleuantur, & partes extremæ prius vlcerantur, vt vngues & extremi digiti, dummodo hæc non fiant ex scabie vel psora; deinde exulcerantur partes ita, vt omnes attus absumantur otta phagedæna ipsa & morbo lupæ, quod tamen ego nunquam vidi nisi in naribus ipsis.

Præterea nares exeduntur ab vlceribus, ac intra contrahuntur, veluti si delitescerent: quoniã internæ particulæ exeduntur, vnde insequuntur interiores erosiones; imo ego quandoque vidi ablatas nares ex vlceribus cancerosis & malignis. Præterea quandoque ita siccatur aspera arteria, vt vox omnino amittatur & vix respirare possint ac aerem attrahere miseri infirmi, quod fit vel ratione maximæ debilitatis musculorum qui attolli non possunt ad attrahendum aerem. Prætetea pulsus sunt pigri, tardi ac debiles ob cordis refrigerationem; timidi sunt ægri, fugiunt ac odio habent homines, sanitatem desperant, ac melancholici fiunt. Et hæc de signis satis sint.

De Curatione lepræ & primum de præsagio. CAP. VIII.

COgnita lepra, cũ sit cancer totius corporis ex Arethęo, difficillimum est inuenire medicamentum ita validum, vt morbum hunc superare possit, tamen quandoque sanatur. Et ego quidem testor me aliquos vidisse sanatos & præcipue presbyterum, qui lepra etiam cõfirmata detinebatur: vnde si lepra sit in visceribus tantum, id est, sit incipiens, potest tolli difficulter: attamen ex lib. quos & quando purgare oportet & ex libro de subfigurat. empyr. cap. 12. & ex lib. 11. de simpl. med. fac. cap. de carnib. habemus quod plures sanauit Galenus partim sectione venæ, partim pharmacis, partim viperarum vsu. *Præsagium.*

Si vero sit confirmatus morbus & cum vlceribus, impossibilis est curatio; sed nisi facta sint vlcera, potest tolli, cum maxima tamen difficultate. Sed cũ semper possimus lenire sal-

tem morbum hunc, non est omittenda eius tractatio in omnibus ex Auicenna, sed nullus est æger sine auxilio relinquendus.

Lepra in quo differat a cancro. Differt autem lepra à cancro particulari, quia cancer particularis non est medicandus, quia irritatur à medicamentis; at lepra quamuis sit cancer totius, non irritatur tamen ex validis medicamentis: & ratio est, quoniam in cancro particulari materia multa aggregata est, quæ si proritetur, cadet supra partem sanam: at in lepra mitior fit affectus; materia enim est expansa per totum corpus, quare non iminet periculum, quod materia decidat supra partem sanam, cum omnes affectæ sint. Præterea si lepra à pura melancholia sit, benignior est, & potest sanari ex Auicenna; si vero ex atra bile exusta vel ex bile adusta, leniri tantum potest, non autem ex toto sanari. Si autem lepra fuerit in visceribus tantū, vel vix incipiat apparere in cuti, nondum tamen confirmatæ signa adsint, sperantes de salute aggredi debemus curationem, quę etsi difficillima sit, possibilis tamen est. Si autem confirmata sit, aggredienda est etiam curatio, quoniam, etsi non speretur sanitas, tamen vita producitur, cum robustissima ferat medicamenta sine periculo.

Curatio quo ad aerem. Quo itaq; ad aerem, leprosi transferendi sunt ad locum vires contrarias habentem, vt si leprosus sit in aere calido & sicco, transportetur in frigidum & humidum ex Arethęo, quoniam tum proderit aer digestione & euacuatione sua. Præterea cum natura oblectetur continua mutatione aeris, ideo optima est peregrinatio: semper tamen leprosi fugiant vrbes ac præcipue repletas & palatia alta, quoniam aer ibi non est ita perspirabilis nec ventis expositus: maneant ergo turi, vbi aer semper spiret, fugiant maritimas vndas siue oras, præcipue palustria ac lacustria loca, quoniam ab his vapores crassi eleuantur.

Somnus & Vigilia. *Motus & quies.* Somnus diurnus pessimus est, vt etiam vigilia nocturna. Motus est præstans, dummodo sit sine labore & molestia: quies vero mala est: equitatio, saltus cursus & omne genus exercitii, & si violētus sit, dummodo à corpore feratur, maxime iuuat, quia, quamuis atrenuet, magis tamen digerit ac resoluit: copiosus sudor optimus est, quia materiam euacuat & extenuat. Sed post illa exercitia matutina hora facta exretgatur sudor: & purissimis ac candidissimis induantur ægri: post cœnam etiam per longum spatium conuenit ambulatio, quoniam in istis ita paritur ventriculus, vt post concoctionem etiam difficulter cibaria descendant, ex pigritia in omnibus partibus introducta: vnde ventriculus non bene chylum excernit, ideo per quatuor horas post cœnam & prandium inambulent ad deiicienda excrementa à ventriculo cibaria.

Excretio. *Olera.* Excretiones fæcum curentur quotidie, vnde singula die exhibeatur aliquod laxans aluum, vnde antiqui coquebant olera in prima mensa pro emollitione fæcum, vt betam, attriplicem, maluam & lactucam ac iusculā faciebant ex ostreis, quandoque etiam ostreas crudas exhibebant ad lubricandam aluum, quæ tamen inepta sunt in lepra pro cibo; qui a pituitam crudam generant; sed cum descendunt & pertranseunt, cætera etiam descendere faciunt, ideo non nocent; quam ob causam iis etiam salsamentā dabant.

Medicamentum optimū. Nos autem sine errore dare possumus caricas & passulas. Auicennas autem his non iuuantibus per 40. dies continuos dat medicamentum ex melle & myrobalanis, quod optimum est: possumus etiam dare saccharum rosatum cum rhab. vel cassiam vel pomatam

Notandum circa solutionem. vel aliud leniens. Sed notandum est, quod non est soluens aliquod. idem est exhibendum tribus vel quatuor diebus continuis, quoniam natura assuescit illi, ita vt postea non operetur: quare hodie vnum, cras vero aliud exhibeatur medicamentum vim habens solutoriā, & tertia die aliud. Si pharmaco id non fiat, clysteria infundantur.

Venus inimicissima lepra. Venus est inimicissima lepræ, & ideo, qui non vtuntur Venere, nunquā leprosi fiunt, quia semine non abundant vt eunuchi, quoniam semen est radix & fomentum lepræ: vnde remedium acerbum quidem, sed proficuum maxime inuentum est, quod, si leprosi castrentur, sanentur: Sed curatio hæc nimis violenta est. Ego autem vt verum fatear, nō credo semen esse fomentum lepræ, sed bene Venerem nocere, quia vel coitus siccat, vel cum lepra capiatur per contagium, coitus potest huius esse causa: sed coitus conceditur pro liberorum generatione quamuis oriantur leprosi, ideo melius esset, vt non oriretur. Græci autem volunt, quod tales non oriantur filii, si purgato corpore & venis existentibus mundis, liceat eorum infectum sit, leprosi Venere vtantur.

Motus animi. Animi passiones melancholicæ euitentur, bis in die comedant, quamuis sint assueti comedere semel; quoniam ventriculus non tolerat tantam ingestionem cibi vnica vice assumpti, nec corpus ferret ieiunium illud longum, quo exiccatur. In prandio autem sumant tertiam partem cibi, vespertina autem hora duas alias tertias. Inter cibos autem lac preciosum est, ipso itaq; vescantur optime cocto addita etiam aqua, & si quis vellet solo lacte nutriri, concedatur. Secundo lac exhibeatur coagulatum & oxygala appellatum & melcha.

Antiqui

Antiqui enim concedebant lac acidum quod Græci vocabant ὀξύγαλα. Romani vero vocant melcham, de qua in libris methodi; & parabatur hoc modo ex Constantino Cæsareo libro de cultu rustico. Ollam aceto repletam calefaciebant. hanc calefactam acetoque proiecto lacte explebãt, per noctem ita relinquebant, & deinde hac vtebãtur. Boinæ etiã conceduntur & iuncatæ, non tamen ex lacte vaccino, quia nimis crassum est: dentur itaq; omnia ex recenti lacte, vt cibaria ex lacte & ouis tenera facta cum aqua. Carnes ouium laudabiles sunt & aliorum animalium. Laudat etiam Arethæus carnem suillam. sed fortasse intelligit de syluestri siue aprina, non autem de nostra domestica, quæ viscidior est; ambæ tamen suspectæ mihi semper fuerunt. Carnes leporum coctu faciles & iuuenũ laudantur, capreolorum, auium montanarum, pullorum tenellæ & hædinæ sunt optimæ, vt etiam vitulinæ.

ὀξύγαλα quid sit. *Quomodo paretur.* *Carnes.*

Pisces saxatiles conceduntur, sed mollis carnis, vt barbi, capitones, temali: truttæ vero non ita bonæ sunt nec tinchæ, nec lucii, nec ranæ, nec omnes pisces lacustres. *Pisces.*

Fructus horarii optimi sunt, id est, qui in diebus canicularibus maturantur. quia cum frigidiores sint, contemperant feruorem humorum: laudantur pyra in mulsa, ficus & vuæ maturæ, ac & citonia ac cæteri fructus similes: reliquos v. vituperat Auicennas. Ego autem cum Arethæo laudo maxime Pepones & melopepones, quoniam contemperant ac per lotium euacuant, humectant & corpus expurgant: quare possunt dari etiam in magna quantitate, per pepones nostros intelligendo, non autem antiquorum, qui nostros non habuerunt. Præterea cerasa aridata, non tamen valde, quoniam valde arida fermentant melancholiam, dulcia vero optima sunt, vt & omnia dulciaria, vt Marcii panes & bellaria omnia, quia per cutim corpus euacuant & aluum leniunt Passulæ etiam optimæ sunt, quia maxime iuuant epar in quacunque eius intemperie exhibitæ in maxima quantitate: idem dico de amygdalis, de pistachiis, de pineis nucibus. *Fructus.* *Bellaria.*

Vinum bibant secundum Aetium album, tenue, non vetustum; ex Arethæo vero & Galeno dulce nec admodum potens, quoniam in leprosa massa sanguis est crassa ac nutritioni inepta; vinum vero dulce statim nutrit, quoniam facile transit ad hepar & venas. Aqua non probatur propter corporis frigiditatẽ. Sit victus ratio exquisita. Et hæc satis sint quo ad primum caput. *Vinum.*

Quo autem ad totius euacuationem, omnes concedunt sectionem venæ, præcipue in incipiente lepra, quoniam ex Arethæo semper malo & crasso sanguine repletæ sunt venæ, quæ male postmodum nutriunt corpus, vel etiam non nutriunt. *De euacuatione totius.*

At in secanda vena notandum est, quod si adsit cacochymia vel abundantia sanguinis; tunc, si adest abundantia sanguinis, Arethæus in quatuor locis venam secat, venas scil. vtriusq; cubiti & vtriusque malleoli magnas, vt sanguis crassus in toto corpore contentus, cum superioribus, tum inferioribus partibus educatur, quoniam si tantum in superioribus secaretur, non euacuaretur ille, qui in inferioribus reperitur, & econtra, quia sanguis non est fluidus. Aetius autem in duobus tantum locis euacuat, cubiti scil. at Auicennas venas magnas secat, per quas intelligit venas cubiti vel malleolorum, vel poplitũ. quare sententia Arethæi optima est. Sed notandum est, quod non affatim hoc facit, sed interposito vno aut altero die vel nocte etiam quod ego etiam maxime laudo. Si vero non adsit tanta copia sanguinis, neq; vires sint adeo fortes, secẽtur venæ minores cum cucurbitulis. Venæ autem præstantiores secandę sunt illæ circa nares & frontem, quæ maximo cum leuamento cum capitis, tum corporis totius aperiuntur, & hic sanguis euacuatur etiã in magna quantitate, spatio tamen interposito, vt sensim bonum alimentum reponatur. *Notandum circa venæ sectionem.*

Secta autem vena statim cibaria dentur boni succi & cito alentia, vt oua sorbilia, offa ex vino puro & maluatico, contusum etiam ex carnibus & vinum optimum & similia, quæ conuertuntur in optimum succum & sanguinem tenuem & purum generant. Si vero casu non possit fieri sectio venæ, deueniendum est ad pharmaca: vnde primo leniatur aluus cum electuario lenitiuo, cum sero caprino, cum cassia vel diacatholicone, vel syr. ros. sol. vel viol. sol. Diacatholicon autem laudatur maxime, quamuis validius sit, quoniam in tali morbo rebelli valentiora remedia fiunt debilia; à ferocitate enim morbi remittitur vis & potentia auxilii. Facta lenitione præparentur humores viscidi, crassi, pituitosi ac melancholici per attenuantia, incidentia & detergentia, vt fumariam, cichorium satiuum & syluestre etiam, chondrillam, betonicam, ceterach, capillum Veneris, radices rusci & asparagorum. acetum omnia superat, sed in pauca quantitate, quoniam acetosa fermentant melancholiam; ex his autem decocta & syrupi parentur admixto buglosso, borragine, melissa & cæteris lenientibus siccitatem, ac cor- *Secta vena quid agendum.* *Lenitio alui.* *Præparatio humorum.*

di conferentibus, vt mel rosatum, syrupus byzantinus, syr. de pom. simpl. de pomis sabor.

Euacuatio per lenia.

Facta præparatione expurgandum est corpus medicamentis aptis, quorum aliqua lenia, alia vero fortia sunt: inter lenia sunt folia senæ, epithymi & agaricus, quibus pituita & atra bilis educitur.

Robusta.

Robusta autẽ medicamenta tria sunt, elleborum nigrũ, lapis lazuli, & colocynthis; vnde medicamenta illa quæ hæc recipiunt, optima sunt, & ideo Arethæus & Galenus recurrunt ad hieram, vt est illa hiera Galeni constans ex 32. medieamentis, ab Aetio descripta lib. 3.c.153. quæ hæc omnia recipit. Quandoq; vero vtimur confectione hamech, diacathol. cum elleb. nigr. electuar. Indo ac pilulis cochiis cum veratro, in quibus ego maxime fido, vt etiam in hiera illa exhibita ad pondus ℥ij. Sed notandum est, quod in officinis pilulę hæ variæ sunt secundum varias descriptiones: sed pro lepra ex Curtio qui primus fuit instituens medicamentum hoc, ita parantur: primo accipimus pilulas cochias compositas cum speciebus hieræ Rhasis, quas, vt cun veratro paremus, ad duas vncias pilularum coch. sumimus ℥j. corticum rad. elleb. nigr. præparati, id est, cocti in malo citonio in furno; vel elixentur hæ radices in succo citonii, vel oleo amygd. dulc. & sic fiant ℥iij. mixturæ: vel admisceatis alquid de lapide lazuli. Brassauolas autem, qui fuit præceptor meus, dabat confectionem anascot cum lapide lazuli vel armeno vel cyaneo: & mira faciebat.

Pil. coch. cũ veratro composito ex Curtio.

Facta prima expurgatione aliqui dant purgantia per interualla, vnde Aetius, quem ego quandoque sum secutus, dabat serum in maxima copia; vt facta prima expurgatione post quinque dies vel sex deueniendo ad serum à libr. iij. vsque ad quinque, à tribus scil. heminis vsque ad quinq;.

Differentia inter vncias ponderales & mensurales.

Sciendum autem est, quod nouem vnciæ mensurales sunt fere duodecim ponderales. Aetius vero dabat serum asininum, sed ego exhibeo caprinum, quoniam asininum difficilime potest haberi. sed primo soleo coquere serũ cum endiuia vel alio contemperãte hepat, deinde miscebam medicamentum purgans, & Aetius miscebat duos obolos scãmonii cum vno ellebori nigri; sed ego dimittens scammonium incoquebam tantum ʒj. vel. ℈ij. ellebori nigri in primo cyatho ratione corporis, vnde postea miscebam quandoq; syrupum rosatum solutiuum ad ℥ij. vel de pomis vel de fumo terræ compositum: & ita hũc primum cyathum seri cum his paratum exhibebam. Hoc autem primo epoto quiete interposita aliquali, alios cyathos puri seri paulatim exhibebã, & ex hoc presbyterum illum, optime sanaui. aliquando autem vti soleo syrupo Montani, quem ipse describit in tract. de morbo Gallico: sed quoniam descriptio illa in tractatu Montani est corrupta, ideo accipiatis descriprionem illam; quam ego pono in tractatu meo de morbo gallico. Verum hæc non sufficiunt, sed deueniendum est ad elleborum album, sine quo factum est nihil ex Arethæo, Aetio & Paulo; quia hoc est medicamentum proprium lepræ, licet fortissimũ sit, omnes tamen illo vtuntur: vt autem illo rite vtantur per aliquot dies, primo vt per duos vel tres dies ante assuescat æger ad vomitum post cibum, vt radicula vel oxymelle, deinde detur virtus ellebori albi, vltimo puluis ellebori albi, quamuis vt ingenue fateat verũ, nunquam ausus sim ego aut virtutem aut puluerem exhibere, quoniam neq; Galenus eo vsus est. Dum enim Hippocrates laudat potionem dulcem ellebori albi, Galenus fatetur se nescire, qualis sit illa potio: quare ego soleo exhibere cum oxymelle vel radicula tantũ, quam Galenus nunquam transcendit; vnde ego perforata radicula imponebam festucas ellebori albi, & deinde illam dabam comedendam, ad substantiam autem ellebori albi ego nunquam deueni, sed porius intingendam esse radicem ellebori albi in radicula dico, & illam cum oxymelle exhibendam: fateor enim me vidisse sæua admodum symptomata successisse ex decocto ellebori albi. Cum autem cerebro & capitis partibus hæreat affectus hic ex Auicenna post totius purgationem, caput quacunq; via expurgandum est, quoniam cerebrum læditur maxime in hoc morbo, quo facto ad locum affectum deueniendum est.

Ellebori albi virtus & puluis reprobantur.

Modus exhibendi ellebo rum album ad comedendum.

De Curatione lepræ per loci affecti tractationem. Cap. IX.

Locus affectus duplex.

LOcus autem affectus in lepra duplex est, internus scil. & externus: internus autem, videlicet viscera ipsa, requitunt, vt materia, quam generant, discutiatur. & secundo quia morbus hic superat calorem naturalem, refocillandus est, ac viscera alteranda & roboranda. Hoc autem duplici medicamentorum genere fieri potest; altero, quod sui natura id faciat; altero vero, quod qualitatibus manifestis, inter quæ multa proponuntur, vt Cædria ac laserpitii lachryma; sed quoniam hæc non habemus, dimittantur.

Agentia sua natura.

Inter facilia autem paratu primo sunt aselli millipedes dicti, orientes sub fundo vasorum capti ad quinq; vel sex numero, terantur & bibantur cum hydromelle, quoniam sua

natura

natura faciunt, ac tota eorum ſubſtantia agunt in lepra. Secundo in loco eſt trifolium bituminoſum vetum, cuius foliorum vel ſeminum ſuccus expreſſus exhibitus per 40. dies mane maxime iuuat. Tertio eboris atq; cornu cerui ramẽta ſumpta plurib. diebus cochlearis quantitate; maxime enim digerunt, roborant, ac cuicunq; malignæ materiæ ſui ſiccitate reſiſtunt. Quarto eſt ſuccus calamenthi montani, quem ego ſumpſi quandoq; pro lotio prouocando & mariſcis; roborat enim viſcera & ſudorem diſcutit ac ſua natura calorem inſitũ conſeruat & roborat exhibitus per 40. dies ab ℥j. ß. ad ℥vj. Quinto ſunt paſtilli ſquillitici, quorũ vſus eſt in theriaca dati quotidie ad ℈ij. & ſunt prę̨ſtantiſſimi, ſaltem quia adeſt difficultas reſpirationis, quæ iis tollitur ſi cũ ſucco roſ. vel borraginato exhibeantur. Præterea ſunt medicamenta ſumpta à ſerpentibus, quæ maxime digerunt ac ſua natura faciunt. Inter omnes autem ſerpentes vipera optima eſt, cuius multa exempla habentur lib. 11. de ſimpl. med. fac. cap. de carne. & ipſis omnes Medici vtuntur. Sed cum non ſolum vipera ſed alii omnes ſerpentes hanc vim habeant, ſemper à lenioribus eſt incipiendũ, inter quos primo eſt anguis ille angelicus dict. vel angelus & caprimulgus veneno carens, quo aliqui quandoq; vſi ſunt hoc modo parãtes: ſeruant ipſum ꝑ 40. dies in arca lignea cũ furfurib. & foliis inuolutũ, quotidie ipſum extra arcam educẽdo, & aquæ frigidiſſimæ apponẽdo, vt bibat ſi velit: cũ autẽ per duas horas extra arcã manſerit & biberit, iterũ in arcam recõdũt, & ſic ꝑ 40 dies faciũt, & hęc actio ab ipſis dicitur purgatio, deinde anguẽ occidũt, & in fruſtula ſecãt & coquũt in aqua cũ cichorio, endiuia, chõdrilla, ſoncho & agrimonia in multa copia aquæ, donec caro à ſpinis cadat, deinde ius hoc colant ac veſpertina & matutina hora per 4. horas ante cibũ, bis ſ. in die de hoc iure colato dant ad ℥vj. vel viij. Alii dant carnes coctas iſtorũ anguiũ in eſu. Sed ſciendum eſt, ꝙ non ſolum iſtę, ſed omnes carnes elixę ſerpentũ non venenatorum optimæ ſunt. Eſt præterea anguis ceruinus dictus, ab antiquis vero epidaurius draco & anza vulgo: coloris lutei ac longior homine & craſſus ad brachii virilis inſtar, cuius carnes elixæ ſunt in maximo ꝓcio & ipſis ego vſus ſum quãdoq; ſatis feliciter. Præterea ſunt viperæ ipſæ, quæ omnes ſuperant ac variis modis exhibentur, quoniam miſcẽtur vel in antidotis vel in trociſcis viperinis, vel in ſalibus theriacalibus: vel damus ipſas in ſale cũ ſaccharo roſato vel borraginato dando ſalis cõmunis ad ℈j. ad ſummum cũ ſacch. roſ. vel borraginato ad ʒj. quo ſale ego quidẽ mulierẽ ab incipiẽte lepra ſanaui. Dantur etiam viperę coctę in iure albo abſciſis capitibus ac caudis ipſarum. Has eaſdem carnes ſolemus etiã elixas cum anetho vel fœniculo cum aceto & oleo exhibere, in quarũ exhibitione notat Auic. ꝙ finis exhibendatũ harum carniũ eſt conſtituendus à natura, cũ ſ. incipit tumeſcere homo; ſignũ enim eſt tum, ꝙ materia mouetur & incipit actuari, & ꝙ natura tũ incepit pugnare. Sed ſciendum eſt, ꝙ de hac tumeſcentia niſi Arethæus, nemo loquitur: Ego autẽ nunquã hoc vidi, vnde credo dictũ Auicennę eſſe verum in locis tantum calidiſſimis, & hoc ſymptoma expectandum eſſe tantum in Aphrica & Ægypto. quoniam ibi venenoſiſſimę ſunt ipſæ viperæ. Poſſumus præterea viperas cum antidotis, in quibus reperiuntur, exhibere, vt eſt theriaca, quæ ſuperat omne genus medicamẽti, & verum eſt antidotum lepræ: & hæc per interna.

Anguis angelici præparatio.

Anguis anza dictus.

Viperarum præparatio & vſus.

Per externa vero circa corii ſuperficiem infinita ſunt agenda. Sed notandum, quod tubercula cutis vel vlcerata ſunt, vel nõ: vnde ſi non ſunt vlcerata tubercula, duplicem habemus ſcopum, primo euacuationis huius materiæ, ſecundo emollitionis eiuſdem: nõ poteſt enim digeri, niſi incidatur materia illa: Emolliri autẽ non poteſt niſi ꝑ calorẽ balnei actualẽ & mollientẽ cutim vel per calorẽ ſolis in defectu hypocauſti vel per medicamenta, vt anſeris, gallinęq; pinguedinib. ſuis recentis, mucilaginib. ſem. lini, altheæ & ol. amygd. dulc. & etiã, foliis maluæ aliiſq; huiuſmodi coctis in iure, & fiat medicamentũ, quo tubercula illa molliora redduntur, ſi eo ſub ſole inungatur æger, ſub quo vel ſub hypocauſto cũ fuerit per horam, & molliora facta ſint tubercula, deueniendum eſt ad materiei diſcuſſionem. Euacuatur autem materia per ſudorem facta frictione, vt ſi poſt emollitionem fricetur æger & iterũ redeat ad calorẽ illũ & iterũ fricetur, nã poſtea aucto calore augetur ſudor. Secundo vti poſſumus medicamentis digerentib. & attenuantib. vt lapathi radicibus ac farinis amaris, vt orobi & lupinorum. Præterea omne genus ſaporis optimum eſt, & præcipue Neapolitanus dictus. addatis omne genus nitri foſſitium vel factitium vel aphroditum; addatis ſulphures viuos & ignem etiam expertos: Præterea ſandaracam Græcorum quæ vltimum locum habet in euacuanda hac materia. Pro ſacra anchora poſtea eſt ellebori nigri radix & cucumeris aſinini & etiam ellebori albi & agarici fungus, quæ qualitate digerunt & per propriam vim humores hos attrahunt. His igitur interpolatis vicibus vtemini mane poſt balnei calorem vel poſtquam in balneo vel ſole fuerit fricatus æger & illitus bis dictis. Ratio autem parandorũ horum medicamentorũ eſt, vt accipiantur

Agenda circa corii ſuperficiem.

Emollitio.

farinæ illæ vel polenta ex ipsis vel mucilagines & aliquid sulphuris vel aliorum huiusmodi addatis, non autem omnia simul ponentes, & æger spatio vnius horæ vel duarum fricetur & liniatur, deinde abluatur in aquis thermalibus sulphureis, aluminosis vel ferreis, si adsint, quia præstantissimæ essent, sin minus, in alia aqua. Sed oleum viperinum maximum decus mihi parault, quod continuo paratum apud me detineo, & vtor in crustis vel tuberculis admixto seuo hircino vel pinguedine vrsi vel taxi vel alia inungendo partes emolliendas, quo etiam oleo ego soleo vti in lepra Græcorum, psora scil. cum crustis siccis ac duris; paratur autem oleum istud hoc modo; ℞. olei oliuarum libr. x. & duas viperas viuas integras dissectas, in oleum impone, & ad solem in diebus canicularibus relinque donec subruffum acquirat colorem, si non adsint vlcera: Si vero sint vlcera, tubercula & articuli extremi, vtor ego medicamentis herpeticis ac malignis vlceribus accommodatis. Quamuis autem analogia veller, vt palleantibus vteremur, quia cancri naturam sapiunt hæc vlcera, tamen autoritas Auicennæ & experientia docet posse imponi maxime proritantia ac siccantia & adstringentia, quia non proritatur ab his, vnde deuenire possumus ad arnoglossam, sumach, cortices granatorum, trociscos Andronis, Pasionis & ad squamam æris & omnes squamas & ad lapidem pyritidem vel diphrygem exustum & lotum, & in summa ad totam materiam metallicam. Si vero proritarentur hæc vlcera, deueniendum est ad leniora metalla maxime lota, vt ad vnguentum de thutia & similia. Solebant antiqui exurere diuersas partes corpois, vt dicit, Paulus, Auicennas & alii, præterea alii castrabãt homines, quoniam in his abundat semen acre ac putrescens, quod seruat ac fouet hunc effectum; sed hæc non laudo, nec ipsis vnquam vsus sum, sed tantum methodo supra dicta. Et hæc satis sint de lepra.

Olei viperini vsus.

Oleum viperinum parandi modus.

De Glandulis illis, quæ nodi dicuntur seu naphthæ vel abscessus cum folliculo. CAP. X.

ABscessus qualescunq; sint, vel sunt cũ folliculo vel sine eo: sed quoniam iam actũ est de abscessibus sine folliculo, modo conuenit vt agamus de illis cum folliculo.

Abscessus itaque cum folliculo ab Auicenna dicitur Halsela, quam vocem nostri interpretantur Nodum, barbari vero recentes glandulam vocant ex fen 3. lib. 4. apud Auic. sed proprius vocantur nodi quam glandulæ, cuius nomen commune non habent Græci. Celsus lib. 7. c. 6. hos diuidit in duros & renitentes & in molles ac laxos, omnes tamẽ folliculum habentes: Græci v. distinguunt ratione materiæ cõtentæ; nam Μελικηρίδα vocant tumorem illum, cuius materia sit melli similis: Ἀθέρωμα vero, cum materiã pulticulæ similem habet: Στεάτωμα autem, cum est similis lardo; quare ex lib. 2. meth. c. 3. morbi quãdoq; à similitudine nomen habent. Quamuis autem Græci tres has tantũ species abscessuum proponant, non tamen dicunt aliam non posse reperiri materiã in abscessibus, vt sunt pili maxime in brutis, carbones, ossa, vermes & huiusmodi: vt plurimum tamen abscessus ex triplici illa materia constant.

Materia horum abscessuum.

Causa autem horum abscessuum prima efficiẽs ex lib. de caus. morb. ca. 6. est fluxio humorũ ad partẽ affectam, cuius causæ alias dictę sunt; ego autem credo etiã congestionẽ esse in causa huius abscessus; quoniã video in his ea esse, quæ in aliis adsunt tumorib. ex cõgestione factis, vt est tarditas generationis; tarde enim incipiunt & crescunt quandoq;, quod non fit in tumoribus à fluxione, qui cito crescunt. Sed cũ ex lib. 14. meth. c. 17. & 18. aliquis sit tumor, in quo non fit generatio nouę materiæ, vt in erysipelare & inflãmatione, alius vero in quo noua fit substantia, vt in tumoribus varicosis ac verrucis siue callis, in hoc secundo genere ponitur abscessus: nam in eo primo gignitur folliculus quidam, in quo continetur materia s. substantia solida habens proprias fibras, quate est hic morbus in numero etiam, quia aliquid naturale oritur, quod est præter naturam ratione numeri, cum hoc nõ sit in aliis tumoribus, sed in his tantum abscessibus augetur numerus partium. Causa vero efficiens folliculi ex lib. 14. meth. c. 12. est materia; quia dum incipit fluxio vel congestio, sensim dilatatur pars, & sic fit folliculus quidem callosus dilatata parte. Sed in li. de caus. morb. c. 8. addit causam esse facultatem formatricem superantem materiam, quoniam tunc, si materia bona sit, format partes perfectas, sed auget numerum, vt cum facit sextum digitũ. Sed si materia mala abundat, natura non potest integras partes generare, sed si potens est natura, facit hos abscessus cum folliculis, in quibus illas diuersas materias facit, quæ solent fieri à natura non errante. Sed quia materia non est apta, fit vt aliqua ex parte erret, quare præter fluxionem & congestionem additur hæc tertia causa, virtus s. formatrix potens agens in materiam non aptam, vnde fit morbus in numero.

Causa efficientes.

Causa efficiens folliculi.

Causa

Causa autem materialis non ita certa est, quoniam libr. 14. meth. med. cap. 12. ipsam non satis explicat: dicit enim vnumquemq; tumorem fieri à materia specie diuersa: tamen non explicat à quo humore fiant hi tumores. Auicennas vero fen 2. lib. 1. doctr. 2. ponit suum nodum inter aposthemata melancholica, quod confirmat Aetius libr. 6. cap. 68. vbi de meliceride in capite agit, in quo serum cum epithymo exhibet. Auicennas præterea fen 3. lib. 4. loquens de his sub nomine nodi addit phlegma: & sic fen 2. lib. 1. ac etiam fen 3. libr. 4. dicit, quod continent aliquid melancholiæ & phlegmatis; quare ex ipso materia duplex est, phlegma scilicet maiori ex parte cum melancholia ipsa, quod etiam probatur; quia ibi exhibet colocynthidem. Quare dico ego & plurimum materiam horũ tumorum phlegmaticam esse & melancholicam, & ratione diuersę materiæ diuersos fieri abscessus: vt si fiant assa, pili & carbones, materia est melancholica, si atheroma, pituita. Melicerids autem materia est pituitosa cum aliqua bilis portione, vt patet ex colore.

Materia horũ tumorum.

Cognoscitur autem folliculus, si apponatur manus, & cutis tantum accipiatur, quæ si deducitur à tumore tanquam quid diuersum ac diuisum, signum est folliculi. Secundo à motu: quoniam reliqui tumores raro mouentur de loco ad locum, vt faciunt isti. Tertium est, quod si comprimantur ac tundantur, sine dolore sunt, cum alij dolores siue abscessus ab inflammatione orti, si percutiatur dolorẽ habeant ex Celso. Quartum est ratione loci: quoniam hi abscessus loca peculiaria habent: in quibus oriuntur: non enim in quacunque parte oriũtur: loca autem ipsis subiecta ex Celso, Paulo & introductorii autore c. 15. ac 16. sunt caput, facies & præcipue circa aures, palpebras, ceruicem & guttur, axillarum cauitates, cubiti iuncturas, genuum articulos ac pedum. Cum itaque hæc aderunt, procul dubio tumor erit vel meliceris, vel steatoma, vel atheroma.

Signa folliculi in abscessibus.

Loca subiecta abscessibus cum folliculo.

Meliceris autem cognoscitur ex apertione, si fluat materia veluti mel vel alba, vel flaua, dummodo compacta sit, vt mel. Cognoscitur vero antequam apetiatur: quoniam tumor erit cum folliculo & humor circumfluit tangendo ipsum, eritq; mollis ac materia cedit digitis: præterea si apponatur manus, tumor subsidet tanquam esset laxum corpus ac spongia compressa. Præterea tarde diffunditur comprimendo, & ablata manu statim recurrit. Præterea si apponatur lumen ex altera parte luciditas appatet in tumore, quo existente licet eius materia aliquando sit tenuior quam mel, tamen est aqua crassior, iudiceris esse melicerìdem.

Signa meliceritis.

Atheroma vero cognoscitur & ab aliis distinguitur primo per eruptionem: quoniam materia fluens est veluti pultacea vel panatella ex pane grattato. Cognoscitur autem antequam aperiatur, quia mollis est tumor, sed non ita, vt meliceris: præterea vltra laxitatem & mollitiem, si lumen apponatur non lucet, vt meliceris: præterea tactu materia crassior apparet, quam materia meliceritis. Steatoma vero cognoscitur per apertionem; quoniam materia est similis lardo. Cognoscitur autem antequã aperiatur, quoniam habet duritiem coniunctam, dummodo non sit glandula: durities autem illa vel est tophacea, vel non admodum dura: si tophacea, erunt gummata gallica, quæ etiam continentur in suo folliculo: si vero leuis erit durities, qualis conspicitur in lardo, erit steatoma. Tertio quando patebit esse abscessum cum folliculo, nec esse gumma gallicum, apparebunt radices maiores ac duriores ac latiores, quam in aliis duabus speciebus, in quibus sunt radices breues & strictæ. Præterea apposito lumine nihil lucet: vltimo cognoscitur per relationem siue collationem ad reliquos tumores: quoniam in isto cutis facilius deducitur, quam in aliis. Sed notandum est, quod quamuis hæ tres species habeant proprios folliculos, tamen sunt etiam alii tumores habentes folliculum, vt strumæ & gummata gallica, & tamen non sunt ponendi inter abscessus.

Signa atheromatis.

Signa steatomatis.

Notandum circa has tres species tumorum.

Quo vero ad præsagium, si cum aliquo horum triũ coniunctus fuerit calor & rubor, tunc minatur suppurationem. Secundo si adsint in capite, & multum hæreant ac diuturni sint, præsagiendum est etiam de corruptione ossis. Si vero sit circa guttur ac caput asperæ atteriæ, difficulter curatur ac ferme nunquam. Si vero erit in reliquis partibus, certa erit salus, dummodo obediat æger Medico.

Præsagium in abscessibus cum folliculo.

De Curatione abscessuum cum folliculo in speciali, & primum de meliceride.

CAP. XI.

QVo autem ad curationem, quoniam meliceris humidior est aliis, ab eo est incipiendum. Si itaq; sit meliceris ingens, & in loco alicuius momenti ac periculum aliquod secum ferens, vt in palpebris, ex Aetio primo ad sectionem venæ deueniendum est, si fieri potest: quoniam licet de se non sit morbus magnus, tamẽ ratione loci est alicuius momenti, dicit Aetius.

Vena sectio.

Ego autem dico sectionem venæ conuenire duplici de causa;altera ratione minuendæ materiæ,altera ratione impediendi fluxionem. Si vero non sit meliceris in loco periculoso,superuacanea est sectio venæ. At si habitus patientis sit cacochymicus,vt vel biliosus,vel pituitosus, vel melancholicus, totum corpus est purgandum per medicamentum conueniens,lenita prius aluo ac materia præparata & instituta optima victus ratione inflammationem respiciente.His constitutis,circa locum affectum ex lib.14.meth.med.c.12.& lib.10.meth.med.c.12.tripliciter procedẽdum est,primo per resolutionem digerendo;secundo per putrefactionem;tertio per chirurgicam actionem.primo tamen digestionẽ tentare debemus. Digestio autẽ fit,si benignus,paruus ac mollissimus sit tumor & perlucidus.Si vero opposito modo se habeat,non est speranda digestio,quia materia illa crassa digestionem non admittit.

Tractatio loci affecti.

Medicamenta digerentia seu discutientia.

Medicamenta autem ad digestionem ex libr.2.ad Glauc.cap.12.in primo loco sunt diachylon simplex,admixto puluere iridis, & pro ℔j.diachylonis addit ℥j.vel ij.iridis,vt hoc modo: ♃.diachylon.simpl.℥xij.pulu.iridis ℥j.vel ij.misce. Secundo in loco deuenit ad diachylon magnum,& ad diachylon cum gummis,cum puluere eodem:tertio in loco est diachylon magnum Mesuæ cum multa quantitate pulu. ireos & aristolochiæ. Ego autem quandoque deueni ad emplastrum de stercore caprino vel canino dissoluto in oxymelle:quandoque ad aliquod medicamentum antiquorum, vt ad illud descriptum lib.6.de comp.med.per gen.emplastrum Alexandri dictum,quod hoc modo fit:

Emplastrum Alexandri.

♃.salis Armeniaci vel Hispani,vel nostratis
lithargyrii
cerussæ an.ʒj.
galbani
opopanac.an.℈iiij.
sem.sinap.ʒß.
ol.veteris ℥iij.
cer.
terebinth.an.ʒj.
aceti q.s.misce,& decoq.ad consumpt.aceti, fiatque emplastrum maxime discutiens.

Emplastrum ex salibus.

Quandoque vero vsus sum emplastro Democrati ex salib.dicto hoc modo confecto:
♃.salis comm.℥j.
ceruss.℥ij.
Galbani
propol.
aristol.rotund.an.℈iiij.
ol.vetust.ss.℥iij.coq.oleum,cerussa & sal simul, donec non inquinet,deinde pulueres iniiciantur.

Si hæc non discutiant, deueniendum est ad emplastrum sacrum, vel diapalma, vel tertio ad emplastrum cerine, quod maxime discutit, & primo cum oxycroceo misceatis, vel secundo in loco solum applicetis; & alia infinita habetis apud Galenum ibidem.

De putrefactione materiæ, & per quæ, & quomodo fiat.

Si modus hic non succedat, ad putrefactionem materiæ deueniendum est. Putrefactio autem multipliciter fieri potest, vel scilicet per caustica ac putrefacientia materiam illam; vel per suppuratoria medicamenta putrefacientia, & materiam & folliculum: sed nos primo loquamur de putrefacientibus folliculum. Putrefit autem folliculus, vt materia contenta putrefcat & acris fiat, vnde erodat ipsum folliculum, vt deinde aperta cauitate omnia contenta educãtur,& etiam insimul folliculus ipse. Cum autem medicamenta maturantia duplicia sint, alia prohibentia vaporum egressum & conseruantia tantum calorem ac obstruentia;alia,quæ non tantum obstruunt, sed etiam calefaciunt, & calefaciendo calorem augent;sciendum est, quod prima nihil fere faciunt in hoc casu; quare ad secunda deueniendum est, quæ sunt emplastra. Vnde Galenus lib.2.ad Glauc.cap.7.facit emplastrum ex caricis cum mica panis & aqua affusa contusis & simul coctis: vel imponatur diachylon magnum cum gummis admixta recenti pinguedine gallinæ, quod concoquit, corrumpit ac suppurat: vel deueniendum est ad vnguentum basilicum minus. Ego autem hoc vtor cum successu ex Rhasi sumpto:

Maturantia quotuplicia sint.

Emplastra maturantia.

Suppurans proprium.

♃.farin.sem.lini ℥ij.
fœnugr.℥ß.
pulu.sem.caul.ʒj.
mucilag. altheæ q.s.misce, simul omnia cruda, & fiat emplastrum, quod

quod supra loco sinatur, donec per se cadat. Vltimo loco soleo accipere caricas crudas optime contusas in mortario, deinde addo vnam cochleam viuam integram simul contundens, & cum cortice cochleæ applico & relinquo supra loco, donec per se cadat, & sane mira facit. Facta sanies euacuanda est, prius cognito folliculo maturato ex vesicula putrefacta, quæ cognoscitur: quoniam, cum ante medicamentorum impositionem cutis crassa sit, post ipsorum casum cutis illa renuissima fit ac mollis, & quasi materia aquosa ad tactum apparet. Præterea ex ipsa tenui, vesicula aliquid exudat, quando corruptus est folliculus. Præterea non potest separari cutis ab abscessu, cum tamen antea sequestrabatur, neque deduci de loco ad locum ratione materiæ, quæ ad cutim peruenit, nec amplius adest folliculus. Hoc cognito, vel expectanda est cutis descriptio per se, vel secanda in modum crucis, quando præcipue tumor magnus est: si vero paruus, vna tantum sectio per transuersum fiat. Et duplici de causa aperitur cutis: primo vt vndequaque euacuetur abscessus, secundo, vt possit conspici fundum abscessus. Ex hac autem apertione ac sectione primo liquor contentus effluit, quo euacuato folliculus est extrahendus. At si adsit fluxio sanguinis, albo oui vesica imbuatur. Si vero non adsit fluxio, obseruandum est, an aliquid folliculi remanserit, quia non fuerit maturatus ex toto, vnde si remanserit, recentiores dicunt, tunc esse implendam cauitatem totam caustico medicamento, vt Ægyptiaco simplici vel composito, vt erodatur folliculus, & ita auferatur: sed ratio hæc mihi non placet, sed magis approbo rationem Celsi, qui dicit, quod remanente folliculo iterum perfectæ concoctioni incumbendum sit, non impediente fluxione sanguinis: vnde sunt imponenda concoquentia per tres vel quatuor dies. Cum vero per aliquod tempus maturantibus vsi fuerimus, ad detergentia deueniendum est ac concoquentia, vnde ego aperto vlcere vti consueui terebinthina cum oleo mastichino: vel misceo mastichinum oleum cum abietino, vel loco mastichini, vtor ol. amygd. dulc. Quandoque vero album oui, & vitellum etiam miscendo vomicam his implere consueui. Cum autem per duos vel tres dies vsi fuerimus his, nec tamen per se cadat folliculus, sed pars ipsius remaneat, tunc non ad robustissima deueniendum est, sed medicamento tantum Isidis vel præcipitato, vel vnguento absterfiuo, vel præcipitato admixto alumine rochæ combustæ cauitatem implendo, & per duas dies in loco relinquendo folliculum auferre tentabimus: quoniam hoc absque inflammatione facit. Transacto secundo die ego educo præcipitatum: quoniam secum follicum etiam trahit: vel deuenio ad squamam æris præparatam eodem modo applicitam, vel ad Ægyptiacum per se, vel etiam præparatum cum ol. ros. & cera alba tantundem.

Vesicula putrefactæ signa.

Vesicula secanda cutu.

Ratio secandi cutis.

Si sit fluxio sanguinis in sectione.

Si folliculi pars remanserit in sectione, quid agendum.

Si pars folliculi remaneat post vsum medicamētorum.

Folliculo vero extracto expleo carne vlcus ac cicatrice cum epuloticis alias dictis, & hoc est primum genus putrefactionis.

Folliculo extracto quid agendum.

Sed notandum est, quod raro succedit per medicamenta putrefactio hæc, quare ex recentioribus ad caustica deueniendum est, quæ etiam ratio à me maxime laudatur, quoniam optime succedit, quando volumus cito sanare, & præcipue si folliculus sit in loco, in quo non timemus turpitudinē cicatricis, quæ fit à causticis. Quare circa faciem vel frontem non est his causticis vtendum, sed in aliis tantum locis. Causticorum vero materia alias proposita est, vt capitellum ex lixiuio vel ex salibus confectum, vel aliud simile, quod possit tumorē cum folliculo exurere; quo exusto butyrum imponatur ad eschara casum, deinde expleatur locus carne, ipso tamen prius mundato, deinde cicatrix obducatur. Tertius vero modus educendi folliculum est per sectionem, quæ ab Albucasi, Auicenna, Aetio, Celso, Paulo & omnibus laudatur ex lib. 14. meth. capit. 12. vnde prius expurgato ac præparato corpore cutim folliculo superpositam per transuersum secamus, optime aduertentes, ne in hac sectione folliculus pungatur aut rumpatur, vel incidatur, sed integer extrahi possit: quoniam si integer & totus extrahi non potest, tunc causticis vtendum esset: sed si paruus sit folliculus, vnica sectione ad folium myrthi vtimur cutim duplicatam vel sella arripientes & sectionem ad folii myrthi similitudinem facientes: hoc facto apponantur hami cuti vtrinque, vt distendatur & sensim digitis ac ambabus manibus in cauitatem positis folliculum à circumstantibus partibus ac subiecta carne separamus, labia scilicet sectionis diducendo, donec appareat folliculus, & cutim deinde ab ipso liberemus. Et quamuis Aetius & alii etiam dicant, gladiolo folliculū extrahendū esse, ego tamen laudo magis, quod manib. extrahatur, si fieri potest. At quoniā aliquando partes illæ difficillime separātur, & nisi sit expertus chirurgus, tunc nouacula folliculum à subiecta parte diuidemus fibras secando aduertentes, ne folliculus pungatur: præterea ne neruus pungatur aliquis, sed potius per trāsuersum excidatur; & sic de venis & arteriis, quæ potius distrahendæ sunt, si opus est, quam pungendæ, deinde folliculus educatur. Cum vero folliculus ali-

Causticorum vsus.

Vsus causticorum quibus in locis corporis sit fugiendus.

Folliculi eductio per sectionem.

Notandum circa neruos venas & arterias in sectione.

culus est momenti, totus extrahi debet cum eius radicibus: si enim aliquid relinquatur, potest reuerti. Quare si adsit radix, paulatim eradicabitur & extrahetur.

Si radix folliculi relinquatur.

Cum autem quandoque accidat, vt disrumpatur folliculus, & aliquid radicis relinquatut, tunc est imponendum præcipitatum cum alumine tochæ, ex quo in duabus tantum vicibus eradicabitur. Si ve[illegible]d os hæreat, deradatur os vsque ad meditullium. Educto folliculo labia vulneris con[illegible]antur: deinde glutinatoriis sanentur. Si autem cutis rugas faciat, ne turpitudo fiat, amputanda est. Si vero magnus sit tumor, secetur in crucem, extrahatur folliculus, deinde consuatur & cicatrice obducatur, & ante consutionem, si cutis in magna sit quantitate, vt decidat ac rugas faciat, vt accidit quandoque in fronte & facie, tunc ab vtroque latere labii vulneris forcipe secare oportet partem pelliculæ, & postea consuere.

Cur puerorum capita præcipue patiantur meliceridas.

Talpa.

Nodus.

Ranula.

Hernia aquosa.

Cum autem præcipue melicerides in capite puerotum oriantur: quoniam plurimo crudo sanguine abundant, vnde in his non solent fieri à purissimo melleo liquore: sed vt plurimum in his inflammatæ sunt: & ideo quia varia est eorum matetia, vario etiam nomine donantur à recentiotibus: nam si meliceris in capite oriatur, talpa, topinaria, testudo & talparia vocatur. Nascitur vero quandoque in palpebris, & tunc dicitur nodus palpebrarum, vel lupia palpebrarum, & tunc per sectionem potissimum curatur inuertendo palpebram, & cutem ipsius internam secando & folliculum extrahendo. Secatur autem cutis interna palpebrarum, quoniam si externa secaretur, excideretur etiam musculus per transuersum claudens oculum, & maxima fieret turpitudo. Si sub lingua nascatur, ranunculus dicitur vel tanula, vel batrachia, vel batrachos, & tunc non per chirurgiam, sed per digestionem vel putrefactionem curatur, mandantes vt æger in ore decoctum caricarum & passularum detineat, donec maturescat. deinde materiam extrahimus, & postea locum implemus melle rosato. Si circa testes oriatur, dicitur hernia aquosa, quę curatur suo loco, vt infra. Si fiat hic tumor in folliculis ac contineatur in vesica propria, curatur maturantibus & sectione, concocto folliculo. Si vero non habeat proprium folliculum, sed cōtineatur in scroto, incurabilis est affectio: & hæc de meliceride.

De Atheromate. Cap. XII.

Natura & materia.

ATheroma est tumor grauior, malignior ac deterior omnibus nodis, quoniam habet in se diuersitatem humorum, & diuersam materiam ac inęqualē continet; nam habet humores aliquos impactos, vt pulticula; præterea habet materiā serosam partes erodentes habentem & acres, quæ dicuntur serotæ: quoniā similes sunt sero lactis, quæ partes subiectas erodit, vnde ossa, membranæ ac panniculi putrefiunt & eroduntur, ideo raro accidit, vt atheromate aperto non reperiatur os cancerosum vel denudatum vel cariosum factū ac foraminibus plenum & erosionibus refertum. Atherona autē vt plurimum in capite oritur, rarissime autem in aliis partibus, & dicitur talpa vel testudo, vel talparia à barbaris.

Curatio.

Loci affecti tractatio.

Scopi in cura atheromatis.

Putrefactio.

Curatio huius est in iisdem capitibus meliceridis, vnde quo ad victus rationē, eodem modo procedendum est, item quo ad euacuationem: & multo magis secanda est vena in atheromate, præsertim capitis: postea proposita materia pituitosa, vt plurimum ac melancholica euacuabitur per medicamēta dicta in meliceride. Circa locum affectum Gal. lib. 14. meth. med. c. 12. tria capita ponit, primo digestionē materiæ; secundo putrefactionem; tertio sectionem, quæ omnia in meliceride conueniunt; sed in atheromate duplex tantum ratio conuenit, putrefactio scilicet & excisio; non enim cōuenit digestio propter materiæ crassitiem: quoniam cum particula in atheromate duplici genere humoris conster, per resoluentia partes tantum tenues pulticulæ resoluentur, crassior vero in latdum cōuertetur, ac magis incrassabitur & tophacea etiam fiet. Putrefactio autem materiæ dupliciter fit, vel scilicet cum cōcoctoriis, vel cum causticis; prius tamen ad concoquentē putrefactionem est deueniēdum, quæ perficitur cum dictis in meliceride. Si autem hæc non succedat, veniendum est ad caustica dicta in ipso. Facta autem putrefactione, aperiatur vomica, educatur materia, maturetur folliculus ac detergatur ac consolidetur.

Sectio.

Altera ratio erat sectio, in qua eadem est ratio seruanda, vt in meliceride, vt scilicet secetur cutis ad foliū myrthi vnica sectione, si mitius ac minus sit atheroma; in maiori autem ac sæuiori in modum crucis, deinde sepatandus est folliculus, membranę & ligamenta, & extrahendus vnà cum materia, deinde locus consolidandus cum barbaro vel simili dicto in meliceride.

Si folliculus atheromatis ossi hæreat.

Sed cum sæpe folliculus atheromatis ita ossi hæreat, vt non possit de loco ad locū deduci, nec ita facile excoriari aut auelli ab osse vel panniculo subiecto, in hoc casu dimit-

tenda

tenda est auulsio folliculi integri, sed superandus est caustico medicamento. quod tamen ego non laudo, nec approbo, sed magis probo putrefactionem materiæ, deinde vti oleo præcipitato cum alumine rochæ combusto, vt in meliceride.

Cum autem raro fiat, vt in atheromate capitis os detectum non sit, ac corruptum folliculo etiam auulso, præcipue si antiquatum sit atheroma: ideo recentiores monent, vt obseruetur, an corruptio ossis magna sit nec ne. *(Si os detectum & corruptum sit.)* Et si os nō est corruptum, omni arte auellendus est folliculus, postea os abradendum diligentissime, & cum puluere cephalico aspergendum, vt est pulvis iridis, aristol. rot. peucedani & orobi amari an. partes æquales, quibus postea aspergatur os.

Si vero denigratum & corruptum sit os & cariosum, monent Guido & Rogerius, vt videamus an pars corrupti ossis multa sit, vel parua: si enim sit parua, abradatur os vsque ad meditullium, vel partem sanam, deinde illis pulueribus carne vlcus explendo ipsum sanemus. *(Si parua sit ossis corruptio.)* Si vero magna sit corrupti ossis pars, tunc perniciosum esse dicunt, & ipsius curam aggredi non consentiunt, sed volunt medicamento palleante tractandum esse, vt siccantibus medicamentis moderatis: vel est talis cura aliis dimittenda, quia perniciosa est admodum.

Alii vero audaciores, vt Petrus ab Argillata & Ioannes de Vigo ferro etiam ignito os vrūt aut deueniunt ad ipsius denudationem, quando ipsum corruptum esse vident: sed ego dico talpas has nunquam esse tam sæuas, vt sit opus tali curatione, vt patet in gummatis gallicis, in quibus corruptio quandoq; deuenit vsque ad membranas, nec tamen vnquam aliquem mortuum fuisse vidi: quare dico ego, quod, si os corruptum est, videndum sit, an corruptio sit profunda nec ne; *(Opinio propria ac curatio.)* & si non sit profunda, deradenda est ac siccanda; & deradendo vsque ad partem sanam, deinde imponendo puluerem isidis, donec tegatur carne. Si vero magna sit ac profundior ossis corruptio, neq; vstio, neq; palleatiua curatio laudatur à me, quia facit, vt morbus grassetur, progrediatur & sæuiat, & totam etiam caluariam quandoque corrumpat, quod accidit in morbo gallico, in quo casu nisi palleatiua curatione vtuntur hi. Nec etiam mihi placet vstio: quoniam ea semper timenda est in capite, licet antiqui quādo exurant, nunquam tamen, vt rem ingenue fatear, ausus fui ego hoc facere, nisi in affectibus frigidioribus: quoniā facillime membranæ subiectæ inflammātur. Quare si corruptio profunda sit, & vsque ad cauernulas ossis penetrans, non est ex mea sententia abradendum os: quoniam sic detegeretur membrana; sed totum os sum solitus detegere corruptum, etiam quod dimidia caluaria esset corrupta: & venio ad magnam ossis exiccationem per robustissima medicamenta exiccantia vt os abscedat, vt oleo chalcanthi vel sulphuris ipsum permittendo vsque ad profundum cariei penetrare, vel aqua sulphuris, vel vsus sum aqua magistrali ex alumine os ipsum tangendo alternis diebus gossipio aqua dicta madefacto, cuius aquæ descriptionem videre potestis in tractatu de morbo gallico, cum qua & aliis dictis semper pro attemperatione soleo miscere aquam rosaceam, & quotidie etiam mane hoc os tangere consueui, deinde totum os inspergere cephalico arido vel non arido, vt puluere iridis, deinde tego vnguento Isidis totum vulnus. Exteriora vero cooperio diapalm. mixto cum linimento simplici: nec est timendum in hoc casu, nisi ingens refrigeratio. Aliquando vero aperto atheromate os separatum conspicitur, *(Si os corruptū separatum sit.)* quod volsella extrahendum est: quoniā quando os ita corruptum est, vt eius corruptio ad membranam veniat, natura tunc ipsum sequestrat, & loco eius carnem generat pro tegumento membranæ. Ablato osse videndum est, an circumpositæ partes ossis detectæ sint, nec ne, & si detectæ sint, licet non labatur, tamen pars illa ossis detecta separabitur. At si non apparet os, quod deberet apparere, sed carne sit tectum, carnem illam specillo comprimere sum solitus, *(Si corruptum os non appareat.)* & tentare an laxa sit, & bene ossi hærens. Quod si bene hæret ossi caro, quod cognosco, quia specillo non cedit, ac specillum ad os peruenire non potest, sanum est os. Si vero specillum ad os peruenit, & caro cedit ac laxa est, signum est quod abscedet caro & corruptum os illud separabitur, quare tunc abluo ego partem illam decocto betonicæ, iuæ, aristol. rot. & similibus: quo facto super membranam medicamentum siccans pono, vt ceratum ex pipete, vel vnguentum de matresylua, vel vnguentum de gummi elemi, vel de betonica dissolutum cum cerato rosato vel ol. rosato, vel ad Isidem cum diapompholyge tantundem deuenio, & his membrana tegitur.

Si vero caro adest super osse, quæ bene non hæret, eam absumo cum aqua aluminis magistrali, vel oleis aluminosis, vt sulphuris vel chalcanthi. *(Carnis auctæ absumptio.)* Sed aduertendum est, ne aqua perueniat ad membranam: ideo primo tegenda est cum supradictis, vt non tangatur; & sic caro hæc eximetur ac consumetur. Os autem detectum manens pulueribus dictis inspergatur, donec abscedat. Si vero corruptum est, extraho, quanquam etiam in magna quan-

titate detecta esset membrana. Si vero abscessum nō est os, abluo dictis decoctis, & medicamēta dicta impono. Quod si vero cato illa rubicundior sit, aliqui imponunt vnguentum de plumbo, vel de pipere: sed ego laudo ea, quæ iam dicta sunt in principio huius, in eam postea cicatricem pono gossipium, eamque expleo: & hoc modo procedo etiam in puerulis etiamsi valde sit detecta ipsa membrana.

De Steatomate. Cap. XIII.

Nomina & materia.

STeatoma vero ab Auicenna dicitur nodus, & à recētioribus natha, & à Græcis Στεάτωμα, qui lardo materiam in folliculo similem habet, & hoc peculiare habet, vt ad insignem magnitudinem crescat, vt quandoq; ad xi. vel xij. libras deueniat.

Loca subiecta huic tumori.

Solet autem crescere præcipue circa ceruicem in parte gutturis anteriori, ita vt faciat herniam gutturis, quæ βρογχοκήλη dicitur: præterea circa humeros, circa ceruicem posteriorem, & in axillis, in poplitibus etiam, in articulo cubiti, ac in omnibus fere locis, in quibus meliceris & athetoma oriuntur.

Signa. Curatio. Vena sectio.

Signa huius tria sunt illa dicta. Curatio etiam tribus continetur capitibus. Quare victus eadem circa cibum & sex res esse debet. Secanda est vena, ne coaceruetur materia in loco steatomatis, quæ ad venas defertur, præcipue cum insigne erit: quoniam fit, vt cæteri tumores à natura non errante, & est veluti nouum membrum additum: quoniam venas habet proprias alentes, quare nisi secetur vena, id conspici posset, quod ad membra resecta solet subsequi, nempe sputa cruenta, fluxus sanguinis & huiusmodi, quia nō potest absumi copia sanguinis, cum desit membrum illud, in quo est.

Præterea alteretur materia pituitosa crassa, à qua fit steatoma per medicamētum ex colocynthide, vel aliud pituitam euacuans: quoniam in hoc non est speranda resolutio ratione crassitiei materiæ: quoniam panniculi non possunt resolui. Nec curatio succedet per concoquentia & maturantia: quoniam non adest humor in steatomate: ad hoc enim vt fiat putrefactio, requiritur necessario humor. Sed materia steatomatis est materia ac corpus contrarium lardo simile. Per putrefactionem autem factam per caustica curari potest, si non sit valde magnum: sed curatur, si continuo ac continuo manibus moderate atteratur, donec mollis fiat, postea compressione digitorum tantum sanatur: materia enim illa liquefacta expellitur ad partes circumpositas, & ita discutitur. Per caustica autem stricte ligādo partem cum trociscis de minio Ioannis de Vigo perforando steatoma, & vnum ex dictis trociscis in ipsum imponendo: hoc enim modo putrefiet, & per se cadet, vel imponendo micam sublimati præparati cum ol. amygd. dulc. quod impositum vtet. Si vero radices aliquæ in fundo maneant, vt solent, præcipitato ac alumine rochæ vsto hauriātur. Si vero hoc modo curari non potest, curatur per chirurgiam, vt meliceris, quæ etiam curatio est melior aliis omnibus.

Curatio per caustica.

Curatio per sectionem, si sit pendens.

Si itaq; steatomata sint magna, vt plurimum pendēt, & cum pars illa, à qua pendent, soleat esse tenuis & sub alis, in quibus pendētia maxime oriri solent, vt cucurbitæ videantur, tunc vel nouacula, vel forcipe acutissimo vno tantum ictu steatoma totum vsq; ad radicem ac pediculum, à quo pendet, amputatur, nec dubitādum est de sanguinis fluxu, imo permittēdum est fluere maximam copiam sanguinis, respectu tamen virium: deinde imponenda sunt illa, quæ sanguinem supprimant, & radices, si quæ erunt, præcipitato ac alumine rochæ combustæ eradicabuntur: deinde curetur vlcus & cicatrice obducatur, vt in melicetide. Si vero non pendeat, sed radices latas habeat, nō est tuta sectio, præcipue circa guttur: quoniam vel nō sanantur, vel semper relinquitur aliquod vlcus, quod postea conuertitur in fistulam: non possumus etiā abscindere, quia locus est maxime periculosus & sensibilis: nec etiā vti possumus causticis, nec ferro candēte ratione loci, & quia nescimus, quousq; deueniant radices, neq; quousq; vis caustici sit descensura, deinde periculum est ne vrantur membranæ subiectæ vel musculi, & fiant inflammationes perniciosissimæ, vt angina. Quare sectio non est tuta, si sit in loco momenti. Ego tamen aliquando deueni ad sectionem steatomatis circa scapulam ipsum secans per transuersum, & dimidiā illius partem relinquebam in loco, sed caustico deinde sæpius applicato, quia pars illa lardicea non sentit, & ita vltimo abstuli folliculum, quo educto vsus fui cura vlceris.

Si non pendeat.

Si sit circa guttur.

Sectionis modus proprius.

Vsus lamina plumbea. Steatomatis disruptio per digitos.

Aliqui vero incipientia steatomata dissipant cū lamina plumbea. sed non succedit, nisi sit in illo primo principio: sed in athetomate & melicetide sæpe succedit. Alii solent distūpere steatomata recentia & digitis dissipare. deinde imponere laminā plumbeam actu frigidā; prius tamen fricato tumore, quę lamina sit crassa & excauata parum, ita tamen, vt (lamina) ipsa non tangat partes vicinas sanas. Sed hæc curatio succedit tantum in steatomatibus circa glādulas & chordas; ideo melius est curare ipsum modo dicto; & hæc de nodis.

De

De Tumore illo, qui aneurisma vocatur, & inter tumores materiam collectam habentes refertur. CAP. XIV.

INter tumores materiam collectā habentes est aneurisma, quod est affectio arteriarum, quasi dilatatio arteriarum, quia dilatantur ita, vt tumorem præter naturā excitent: barbari emborisma corrupta voce nomin. .it, vnde posteriores etiam ita vocarunt. Ab Auicenna autem vocatur mater sanguinis & arteriarum, quia ibi crassiores sunt arteriæ, vt dicunt interpretes.

Si naturam huius quæramus, est tumor blandus tactu, digitis cedens, concolor cuti ex sanguine & spiritu factus, plenus ac turgens cum pulsatione arteriarum addita. Et hæc est natura eius & definitio. *Natura & definitio.*

Causæ autem potissimū geminæ sunt, fractura scilicet vel vulnus arteriarum, pro prima ex Paulo & Aetio: quoniam pars in hoc tumore primo patiens est arteria, quando scilicet cutis percutiatur, non autem per interius, vel si consolidata sit, iterum rumpitur. Altera causa est anastomosis, id est, apertio arteriarum, quando scilicet per se aperiuntur ipsarum oscula, ita vt exultet sanguis, & sibi paret cauum callosum & abscessum. Huius autem dilatationis arteriarum variæ sunt causæ, quarum prima est violentia & diuturna spiritus retentio, vt accidit in mulieribus difficulter parientibus, in his præcipue, quæ per spatium duorum vel trium dierum fœtum emittere conantur: secunda est mollities ac laxitas arteriæ, tunc enim crescit & extenditur in molem maximam, quæ postea sanguine sensim & copioso fluente impletur: tertia est clamatio magna ac violenta vociferatio. Maior tamen pars aneurismatum solet euenire ex vulnere, vt patet in phlebotomia, quando tonsor venam pungere credit, & arteriam secat. *Causa præcipua.* *Causa dilatationis arteriarum.*

Causæ autem internæ sunt primum sanguinis arteriosi ac spumosi acredo: Secundo spiritus intensio, quibus fit, vt arteria vel rumpatur vel aperiatur, clamores magni, contusiones, concussiones, obstructiones, quæ vt plurimū sunt causæ internæ aneurismatū. Qui enim patitur obstructiones in liene, raro est, vt non patiatur etiā aneurisma in arteriis mesenterii ad lienem deueniētibus, & ita deinde communicatur hæc affectio per omnes arterias eiusdem lateris, & ita durum fit aneurisma hoc, quod crescit ac dilatatur per omnes atterias eiusdem lateris etiam minimas, quæ deinde fiunt osseæ, vt ego testor me vidisse in quadam muliere: quoniam sanguis ille exustus non poterat euaporare, vnde etiā arterias capitis osseas causaui ratione contusionis, quæ fiebat ab arteriis in ossibus circumpositis ac neruis, & ideo acquisiuerunt illam duritiam, vt patet in manibus rusticorum. Causa præterea est abundantia spiritus melancholia in arteriis ac sanguinis spirituosi, melancholici tamen, contenti in arteriis: sicuti ego habeo exemplum de quodam bibente decoctum guaiaci, qui cum bibisset per tres vel quatuor dies tale decoctum, & tādem ad vinum soluens deuenisset, neque tamen per sudorem nec aliqua alia via potuisset solui, sanguis ita exustus fuit, vt aneurisma subsequeretur, illudque satis insigne. Quare duplex tantum est aneurisma, alterum scilicet dilatatio arteriç sine fractione vel apertione arteriæ, quod proprie vatix arteriarum dicitur ac aneurisma: quoniā sicuti vatix dicitur venarum dilatatio, ita dici etiam arteriarū debet. Alia est species, in qua aneurisma est extra arteriam, vt quādo vulneratur arteria, vt accidit, dum imperiti chirurgi secant ita profunde venam, vt etiam arteriā pungāt, & sic venę vulnus cito agglutinatur, vulnus vero arterię tarde ob ipsius motum & substantiam; vnde sensim ac sensim sanguis coacervatur, & ex arteriis percolat & cauitatem sibi parās aneurisma facit, qui sanguis factus callosus facit sibi folliculum extra arteriam. Materia autem aneurismatis per dilatationē facti est sanguis spirituosus. Materia autem facti per vulnus est materia sanguinea in grumum conuersa; vnde quamuis in vtroq; eadem sit materia, differunt tamen substantia: quoniam in aneurismate per dilatationem sanguis est in proprio vase, & ideo tenuis est & eliquatus, in aneurismate vero per vulnus facto grumosus est, quia continetur in folliculo, ac cauitate extra proprium vas; & tunc non est arteria, quæ facit aneurisma, sed materia, quæ percolatur ex arteria. *Cur arteria fiāt quandoq; osseæ.* *Aneurisma quotuplex sit.* *Materia aneurismatum.*

In quocunque autem loco oriuntur tumores hi, sed præsertim in capite, & qui habent aneurisma in capite, videntur habere caput obuolutum galea ignita: quoniam maximum feruorem percipiunt: & si casu ita scantur vel vino percutiantur, non possunt ob feruorem consistere. Suboritur etiam circa mentum & crebro, ac circa malas inferiores in arteria anteriori ad dentes percurrente: tertio in faucibus & circa collū & circa ceruicem, in axillis, in inguinibus, circa articulos, vt in flexura cubiti vtriusque, in poplite etiam quandoque. *Loca subiecta aneurismati.*

Præterea mesenterii arteriæ huic subiiciuntur, & circa lienem, & tandem omnia lo-

ca, in quibus sunt arteriæ insignes, quæ vel pertundi vel dilatari, vel laxari possunt. Frequenter autem oriuntur in abdomine, in hypochondrio sinistro, & in his, qui sunt habitu melancholici, vt ego vidi in quadam vetula, in cuius arteriis pugnum immittere poteram & immisi.

De Signis aneurismatum. CAP. XV.

COgnoscitur autem aneurisma in genere primo ex tumore cum eodē colore, quo scatet totum corpus, vel simulatur color, mutatur in liuidum vel nigrū, vel purpureum, vel puniceū, vel rubrum sine inflammatione, & hoc est secundum signum; tertiū signum est, quod si comprimamus, nullus adest dolor vel paruus, & dum comprimitur, euanescere videtur tumor, ac materia in profundo delitescit, sed ablatis digitis iterū reuertitur materia, & crescit tumor: quandoq; tamen excitatur ex compressione dolor, nec facile materia eliditur, vt in iis quæ magna sunt ac insignia, in quibus maximi etiā fiunt dolores: quoniam cum multa sit materia sanguinea educta ex arteriarum cauitate, si cōprimatur violenter, dilatat arterias adiacentes, quoniā ob copiam nō potest in ipsis recipi, vnde fit veluti solutio continui & dolorosus effectus: quare quamuis dicant scriptores nō adesse dolorem, loquuntur vt in pluribus. Præterea non omnia aneurismata sunt mollia, sed dura, vel ita tensa, vt dura videantur, vt plurimum tamē mollia sunt, ideo cauti sitis. Quartū signum est pulsatio, sed quandoq; fit tumor in ceruice ac struma, in qua pulsat arteria glādulæ hærens magna, ratione cuius videbitur pulsare tumor, non tamē erit aneurisma, quare ad alia signa deueniēdum est. Vnde cum tumor est concolor cuti cum pulsatione, nisi sit inflammatio nec feruor, erit aneurisma, dico autē pulsationem adesse in aneurismate in genere: quoniam in aneurismate per dilatationē pulsatio adest per se: in aneurismate autē per vulnus adest pulsatio, quia cum arteria dilatatur, sanguis copiosus effluit ex ipsa & recurrit in folliculum, cum vero constringitur, iterum recurrit ad arteriam sanguis, vnde cadit aneurisma, & ita fit hæc pulsatio. Vltimum signum est, quod si casu pungatur aneurisma absq; cognitione ipsius, sanguis egreditur per saltum vel insultum, vt ex arteria apertā.

Signa specierū aneurismatis, & primo illius per dilatationē.

Quo ad species autem aneurismā per dilatationem cognoscitur ratione situs ac loci: quoniam erit tantum in partibus penitioribus ac profundis corporibus, raro autem in superficie: paucæ enim partes extimæ, quæ habeant arterias patentes & cōspicuas. Loca autem tales habentia arterias sunt tali, tēpora, summus vertex, corpus: vnde cum arteriæ sint in profundo, non possunt contundi aut vulnerari: quādo vero fit per vulnus, fit in superficie & locis dictis. Secundum signum est, quia est mollior tumor, quam qui fit per vulnus: quoniam in illo per dilatationē materia est veluti spongia, quia sanguis tenuis est: in facto vero per sectionem grumosus est sanguis. Tertio adest quædam laxitas quandam veluti spongiosam materiam referens. Quarto est longitudo; longum enim est illud aneurisma vel intortum siue capreolare: quoniam talis est eius figura arteriæ: in illo vero per vulnus apparet vt plurimum rotunditas. Quinto si cōprimatur, videtur materia delitescere cum quodam strepitu, veluti si esset flatus, sed ego hoc negās dico, id potius in alio vidisse, quoniam strepitus ille non potest fieri, nisi ex materia absorbta ex cauitate in cauitatem, quæ labatur per meatum angustum, vt est in illo per vulnus: at in aneurismate per dilatationem non fit ista elisio: quoniam arteria contrahitur, & sic sanguis colligitur, non autem eliditur, sed sensim per poros plurimos egreditur in cauitatem arteriæ. Præterea in illo per vulnus est sanguis inæqualis & grumosus, ex quo eliso fieri potest strepitus & rugitus ob inæqualitatē sanguinis elisi ex cauitate in atteriam. Penultimo cognoscitur aneurisma ex dilatatione per arteriā pulsantem, illud vero à vulnere non pulsat, vel parum pulsat: quoniam sanguis ex grumosus factus, & ideo durus est tumor & quandoq; callosus, vnde non potest fieri magna pulsatio, sed illa quandoq; delitescit ad manus impositionem. Sed notandum est, quod quandoq; ita plena est arteria, vt non percipiatur pulsatio, vt accidit in axillis & mento, in quibus quandoq; ego pulsationem non percepi, sed titillationem tantum: quoniam plena erat arteria, vnde pulsare non poterat. Vltimo vero cognoscitur ex causa efficiente: quoniam si fuerit in brachio, sciatis esse ex vulnere, præcipue cum præcesserit venæ sectio, cum vero fit à magno conatu, per dilatationem est.

Quibus signis distinguatur aneurisma per dilatationem ab eo per vulnus.

De Curatione aneurismatis. CAP. XVI.

ANeurisma autem quodcunq; dupliciter tātum sanari potest, aut scilicet medicamentis aut chirurgia: sed non omne aneurisma duplicem hāc curationem admittit, quoniam magna illa aneurismata ac ea, quæ sunt in magnis vasis ac in partibus penitioribus, & circa magnas arterias, vt quæ in ceruice sunt circa colli arterias, & in axillis, & in inguinibus

nibus poplitibusq; manualem actionem non admittunt: quoniam spiritus exirent, & vna cum sanguine vita. Aetius autem lib. 15. cap. 10. dicit, quod aneurismata capitis sunt lethalia, & ideo non esse manu tractanda: at Paulus lib. 6. cap. 18: oppositum dicit: quoniam inquit posse tractari aneurisma capitis etiam ferro. Ego autem vtramque hanc sententiam & veram & falsam esse dico, si simpliciter intelligatur: quare distinguendum est; nam in capite duo sunt genera aneurismatum, sicut etiam duo sunt genera arteriarum: sunt enim arteriarũ propagines cum internæ tum externæ; vnde si fit aneurisma in arteriis per tempora discurrentibus ac iuxta aures, quia possunt ligari, possunt etiam ferro secari; ideo de his loquens Paulus, vera dicit. Si vero aneurisma fit in arteriis ex profundo ab osse capitis deuenientibus ac disseminatis per duriorem ac internam cerebri membranã, & vocatur venæ puppis ac geminæ dictæ perforantes ossa capitis, vbi est lambdoides sutura, tũc non est tuta chirurgia: quoniam ratione ossis non potest aneurisma filo ligari commode ac recte: præterea sanguis, qui solebat educi per aneurisma, regurgitabit ad intra, & ita suffocabitur, vndè si sanetur aneurisma in partibus externis per excisionem, excitabitur maius in internis, ad quod respexit Aetius, cum dixit sectionem non conuenire. Si autẽ aneurisma fuerit in flexura cubiti, in mento & alia parte capitis, in carpo, vel brachiis vel cruribus, omnia commode possunt per chirurgiam tractari, quæ actio magis quã medicamenta laudatur ab omnibus.

Conciliatio Pauli cum Aetio.

Venæ puppis.

Quoniam autem debeat tractari per chirurgiam ex Paulo lib. dicto, & ex Aetio lib. 15. cap. 10. à quibus accepit Albucasis, oportet distinguere, an per dilatationem sit aneurisma, an vero per vulnus: nam si sit per dilatationem, exempli gratia, in flexura cubiti, vnum modum proponit Paulus, alterum vero Aetius: sed modus Aetii tutior est, quamuis difficilior. Pauli vero periculosior, etsi facilior. Aetius autem vult, vt infra alam per spacium quatuor digitorum tangamus arteriam pulsantem, & ibi faciamus sectionem per longum totum aneurisma à cute separantes, ac arteriam detegentes, deinde filo aneurisma ab vtrisque eiusdem partibus siue capitibus vinciamus, ne sanguis, dum secatur aneurisma, maxima copia fluat & actionẽ impediat: quare ponatur illud filum duplex cum acu, & ei nodus addatur, postea ad locum affectum venientes in medio horum nodorum siue deligationum aneurisma scindamus, vt tota repleatur carne arteria illa, ideo non tantum pungi, sed per longum totum aneurisma secari debet, postea manna thuris cauitas impleri, & aloe, vt vulnus sanetur, his vtentes vsque in finem, donec vincula cadant. Et carne repletus sit locus & cicatrice obductus. & hæc tutissima est actio, sed nimis molesta ob duplicem sectionem: ideo Paulus est contentus vnica sectione, quod scilicet vinciatur vtrobique arteria, postea in loco affecto solum secetur, deinde puluis mannæ thuris inspergatur, & aloe vel puluis myrthi cum aloe, semper tamen locum obuoluendo fascia vino austero vel posca madido.

Aneurisma per dilatationem quomodo tractandum.

Aetius modus tutior.

Pauli modus.

Si sit aneurisma per vulnus, nullo modo debet secari cutis, sed modo staphilomatum sanetur arripiendo digitis aneurisma totum quantum potest, postea accipiatur acus cum gemino filo, & ipso traiiciatur aneurisma inter manũ & digitos, vt perforetur radix ipsius, deinde secare filum, vt cadat acus, postea filo relicto radicem constringere cum vno scilicet apice fili ex vna parte & cum altero ex alia & validissime stringendi ita vt optime ligetur.

Aneurisma per vulnus quomodo tractandum.

Ego autem traiicio acu ipsum aneurisma, quamuis sine traiectione fieri posset deligatio, quoniam ex hac traiectione non est periculum, vt dissoluatur deligatio, vti si ligetur absque traiectione: si enim in exteriori tantum parte vinciremus, periculum esset, ne fugeret radix aneurismatis, ideo traiiciendum est acu.

Modus secandi proprius.

At quoniam sæpe vinculum vnum cum illis duobus filamentis satis non est, ideo monet Paulus, vt altero gemino filo traiiciamus radicem, per contrarium tamen primæ traiectionis & iterum ligemus, deinde secandum est aneurisma & sanguis ille educendus, postea imponenda manna thuris & aloe, & obuoluendum panno madido vino & oleo rof. oleo quidem ad leniendum dolorem; vino vero ad prohibendum fluxum, his vtendo à principio vsque quo locus expleatur carne & obducatur cicatrice, & vincula cadant supra dicta. Ego autem quandoque curationem tentari per caustica imponens digitum super aneurisma & totum ipsum circulariter secans, & imposito caustico Galeni ex manna thuris sanaui aneurisma, & hæ actiones in magno aneurismate & corpore robusto faciendæ sunt, quia minori cum molestia fiunt quam deligatio Aetii supra dicta.

Curatio propria per causticum.

Sed quoniam aliqua aneurismata sunt ita parua, vt non sit opus chirurgia, quia ligari non possint, & alia sunt ita magna, ac in vasis amplis, in quibus medicamẽtis hoc agendum est; si itaque dilatata sit arteria, comprimendus est sanguis, & locus in quo colligitur, ad-

Indicationes curatiuæ in paruo aneurismate.

ſtringendus & ſiccandus, quare vaſis conſtrictio & repulſio materiæ contentæ in cauitate arteriarum conuenit: ſed cum ſanguis ſit grumoſus, non ſatis eſt vt medicamenta repellant & adſtringant, ſed opus eſt digitis emollire ſanguinem grumoſum. Sed ſi eſſet magnum aneuriſma, hoc non eſſet vtile, quare medicamentum habere debet vim diſcuſſoriam & attenuantem.

Emplaſtrum proprium.

Notandum circa deligationē.

Cum autem aneuriſma per vulnus magnam curationem non admittat, parua tantum curanda reſtant per modum dictum experientia ante pluries confirmatum: vnde ego primo emplaſtrum ex furfuribus & oxymelite acutiori vel nouam quantitatem aceti addendo acrioris vtebar ponēs ſuper aneuriſma per duos dies, deinde digitis atterebam grumum ſanguinis & ad latera arterias propellebam, deinde medicamentis adſtringentibus & exiccantibus vtebar imponens medicamenta ſtricte, ne iterum ſanguis rediret in aneuriſmate, ſed protruderetur ad interna. non fiat tamē nimis ſtricta deligatio, vnde id, quod fieri debet per vnam deligationem ſtrictiſſimā, fiat per quatuor laxas, quæ neq; dolorem excitabunt.

Emplaſtrum duplex.

Quamuis autem medicamenta plura ſint, quibus vti poſſumus, ego tamen in hoc caſu duo tantum habui in vſu familiaria, quorum alterum eſt ex Aetio lib. 15. cap. 19. ex foliis virentibus cupreſſi, quæ ligentur, ſuper aneuriſma moderate comprimēdo, & ſit molle ac tenue, neq; moueatur niſi poſt tertiam diem, & ſic tertio quoq; die renouetur: imo ego loco foliorum vtebar potius nucibus ipſius cupreſſi teneris, quoniam magis adſtringunt. Conſtrictio autem ſit æqualis, vt ſcilicet omnes partes arteriæ tam laterales quam ſuperiores & inferiores ligentur: ideo ego accipiebam duos puluillos, & ad latera arteriæ apponebam eos optime imbuens medicamento dicto: puluilli autem ſint filo coniuncti tribus in locis, in vtroque ſcilicet capite & in medio, vt non dilatetur ac cedat in ſe ipſum, ſed equaliter conſtringat: poſtea ponebam tertium puluillum eodem modo factum ſupra arteriam: hoc enim modo fiebat conſtrictio equalis. Si autem ſit magnum aneuriſma, non eſt facienda nimis ſtricta deligatio in puluillis: quoniam maximus excitaretur dolor. Secundum autem medicamentum, quo vtebar, eſt ex recentioribus, ex bolo armena communi, & bolo orientali, & terra ſigillata, & argilla communi an. partib. æq. poſtea parum pulu. roſ. ac ſantalorum vtrorumque addebam an. partes æq. deinde puluis gallarum immaturarū ac nucum cupreſſi, & hæc diſſoluebā cum aqua fabrili, vel vino in quo aliquid gummi eſſet diſſolutum, vel aceto auſtero, & ſuper aneuriſma ponebam, ita permittens donec per ſe cadebat, quod fiebat poſt tertium diem. Medicamenta vero alia ab omnibus laudata, & quibus etiam quandoq; vſus fui ego, & feliciter, ſunt bolus armena vera lutea, bolus armena vulgaris, bolus armena orientalis, creta ipſa, terra figulorum, & precipue lutum collectum circa molas, præterea roſæ, ſantali, puluetes cupreſſi, gallarum, nucum virentium & ſiccatarum, hypocyſtis, & eius ſuccus cōcretus, cortices pomi granati & flores eorum balauſtia dicti, quibus ego vtebar admixto ſumach & myrthillis. Præterea ceratum barbarū quod dolores mitigat, diſcutit & ſiccat & ſimilia, quæ imponi ſolent in vulneribus cruentis: ex hoc autem cerato facere conſueui laminam quam ſuper aneuriſmā pono, & ſuper laminam poſtea linamentum madidum aliquo ſicco, vt vino auſtero vel aceto ad maiorem penetrationem, deinde ligabam, vt dictum eſt & feliciter, quia lamina prohibebat inflammationem, quamuis de hac nihil dixere antiqui: cætera enim medicamenta ſiccantur nec locum tuentur ab inflammatione.

2 medicamentum familiare.

Materia medicamentorum pro aneuriſmate.

Hæc autem in incipientibus aneuriſmatibus facienda ſunt, quoniam magna aneuriſmata ſunt potius prognoſtico relinquenda, quam vllo modo tractanda.

De Bronchoceli ſeu aneuriſmate in gutture. CAP. XVII.

INter aneuriſmata autem eſt etiam βρογχοκήλη circa guttur ita à Græcis dictus, vel bronchoceles, à noſtris vero Bociū, vulgus autē Gocium vocat, ſed quādo fit ex aneuriſmate, id eſt, ex arteria dilatata, inſanabile eſt, vt diximus, ratione loci. Cum autem fiant bocia in gutture, quæ ſapiunt naturam vel meliceridis, vel ſteatomatis, vel atheromatis, vel carnoſi tumoris, etiam de his agamus. Iſti autem tumores fiūt partim per fluxionē, partim per cōgeſtionem; materia vero eſt inæqualis, frigida & vt plurimum pituitoſa, & differt à carnoſa ſubſtantia: quoniam hæc caro addita fit ex ſanguine pituitoſo. Efficientes autē cauſæ duæ ſunt, aut hæreditaria conſequens, aut aer ambiens & aquæ ipſæ. Signum autem huius eſt, quia aliqui, ſi ex loco recedunt, in quo bocio laborare cœperunt, ſanantur ratione mutationis aeris, cibi & potus: quoniam cætera poſſunt vbiq; eſſe eadem. Cur autē potus tam aquæ quam vini faciat ad huius generationem, cauſa eſt ſolum ipſum, quod frigidum eſt,

Materia huius tumoris.
Cauſæ efficientes.
Signa.

Cur potus faciat ad bocii generationem.

vnde

vnde inficitur aer, aquæ, plantæ, & omnia quæ aluntur in illo solo. Sed cũ bocia hæc oriantur tantum in gutture, dicendum est causam efficientem esse solam frigiditatem, quia non magis in lingua quam in faucibus, palato & aliis locis orirẽtur, quare est potius qualitas in tota substantia respiciens partẽ hanc, quoniã scilicet ex illo solo oritur halitus, qui tota sua substantia afficit guttur medio aere, cibo & potu. Sed quis dicere posset esse intemperiem frigidã & humidam, vt per medicamenta calida & sicca sanentur tales tumores. Ego autẽ dico sanari quidem, quia discutiunt hæc, tamen non sanant illam malã naturam: quoniam si patientes bociũ stent in loco, in quo natura oriuntur tales humores & medicamentis his vtantur, nunquam ob id sanabuntur, quare causa efficiens est occulta qualitas agens in aerem, aquam & plantas, quæ cum attrahantur vel deuorentur, agunt in guttur & faciunt tales tumores.

An efficiẽs bocii sit intemperies, vel qualitas occulta.

Causa autem diuersæ materiæ bocii est humor abundãs in corpore. Cum itaq; duæ sint causæ efficientes bocia, recentiores dicunt duplicem esse, bronchocelem aliam naturalem, aliam nõ naturalem: naturalem insanabilem esse dicunt, vt est hæreditaria, non naturalis vero potest curari, sed difficillime. Cum autem chirurgi viderint difficultatẽ curationis horum tumorum, triplicẽ modum curationis inuenerũt, quorum primus est per incantationẽ, secundus per chirurgiam, tertius per artẽ & medicamenta. Vnde quo ad primum aliqui accipiunt iuglandẽ arborem paruã, quæ nondum fructus ediderit, & eius radices integras accipiunt minutim incisas: sed dũ incidunt, semper canunt pater noster vsq; in finẽ, deinde accipiunt 200. grana piperis & magnã copiam vini simul coquẽres ad consumptionem medii semper cantantes, pater noster vsq; ad finẽ, sed qui cantãt, sunt illi, qui laborant bocio, postea matutina hora exhibent istius decocti ad ℥ iiij. semper cantantes, & ante & post assumptionẽ per 30. cõtinuos dies pater noster, & hoc est medicamentũ compositum ex arte & susurro illo, in quo medicamento sunt valide siccantia & discutientia; sed transeant hæc. Relinquitur curatio aut manu, aut medicamentis; aliqui autem ad chirurgiã venientes excoriant guttur, & sunt ita audaces, vt educãt partes illas carnosas, postea tentant consolidationẽ. Ego autẽ dico, quod nunquam bocium sanatur per chirurgiã, nisi sit pendulum, quia non potest auferri folliculus ex laringe nisi maximo cum periculo, quo non ablato non sequitur sanitas; præterea quandoq; est aneurisma, in quo tunc nõ est vtendum chirurgia, vt diximus. Tertio quandoq; ita magnus est, vt maximum immineat periculum, ideo semper fugiẽda est chirurgia. Per medicamẽta autẽ non succedit, nisi per caustica, quæ etiã ego sum expertus, non tamẽ cum successu: quoniã succedit fistula, quæ quasi semper subsequitur, quã nisi abhorreat æger, ad caustica deueniri potest, neq; ratione est abhorrenda, quoniã fistula est minus malum quã bociũ, quæ deinde semper teneatur aperta; & hæc est ratio curandi per caustica. Alia vero ratio per medicamẽta digerẽtia & discutiẽtia imposita super locum affectum, quæ tamen aliqui sub palatum & linguã ponunt, & si est meliceris, optime curatur ab his discussoriis, quę dicta sunt in meliceride: sed his validis vtemini: quoniã discussoria præter quã in meliceride nihil agunt. Sed sciẽdum est ex mea sententia, quod vera curatio bocii est eductio multæ pituitæ, saliuæ scil. ac sputi, ideo cõueniunt quæ sub lingua detinentur, quoniã per sputi emissionẽ siccantur fauces & sanatur lotium: hanc autẽ rationẽ ignorarunt recẽtiores quamuis opportuna proponãt ad hoc medicamenta, vt aqua marina exhibita quotidie hora matutina ad ℥ ij. vel aqua salsa, qua crebro, vt ter & quater in die abluatur, quia pituitã educit ac partẽ illam expurgat, vel hac deficiente fiat aqua marina ex aqua & sale simul coctis: inter medicamenta hoc proponunt recentiores remedium quotidie exhibẽdum matutina hora palatum colluendo:

Diuisio bronchocelis recentiorum.

Quot modis curetur bronchocele.

Curatio per incantationem.

Curatio per manum aut consequentia.

Curatio per caustica.

Curatio per digerentia.

℞. radic. cyclam. virent.
verbasc.
polypod.
fol. beton.
rad. acanth. vel branc. vrsinæ an. part. æq. cum vino bulliant, & fiat decoctio, cuius ℞. ℥ iiij. & quotidie detur matutina hora, & ipso ter & quater in die os abluatur. Præterea dant puluerem quendam sub lingua detinẽdum vesperi cum æger it dormitum, hoc modo confectum:

Decoctum pro sputo ciendo.

℞. rad. bryon. vtriusq; id est, nigræ & albæ,
cyclam.
rusci
polypod.
asparag.
aristol. rot.

Electuarium sub lingua detinendum.

cucum.asin.
serpentar.min.
verbasc.
spong.marinæ vst.
paleæ marinæ vstæ, id est, algæ an.q. s. misce, tundantur in puluerem tenuissimum, qui cum melle misceatur, & fiat elect. cuius portiuncula sub lingua teneatur, quando itur dormitum, quia sputum educit, siccat & validum est; quod etiam faciunt omnia gargarismata sputum aducentia, hoc modo:

Linimentum.
℞. pulu.pyrethr.
piper.
caryoph.
staphisagr.an.ʒj.cum sale & aceto, fiat linimentum, quo illiniantur partes palati inferiores, & sub lingua, quãdo æger dormitum vadit, quia mira facit: vel accipiat radicem pyrethri & mundat, quia maxime facit. Ab Aetio autem proponũtur multa, lib.15. sed hæc tantum à me sunt approbata experientia.

De Tumoribus glandularum, qui strumæ seu scrophulæ dicuntur.
CAP. XVIII.

SOlent glandulæ tumores pati nũc calidos, nũc frigidos, nũc laxos, nunc vero frigidos ac duros, vt sunt χοιράδες à Græcis dictæ, sumpta similitudine à petris & saxis strumosis ac inæqualibus maritimis tales redditi ab vndis maris, quique scopuli dicuntur. strumæ vero vocantur à nostris: quoniam plurimos pariunt partus & tubercula: raro enim suboritur vna struma, quin multæ deinde oriantur ab ea: vel strumæ dicuntur, quia in omnibus partibus glandosis corporis oriri solent. Præterea dicuntur scrophulæ, quia scrophæ hoc genus morbi potissimum patiuntur. Scrophulas has ætas potissimum infantilis frequẽter admodum patitur, vt nihil frequentius, sed ita difficilis curationis, vt fere nil difficilius.

Ratio nominis.

Strumarũ definitio ex Celso. Celsus lib.4. cap.28. dicit, scrophas esse tumores scirrhosos ac duros glandularum, in quibus adest folliculus. & vera est definitio.

Causa efficiens. Causæ huius. & prima est congestio humorum in glandulis: congestionis vero causa est fluxio materiæ ad locum, fluxionis vero vel attractio, vel expulsio, vel motus concitatus in humoribus: horum autem causa est congestio in corpore, cõgestionis iterum mala victus ratio & lapsus particularum ac imbecillitas, vnde Galenus sect. 3. aph. 26. dicit pueros huic morbo maxime subiectos esse, quia mala victus ratione vtuntur, & plurimum ingerunt, vnde plurima excrementa coaceruant, & cruditatibus abundant. Strumæ autem ex loco citato fiunt ex materia, quæ calida non est, & quæ sponte ad suppurationem venit, quare erit phlegma collectum ex malo victu. Auicennas vero fen 2. lib. 1. dicit strumas esse propagines melancholicas. ego autem dico, veram esse vtramq; sententiam, sed Galeni veriorem, quæ potest confirmari ex causa efficiente, si ætas puerorum consideretur, in quibus fiunt vt plurimum: quoniam pro vno viro, qui laboret strumis à materia melancholica centum sunt pueri laborantes à pituitosa, quæ sunt excrementa primæ concoctionis: quoniam hepar optime se habet in pueris. Præterea Auicennas idem fen 3, lib.4. in curatione strumarum medicamenta euacuantia pituitam proponit, quare etiam ipse vult esse pituitosam materiam: sed cum dicit esse propagines melancholicas, loquitur de strumis cancerosis, quæ conceduntur ac dantur, vt fit quandoq; in senibus, quamuis posset etiam dari tertium genus strumarum à materia mixta, tamen vt plurimum fiunt à materia pituitosa.

Strumarum materia.

Strumæ quomodo fiant. Fiunt autem hoc modo strumæ, quia primo incipit fluere materia ad vnam glandulam, & fit tumor laxus, deinde fluit ad aliam glandulam, in qua similiter fit mollis tumor, sed illa prima fit durior, postea ex secunda fluit ad tertiam, in illa faciẽs tumorem mollem, sed secunda durior fit, & sic ad plurimas transit: fiunt autem duræ primum, quia pars tantum materiæ fluit, quæ tenuis est ac serosa, cuius merito mollis erat tumor, crassa vero remanet & facit durum. Potest etiam fieri alia ratione, vt scilicet materia simul fluat ad tres vel quatuor glandulas, & Medicus statim imponat discussoria, ex quibus materia tenuis discutitur & relinquitur crassa, quæ facit tumores scirrhosos & duros. Loca autem harum strumarũ tria sunt præcipue, sicut tria sunt viscera, cerebrum, cor & hepar, vnde loca strumarum sunt fauces, inguina & axillæ; vnde si caput tantum abundet hac materia, in faucibus oriuntur strumæ; si cor, in axillis; si hepar, in inguinibus: si autẽ omnia hæc viscera materia hac abundent, omnes hi loci patiuntur strumas.

Loca subiecta strumis.

Ego

Ego tamen sum huius sententiæ, vt possint etiam circa alia loca, siue in aliis corporis partib. oriri, vt circa digitos, quas aliquoties vidi in pueris, ac in internodiis aliis & in metacarpio, quãuis à multis nõ cognoscantur pro strumis, quia ibi non sunt glandulæ: sed decipiuntur, quoniam etsi non sint veræ strumæ, sapiunt tamen naturã strumarum & eadẽ ratione crescunt, vt strumę, pręterea plurimæ sunt glandulæ dispersæ per corpus, quæ ignorantur à nobis. Cognoscuntur autem strumæ, si quando in glandulis sunt, adsit tumor durus & inæqualis occupans plures glandulas: nisi enim plures occupet, non est struma, quoniam in morbo gallico fiunt tumores glandularũ occupantes vnam tantum glandulam, non tamen sunt strumæ; quare ad hoc, vt sint strumæ, oportet vt plures sint tumidæ, tanquam vuæ racemus ac duræ, vt dicit Auicennas. Si vero sint in articulis aliis, vt pedum vel manuum, per hoc cognosci non possunt, sed tunc erit tumor durus, frigidus ac disseminatus per varias corporis partes, ac curandæ sunt vt aliæ strumæ. Cum autem strumarum aliæ sint magnæ, aliæ maximę, aliæ minimæ, ita vt quandoq; duæ tãtum adsint, quandoq; plures, vt ad 20. vel 30. glandulas intumescant, & videantur racemi vuæ, ideo oriuntur differentiæ quædam, vt alię dicantur simplices, aliæ vero racemosæ, ratione vero moris aliæ benignæ, mansuetæ ac sine dolore; aliæ vero malignæ & inflãmatę aliæ, aliæ vero cãcerosæ, quæ etiam vario modo tractantur. Benignę autem fiunt ex phlegmate & facile inflammantur, & medicamentis cedunt, licet cum difficultate, maligna vero habent signa cancri vlcerati, & neq; prorirandæ sunt neq; tangendæ neq; excidendæ detecta glandula. Præterea ratione loci aliæ eleuatæ dicuntur & superficiales, & simpliciter glandulæ vocãtur, & sint illæ, quæ in summa cute sunt, ac mouentur de loco ad locum & facile curantur: aliæ vero sunt in profundo corporis ac insertę dicuntur vel depressæ. In homine enim est duplex genus glandularum, aliud in flexuris articulorum ad sustentãda vasa, & sunt statim sub cute, & tangi possunt: aliud vero genus non simpliciter glandulæ dicuntur, sed glandosum corpus, quod reperitur in profundis partibus, vt in omento & pancreas dicitur; vel in faucibus, & vocatur paristhmia; vel in mammillis ad conficiendam saliuam & lac, alia sunt circa pudenda & alia circa alas. Si glandosum corpus strumis laboret, ex lib. 14. meth. cap. 11. vocantur strumæ depressæ: si vero in glandulis prominentes dicuntur & etiam primę dicuntur insertæ & profundæ: differunt præterea ratione colligationis, quoniã quandoq; cum arteria vel vena insigni colligantur vel neruo aut simili vase: aliquãdo vero simplices sunt ac absq; colligantia aliqua, & tunc vel infiltratæ vel non infiltratæ vocantur.

Opinio propria circa loca strumarum. — *Strumarum signa.* — *Si sint in articulis pedum vel manuũ.* — *Strumarũ differentia.* — *Malignarũ signa.* — *Glandularum duplex genus in homine.*

Infiltratæ strumæ sunt colligatæ cũ vasis & complicatæ & dicuntur, si hęreant insigni vasi alicui vt neruo vel venæ vel arteriæ. Liberæ v. dicuntur, si simplices sunt, ac nulli vasi complicatæ. cõplicatę vero difficilime curantur: liberæ vero facile, ita eleuatæ, insertę autẽ difficilimæ sunt quo ad curationem. Internæ, profundæ, depressæ ac complicatæ diligentissimum requirunt Medicum & optimum medicamentũ: simplices vero ac in vno tantũ loco existentes, quamuis diligentiam desiderent, non tamen tãtam requirunt, vt depressæ.

De Curatione exquisita strumarum, quo ad victus rationem & humoris euacuationem. CAP. XIX.

CVm autem strumæ & plurimũ à cruditatibus oriãtur ratione mali victus, ideo optima victus ratio instituetur, nimis non comedant, cibariis attenuantibus vtantur, pro ratione tamen puerilis ætatis, vnde odorata semina, olera calida ac condita ex cinnamomo, pipere & huiusmodi sunt exhibẽda: præterea salita aliqua: abstineant tamen à vino, quia cum oriantur vt plurimum circa fauces & ceruicem & à materia à capite descendẽte, quæ maxime generatur à vaporibus ab inferioribus trãsmissis, quorum vehiculum est vinum, ideo vinum fugiant. Motus immoderatus nocet pueris, præsertim eum sudant circa caput, quoniam materia commouetur, quæ postea præcipitatur & strumas auget: fugiant ergo motum violentum, pluuiam, solem, ventum & animi passiones, non abluant caput, sed loco ablutionis vtantur frictionibus cum surfuribus triticis ablutis aqua expressis ac exiccatis ad solem, quibus postea caput detergitur ac mundatur sine lotione. Si vero necessaria sit ablutio, fiat cum siccantibus non autem calefacientibus, vt ex lixiuio facto cum rosis, chamomillo, betonica, hordeo, spelta & rasura cupressi. Aeris mutatio plurimum confert si sit eiusdem qualitatis. Quod autem mutatio aeris conferat, patet ex equitatione in Galliam, quamuis mulieres tribuant hoc benedictioni regis. Sed puto ego dicendum esse, sanari ex agitatione viscerum, ex motu corporis, & ex aeris mutatione, quia aer Galliæ bonus est subtilis & exiccans, cum præcipue, quãdo hæc fiunt, sit tempus æstatis, in quo tempore tantum, quia calidus & siccus, sanatos ego nonnullos vidi. Gallorum enim rex in die ascensionis vel pentecostes dum ad ecclesiam ad expianda peccata propria vadit, duobus

Cur à vino abstinendũ. — *Motus corporis.* — *Aer.* — *Aer Galliæ.*

Gallorum regis benedictio pro sanandis strumis. digitis manus dextræ, pollice scil. & indice faciē eius ægri mensuras vel cuiuscunq; in modū crucis, dicendo Rex te tangit, Deus gloriosus te sanet, quo facto rex largitur cuique ægro monetam vt scutatum aureum duos & tres pro ratione itineris longi, quod à patiente fieri debet in redeundo ad propriam patriam. Si vero patiens sit ex Gallis, largitur ipsi monetam argenteam vel dimidiam vt ipsi videtur. Victus itaque neque plenus neque tenuissimus sit, sed mediocris & attenuans, similiter motus attenuans digerensque, vnde pueri currant, exerceantur & agitentur. Circa secundum caput continens euacuationem *De euacuatione humorū peccantium.* humoris peccantis & viscerum alterationem, per quam euacuationem non sectionem venæ sed pharmaci exhibitionem intelligimus, cum sit opinio communis, vt tot sint in internis partibus quot sunt in externis, ideo si virtus consentiat, ad pharmacum deueniendum est, quod melius succedit, quam tractatio loci affecti per manualem actionem, quod pharmacum etiam in pueris duorum annorū exhiberi potest phlegma euacuās, quę varia sunt, *Pituita tenuis euacuatio.* sed ab Auicenna proponitur turbith, quod præstantissimū est ad pituitā tenuem euacuandam. vnde fiat hoc modo: ℞ turbethum. Zinzib. & saecharū simul mixta ad ʒij. & detur cū vino vel iure. Si autem materia sit crassa, vtimur caloeynthide & hermodactylis, quibus vtimur præsertim in adolescentibus, ac materia existente crassiori: turbetho enim ego vtor in pueris, quia materia tenuior est in his, vnde in pueris hoc modo fiat, ℞ turbith. ℈j. vel 2. *Pharmacū pro pueris proprium.* Zinzib. condit. ʒi vel 2. misce in mortario. Et hoc ego exhibebā crebro admodū in pueris quod facile assumunt, quoniam est veluti diacitonitos, quo ego tamen vtebar facta aliqua *Pharmacū pro ætate solidiori.* præparatione. Cum vero solidiores sunt strumæ & ætas maior, ac materia crassiot, fiat hoc modo. ℞ pul. turbeth. ʒß hermodactyl. ℈j vel contrario modo, quia non refert, deindeade pulueris Zinzib. conditi, & cū his edulia commisce pro decipiendis pueris.

Pro strumis diuturnissimis. Si vero diuturnissimæ sint strumæ ac phlegma crassissimum, deuenio ego ad colocynthidem cum pilulis cochiis in parua quātitate, vel puluerem diacolocynthidos Pachii, vel confectionem hamech, vel trocifcos alhandal., quibus tamen ad misceo turbith & zinziber conditū & hermodactylos an. ℈j. faciēs pilulas cum melle rosato, attamen fugio ego semper quantum possum, colocynthidem. Cum autem continuo materia ista sit educen- *Præparatio materiæ propria.* da, continuo etiam pręparanda est cum melle rosato & pauco oxymelite, vt quotidie matutina hora quando pueri surgunt è lecto ad quantitatem cochlearis. Cum vero præparāda est materia ista, ego vtor aliquo medicamento laudato ad strumas dissipandas cū melle rosato: vnde cum ipso misceo & oxymelite decoctum scrophulariæ, quæ sic vocatur dua- *Scrophularia cur ita vocetur.* bus de causis: primo quia medetur scrophulis, secundo quia habet globulos in radice, & huius capio ad ʒj. vel exhibeo ipsius puluerem.

Recentiorū medicamenta pro præparatione. Recentiores autem laudant potiones quasdam à me etiam comprobatas, quibus tamen mea quidē sententia alia addenda sunt, inter quas primo est radix rusci, cuius maximā in hoc esse vim multoties reperi, si per 40. etiam dies puluis ipsius ad ʒi cum vino vel iure sumatur. Secundo est radix salsæ parillæ & puluis illius, cum quibus ego modo præparo, modo vero euacuo. Sed inter omnia laudo euphorbium, ex quo fiat pilula ponderis granorū v. vel vi. vel quandoque exhibeo vnā pilulam fœtidam ad ℈ß. Sed potissimū ego vtor deriuatione per alia loca euacuante, vnde quoties circa ceruice sunt, per masticatoria euacuo per radicem Zinzib. in ore detentam. Prætetea deuenio ad errhina, vt ad elateriū, semen cyclaminis, vel internas nares cum penna oleo violaceo intincta inungo.

An venæ sectio conueniat. De sectione venæ non est sollicitandum, quia vt plurimum strumę sunt in pueris: Si vero essent in adultis & diuturnæ, laudaretur à me venæ sectio: sed quo ad pręparationem, *Diuersio à capite per qua fiat.* si quis est affectus requirens maximam internorum præparationem hic vnus est. Prætetea oportet, vt continua fiat diuersio à capite ac ipsius euacuatio, vnde si circa olas sint vel fauces, aperiatur cutis capitis superficies circa commissurā coronalem, & fiant crustosæ exulcerationes in cap. & hoc etiā in pueris, qui vt plurimū patiuntur strumas, quia materia, quę debebat facere lactumina, est elisa in fauces & falas; quare fit vt strumas vt plurimū patiantur illi, qui non sunt passi lactumina: ideo Aetius libro. 5. capite. 15. imponit cataplasmata *Attrahentia pro tenerrimis puellis.* in syncipite ex radicibus capparis & polenta vt materiam attrahat. Præterea sapones quasdam imponit capiti exulcerantes & quosdam etiā pulueres inspergit idem facientes. Ego v. in tenerrimis puellis accipio butyrū vetustissimū, ipso cōmissurā coronalē inungēs postea impono foliū caulis. his. n. attrahitur vapor acris ad caput, qui sensim exulcerat, vel foliū hederæ, vel saponē nigrū cū butyro vetustiori, vel vtor sapone nigro puro, mandans tamen vt prius scarificentur vlcera illa sensim vnguibus. ita vt fiant manantia: vel aliquan- *Vlcerantia sine dolore.* do vtor acriorib. foliis, vt hydro piperi, vel sambuci viridibus, q̄ vlcerant sine dolore. Si aūt hæc non agunt, caustico vtendū est. Prætetea faciebā ego fontanellas in brachio eiusdem lateris cum foliis flammulę Iouis integris. Quandoq; cum butyro mixta cum sapone nigro fricàn-

fricando coronalem commissuram vel sagittalem, quandoq; vero ad robustiora deuenio, vt ad cerine emplastrum supra commissuram coronalem, quod exulcerat.

Inuentis in principio adolescentiæ.

Si vero pueri sint in principio adolescentiæ, tento capitis euacuationem per masticatoria robusta, vt ex pyrethro, pipere & staphisagria, quæ non solũ caput euacuant, sed materiam in glandulis imbibitam educunt. Quando autem his per aliquod tempus vsus sum, ad euacuationem per deriuantia venio, vt per vesicatoria circa brachia & scapulas cũ Ammonis radicibus vel flammulæ Iouis foliis & ranunculi pilosi radicibus. Post hæc autẽ ante tractationem loci vel simul etiam & semel opus est vti medicamentis digerentibus materiam strumarum existentẽ in internis visceribus, quæ plura sunt apud autores. Ego autẽ præter decoctum scrophulariæ, asparagi & rusci hoc vsus sum feliciter, ac ipsum maxime laudo in hunc modum;

Digestio materia strumarum existentis in visceribus.

Medicamentum proprium.

℞ pulu. rad. rusci ℥j
irid. gr. x cum vino dulci vel aqua mellita exhibeatur pueris per 40. dies; quandoq; vero addo puluerem salsæ parillæ cum dicto puluere ad ʒß, tunc tamen radicem rusci ponens ad ʒß. Nisi autem ætas impediat, vsus theriacæ & mithridatii optimus est. Autores enim nolunt dari hæc pueris, ego tamen aliquando feliciter exhibui, & pcipue si theriaca sit inueterata & tempus hyemale, & etiam in minima quantitate exhibui, vt ad ℈ß tantum, digerit enim, siccat ac roborat viscera comprimitq; materias, & ratione viperarum agit in strumas. Ex Celso enim habemus, q̃ carnes anguium maximã vim habeãt in dissipandis scrophulis. In robustioribus vero corporibus exhibebã theriacam & trociscos theriacales viperinos & sales theriacales. Empyric. aũt quidã accipit duas viperas integras masculas & eas in vino extinguit per 24 horas relinquens, postea vinum hoc patientib; exhibet. sed notandũ est, q̃ ad hoc sequitur symptoma vehemẽs, vt ppter siccitatẽ teneant os semper hians, quare non laudatur a me. In Hetruria vero, præcipue in Neapoli accipiunt animal illud, q; Ceruona, vel Ceruonum aut caprimulgus dicitur, & ipsum sinunt expurgari, deinde imponunt in vas aliquod aqua plenum, cuius maximam copiã bibit animal illud, postea ipsum per 40 dies ita relinquunt, postea coquunt in vino & hoc exhibent cum carne etiam ipsius patientibus feliciter, & huius etiam anguis pinguedo venditur à circulatorib. pro strumis dissipandis, & optime succedit. His peractis deueniendum est ad loci affecti tractationem, circa quam aliqua scitu digna proferam in sequenti capite.

An vsus theriacæ conueniat in pueris.

Remedium Empyrici ex viperis.

Notandum circa hoc remedium. Ceruona anguis vtilis in strumis.

De Curatione strumarum per tractationem loci affecti. CAP. XX.

Circa locum affectum ex lib. 14. meth. c. 12. aut per discussoria aut per ablationem scrophulæ procedendum est. vnde primo vidẽdum est, an struma suppurari possit nec ne. Si enim suppurari potest, id celerrime agendum est, vt postea aperiatur & sanetur. Cognoscitur autem hoc, si adsit rubedo aliqua vel leuis dolor in loco, vel cognoscitur ex analogia aliarum strumarum, quæ in eodem fuerint corpore suppuratæ. Si itaq; hęc adsint signa, ponantur suppuratoria à nobis proposita in suppuratione meliceridis & atheromatis vt ex caricis & cochleis, vel robustioribus ibi dictis. Sed aduertendum est q̃ quædam sunt inter ipsa scrophulis maxime familiaria, vt est emplastrũ illud ex foliis cupressi, vt s. contusã folia cum aceto supponantur, vel folia contusa vrticæ, vel oleo selini folia cum cortice nucis: pterea rad. iridis virentis & contusæ in forma emplastri suppositæ. Quandoq; vero in pueris ego eas coctas accipio; nam ex his fit suppuratio.

Intentio duplex in strumis.

Signa suppuranda strumæ.

Suppuratio strumarum.

Facta suppuratione duplex est ratio curandi, altera per apertionẽ, altera per discussionem, quæ tamen prius tentanda est, quoniam melior. Inter resoluẽtia autem est emplastrũ cerine, vel emplastrum sacrũ, vel diapalma, quod est in primo loco ponẽdum, quoniã non est ita validum, robustius vero est diapalma cum emplastro sacro mixtum, robustissimum autẽ est emplastrum cerine. Cum autem vt plurimũ non succedat resolutio, nisi in strumis leuibus, ideo quandoq; aperienda est vomica. in qua actione timent aliqui sectionẽ p ferrum superstitione quadam acti & vtuntur caustico. Ego tamen laudans etiam causticũ, q̃a calefacit illas partes ac materias cũ strumæ sint ex genere frigidorũ, tamen potius vtor ferro, quia citius sanatur locus affectus ac rectius materia educitur. Si autem non adsint signa suppurationis, tentanda est, vnde ego in his, qui strumas patiuntur per totũ corpus, statim apparente struma vtor medicamento attenuante & concoquente, vt celerrima fiat suppuratio, accipiens radices iridis virentes & radices althææ virentes, & coquens sub prunis inuolutas foliis caulium, vel elixo ipsas in aqua, tundo in mortario, deinde addo melis q. s. & etiam portionẽ pulueris iridis siccatæ. & hoc feliciter vtor ego, præcipue in strumis occupantibus etiam internodia & articulos: hoc enim nisi aliud ageret, materiam ex alto trahit,

An aperienda sit vomica ferro vel caustico.

Ad celerandam suppurationem.

Post disruptionem aut sectionē quo modo tractanda.

ira vt ossa ab ista materia corrumpi non possint, quæ vt plurimum corrumpuntur in patiētibus strumas dispersas per vniuersum corpus. Cum autem maturatæ fuerint & disruptæ aut per se aut per sectionem, aut per causticum medicamenrum, distinctā ego curarionem habeo ab aliis omnibus. Si enim fuerit struma in duriori corpore, cum robustissimis medicamenris procedo, quia locus est frigidus ac durus. si vero tener sit puerulus, mitioribus vtor. In iuuenibus vero vel viris ad detersorium validissimum venio, vnde statim aperta vomica Ægyptiaco temperato cum oleo & cera vtor per tres aut quatuor dies, postea venio ad vnguenrum Isidis temperatum, q̧ moderatius est, & sic cicatrice obduceretur vlcus. Si autē nō ita bene cicatrice obducitur, squamam æris præparatam inspergo; & testor ego hac sola curandi ratione me plurimos sanasse, neq; curationem ipsam processisse vltra 20 vel 25 dies. Cum autem quandoq; sanata vna struma insurgant aliæ, illæ etiam hac eadem curatione sanantur, si ad robusta s. veniamus. Aduertendum tamen, quod, dum his vtimur circa loca exteriora, imponendum est diachylon vel emplastrum mollitiuum, si emollitione opus est. At si non sit opus tanra emollitione, vtor ego diapalma: aut cum eo misceo linimentum simplex, si adest calor, qui refrigeratione opus habet. Si vero nō adsit durities, applico diachylon cum linimento simplici iridem. Si vero cum calore est coniuncta durities, impono emplastrum mollitiuum cum linimento simplici. At in corporibus teneriori-bus vtor radicibus iridis cum melle despumato hoc modo. ♃ mellis despum. pulu. ireos an. q.s. misce & repleatur hoc cauiras strumæ, quod quamuis non ita ciro agat, certo tamen agit. Extra vero imponatur diachylon vt dixi vel mollitiuum vel diapalma. Si vero strumæ non possint deuenire ad suppurationem, emolliendum est prius, deinde discutiendum vt in omnibus tumoribus duris: vnde ego hoc sæpe & feliciter admodum vsus sum:

Pro cicatrice obducenda.

Si post vnā insurgant aliæ strumæ.

Pro corporibus tenerioribus.

♃ pingu. gallin. rec.
human. rec.
ol. amygd. dulc.
mucil. sem. lini
fœnugr.
rad. alth. an. q.s. misce & addita pauca cera f. empl. quo illiniatur vel inungatur locus ipse continuo. Quandoque vero accipio axungiam suillam & pelliculam ipsi hærentem aufero pinguem & super locum appono. Quandoq; vero accipio omētum castrati aut suis & pono super locū fascia obducēs; vel vtor diachylone vel emplastro mollitiuo, vel foueo locū decocto ex illis emollientibus, vnde accipio decoctū ex capite veruecis & misceo sem. lini, fœnugr. rad. altheæ & additis foliis ac radicibus maluarū locū ipsum ipso foueo. Loco autē emollito ad discussoria venio, quorū primum est oleum resolutiuū, secundo ammoniacum præparatū cum aceto, tertio emplastrū sacrum, quarto emplastrū cerine: quinto empl. ex pyritide lapide, quibus ego libenter vtor, deinde rursus venio ad emollientia, & iterū ad discutientia; sed maxime fido in emplastro ex radicibus, vnde parato decoctū rad. altheæ & fol. maluę in iure pingui additis mucilaginibus ac pinguedinib. dictis. Pro discussorio aūt decoquo in aqua vel sub prunis radices altheæ, rad. cucum. asin. & rad. cyclam. addens postea resolu. ad emplastrum q̧ robustum est. Cum autem diu gestari non possint hæc emplastra, ideo noctu hoc emplastrū impono & crassum, die vero inungo aliquo dictorum oleorum.

Discussoria.

Emolliens.

Discutiens.

Si vero nihil faciat emollitio vel discussio, ad causticū est deueniendum: vnde vel sint suppuratæ strumæ vel non, vel nō possint discuti, videndū est, an ꝓfundæ sint, & an hæreāt alicui vasi insigni vel neruo, quoniā tunc non est aggredienda hęc curatio. Si vero non sint multū profundæ nec hæreāt vasi aut neruo, caustico vtendū est. Sed vera curatio ē, vt post apertionē tentemus, an exsiccantib. medicamētis possit totus sinus exiccari accipiēdo puluerē iridis & mel crudū, deinde deueniēdo ad vnguentū isidis, q̧ diuturno tempore facit in pueris; in adultiorib. v. prima die ad ægyptiacū mixtū cū ceraro rosato deueniendū est, postea sensim ac sensim ad ægyptiacū purum deueniētes, ex quo quāuis dolor insignis fiat, tamen in hoc casu dolor nō fit. Si aūt hęc non faciunt, deuenio ego ad extractionē glandularū p gladiolū, quando cācerosę sunt strumę ipsæ vel glandulæ. Si vero nō sint cancerosæ, hoc facio per causticū, quoniā minor est tractatio. vnde quando ego corpus aliquod rusticū habeo ꝑ manibus curandū, deuenio ad trociscos de minio Ioannis de Vigo, faciēdo primo foramen in glandula cū specillo, deinde impono paruā quanritatē trocisci illius. Si vero cutis est inregra, phlebotomo aperio, postea locū cooperio linteo madido aq. rosacea vel ol. ros. ad feruorē caustici tollendū, postea curo vt cætera, quibus caustica applicantur. Quāuis enim glādulę factæ sint à natura ad expurgationē viscerum & excremenrorū excretionem, tamen possunt extrahi glandulæ hæ externæ, & præcipue illæ, quæ in ceruice sunt, quoniā ex Ga-

Si hæreat vasi insigni vel neruo.

Extractio per ferrum, si cancerosæ sint.

Cutis apertio pro extractione glandularum.

Vsus glandularum.

ex Galeno non multum necessariæ sunt. Cum autem trocisci de minio Ioannis de Vigo sint nimis potentes, ideo ego ad extrahendas glandulas trociscos hoc modo facio:

Trocisci pro pris&rentes.

℞ arsenic. rubri, id est, auripigmenti
arsenic. cryſtall. an. q. s. misce cum pasta ex farina triticea, & fiant trocisci imponendi. Quandoq; vero aperta vomica medicamentum hoc modo confectum applico,

℞ arsenic. rubr.
sandarac. Græcor. an. ℥j.
axung. suill. q. s. Misce. f. vngu. quo glandula tegatur, quoniam sic putrescet, & ex se postea decidet. Si vero corpus robustius est vel glandula profundior:

℞ arsenic. cryſtall.
cisagall. an. q. s.
axung. suill. q. s. misce & f. vngu. robustius.

Sublimatū quomodo paretur.

Sublimatum autem vel aurichalcum aut arsenicum hoc modo parare consueui accipiens hæc medicamenta macero aceto & diu permanere iubeo sub sole diebus canicularibus, vel hoc facio cum ol. sulphuris. Quandoq; vero vtor non trociscis sed puluerib. his cum axungia porcina. Sed sciẽdum est, q quādo glandosa corpora interna patiuntur strumas per discussoria tantum, non autẽ per trociscos curari debent.

Curatio empyrica.

Empyrica autẽ ratio est impositio lardi porci cum argent. viuo expurgato tamen prius vlcere cum melle ac puluere ireos super splenia imponentes.

Extirpatio strumarum per sectionē.

Quarta ratio curandarum strumarum est per illarum extirpationem; quando sunt canceroiæ, quæ fit per sectionem, quando alio modo extirpari non possunt ac superari: vnde tunc primo aperienda est vomica siue cutis, dimouenda glandula, excidendo & cætera agendo, quæ dicta sunt in cancro & meliceride. Primo tamen obseruandum est; dum est, excidenda glandula, ne alia nigra glandula relinquatur in loco: quoniam iterum serpunt.

Secta glandula sanguis sistatur posca, locus detergatur deinde, ac inuestigetur an aliæ adsint glandulæ turgidæ, quas educatis, vel denigratæ, etsi minimę sint: eas .n. omnes extirpare oportet, quamuis centum essent, ne cancri fiant insanabiles. Postea cōsuatur locus, & imponatur barbarum vel quid simile. Post purgationem autẽ per bienuium quotannis bis, in autumno s. & vere purgentur patientes ab humorib. melancholicis optima victus ratione vtentes iam dicta in curatione cancri.

Curatio præstigiosa.

Ego autem quandoq; præstigiis quibusdam sanari vidi strumas, hoc modo potissimum. Accipiunt enim mulieres mala persica acerba cum lanuguine in nocte D. Ioannis Baptistę, & singulam strumā cum singulo persico tangunt; deinde mala reponunt in foramen muri aut parietis ibi relinquentes, donec exiccata sint persica, quoniam quando exiccata sunt, exiccantur etiam strumę. vel accipiunt (mulieres) rospum & ipso obuoluto panno eadem nocte tangunt strumas omnes, deinde reponunt rospum in caminum vt siccetur, & prout siccatur rospus, etiam strumę siccantur & euanescunt. Præterea eadem nocte accipiunt seruatam arborem iuglandem & ipsam per mediū secant vsq; ad radices & stringunt strumas inter illas duas partes iuglandis sectas, postea ligant vtramq; partem iuglandis simul, & obseruant an reuiuiscat iterum; quoniam si reuiuiscit, etiam strumæ reuiuiscunt: si vero non reuiuiscit glans, nec etiam strumæ: vnde si reuiuiscit planta, non curantur strumæ, quia insanabiles: si vero non reuiuiscit planta, per tantū temporis spatiū sanantur strumæ, per quantum remanet iuglans viridis: qua tota siccata, etiam omnes strumæ siccatę reperiuntur. Et ex his ego reuera vidi strumas aliquando sanatas, quæ ope medica prius sanari minime poterant. & hæc de strumis satis sint.

De Ganglio siue nodo, natha vel napta vulgo dicta. Cap. XXI.

INter tubercula est etiam ganglion, quod genus morbi neruos arripit, per neruos autem intelligendo & primarios & secundarios, id est, chordas & tendines.

Ratio nominis.

Γαγγλίον autem vocatur à Græcis, sed ab Auicenna fen 3, lib. 4. & à recentioribus sub nomine glandulæ recensetur: à Guidone vero vocatur nodus & aliquando lupia, & est morbus ille, qui vulgo vocatur natta siue natha, quamuis sub nomine nattarum vulgares intelligant etiam meliceridas, steatomata & atheromata, sed improprie. Nodus autem dicitur hic tumor, quoniam nil aliud esse videtur, quam nodosa quędā concretio ac compactio nerui & quasi contorsio illa nerui, quæ à Græcis dicitur συστροφή.

Ganglio cur concrescat circa neruos.

Causa Ganglii.

Quod autem tumor hic circa neruos concrescat, plures sunt causæ, sed vna proponitur à Gal. com. 3. in 6. epid. text. 14. & est frigus, quando igitur refrigeratur neruus vel chorda, præter modum, fit, vt illa neruosa substantia contrahatur, & ita sensim tumorem faciat. Aetius vero & Paulus pro causa huius tumoris ponunt ictus & contusiones ipsorum neruorum vel chordarum. Ego vero inter has contusiones pono etiam lacerationes, quoniam sepe vidi in pene ob lacera-

tionem neruorum oriri ganglia, quæ difficillime sanantur, imo plurimos hac de causa priapismum vidi patientes, dum vellent liberari, vi priapum contorquebant, quo factum est, vt nerui priapi dilacerarentur; & ita succedebant ganglia, quoniam ex illa laceratione fiebat attractio & inde concretio sequebatur, ad q̃ ganglia postea non potest amplius extendi pudendum directe, & quamuis turgidũ fiat, non tamen directe intumescit sed contortum manet. Ob nimium etiam coitũ fieri potest ganglion refrigeratis nimis neruis ac defluente materia plurima ad illas partes, vt accidit in lasciuis. Præterea labor; quia ratione nimii laboris plurimum excrementi attrahitur, cum nimis pars exercitata veluti callus cõcrescat circa partes neruosas.

Hæ autẽ causæ ex lib. de caus. morb. c. 6 & 8. gignere possunt ganglion dupliciter, vel quia sunt in causa vt materia fluat ad locũ affectũ; & ita causa ganglii est materiæ fluxio, vel quia sunt in causa congestionis, vt cum refrigeratur neruus ac debilitatur ex aere refrigerante, nimio coitu & huiusmodi. Materia autem aut congesta aut alium de fluens est similis

Materia ganglii. neruo, circa ipsum obducta ex li. 6. de vs. part. c. 5. q; idem est ac si dicatur, quod est materia viscida & tenax, pituitosa vel fluens ad nerũ, vel quæ fit excrementũ nerui ibi congestum, cum nulla sit materia, quæ magis assimiletur neruo, quam phlegma crassum viscidum ac tenax.

Signa. Signa autem, quibus ab aliis tumoribus distinguitur ganglion, primo est cõcolor cuti, ita vt nulla sit mutatio in colore partis. Secundo est tumor renitens ac valde durus, vnde inter scirrhosos tumores collocatur, tertio est indolens, non q; non sentiat particula, sed quia ægrum non cruciat; sed si comprimatur, dolorem, tamen paruum, facit. Sed cum quandoq; fiant ganglia cancerosa à materia atrabilari, quæ vera nõ sunt ganglia; licet sint in corpore neruoso, in his dolor adest, vnde non sunt irritãda ganglia, cum dolor adest, quia cancerosa sunt & non vera.

Quarto talis tumor labitur ad latera nerui huc & illuc fluens, & tantum ad latera diducitur, non autem sursum aut deorsum, quoniam nerui, qui sunt eorum subiectum, cum tensi sunt, nisi ad latera, non autem sursum aut deorsum mouentur: Quinto si comprimatur ganglion, in parte ab ipso inferiori fit paruus stupor. vt si sit in carpo, ad eius compressionem fit stupor in digitis extremis. Sexto tumor hic vt plurimum cutaneus est, non autem profundus, quoniam vt plurimum nascuntur in neruis existentibus inter corium & musculos.

Locus subiectus ganglii. Locus autem subiectus gangliis quamuis communis esse possit, vt plurimum tamen in carpo brachiali & metacarpo metacorpo oritur, In brachiali scilicet & postbrachiali, quia nerui ibi facillime tenduntur ac refrigerantur. Præterea circa talos & articulos pedum dummodo excarnes sint articuli. Tertio frequentius in capite oriuntur, quamuis vulgus tumores omnes capitis vocet nathas, id est, vel meliceridem vel atheroma vel steatoma.

Signa distinguentia ganglion à steatomate. A steatomate autem difficulter distinguitur. Sed cum steatoma semper hæreat neq; stuporem faciat ad compressionem; ideo per hæc duo signa distinguitur ganglion à steatomate, id est, quia ganglion mouetur de loco ad locum & compressus stuporem facit in inferiori parte. Præterea circa frontem oritur & frequentius in pudendo virili, & raro sunt senes salaces quin gãglia patiantur in pene, & si adest, oritur in dorso pudend; & qui ipsum patiuntur, non possunt vti venere, quoniam cum tenditur neruus, pudendum incuruatur, quia nerui substantia incuruata est. Sed non solum in neruis pudendi oritur, sed etiam in membrana & glandulis ipsius: in membrana scil. neruosa ambiente ipsum, quandoq; in canali neruoso.

Præsagium. Præsagium autem est, quod si nascatur in parte, in qua non sit periculum præsectionis neruorum, sanatur chirurgia saltem: si vero circa articulos, quia ad chirurgiam tũc deuenire non possumus, difficillima est curatio, quoniam medicamentis hoc agere difficillimum est. In collo vero pudendi senilis nunquam sanatur; in iuuenili vero quandoque sanari potest. Omnis tamen curatio ganglii est cum aliqua difficultate & temporis diuturnitate.

Curatio duplex. Curatio duplex est, altera per chirurgiam, altera per medicamenta; prima autem non probatur, cum ganglion in neruis oriatur, nisi in capite, in quo plurimi non sunt nerui, nec vasa ampla, vnde tunc potest per chirurgiam curari. Eadem autem ratione educitur, qua meliceris, atheroma & alii folliculi, vel etiam vt dictum est in ipsis, cum medicamento caustico exuri potest. In partibus vero, in quibus magna sunt vasa & nerui, per medicamenta emollientia curatur, deinde per dissipantia ac discutientia. Primum itaque digitis

Emollitio per digitos. emolliatur per spatium vnius horæ, moderate tamen comprimẽdo quotidie præmissa corporis

poris euacuatione,si opus sit.sed raro requiritur,cum vt plurimum per congestionem,non autem per fluxionem fiant.

Emolliētes aūt digiti inungantur ol.amygd.dulc.quoniā sicuti cera & corium durum attritione emollitur,ita etiam hi tumores.Postea per aliquot dies imponatur emolliēs medicamentum accipiendo ammoniaci lachrymam purissimam eā seruando, in palma manus donec emolliatur manibus ipsam contrectando, & ex addito ol. amygd. d.fiat pasta imponēda matutina & vespertina hora, quoniā sic agēdo sol et emolliri, vel ponatur ceratū hyssopi ex descriptione Philandri, vel manibus, ac earum calore emolliatur stirax alba & sicca, quæ deinde addito oleo dicto in pastam conuersa per tres vel quatuor dies imponatur, prius tamen attrito tumore, vt dictum est. Hoc autem facto vtendum est aliquo discutiente & repellente. vt est lamina plumbea aliquantisper caua, non tamen tangens partem circumpositam: quæ super fascia deligetur sine dolore; hæc enim emollit & ratione sui ponderis materia eliditur ac extruditur. Cum autem his per aliquot dies vsi fuerimus, digiti apponantur ad tentandum,an mollis factus sit nec ne,& si sit mollis, inungatur pollex ol. amygd.d.& ipso validissime comprimatur ganglion,ita vt ex hac tractatione disrumpatur ac dissipetur,comprimendo s.donec tota materia dispergatur. Facta dissipatione inungatur locus ol. resolutiuo vel ol. lil. alb. cum atomatibus & postea iterum imponatur lamina plumbea validius prima vice comprimens. Si vero aliquid materiæ adhuc remanserit,iterum est dissipanda absq; laminæ impositione , sed validius discutiens & aliqualiter repellens est imponendum; vnde ego vti soleo medicamēto ex stercore columbino hunc in modum;

Ammoniacı emollitio facilis.

Lamina plūbea vsus in ganglio.

℞ mucilag. sem. psyll.
maluar. an. ℥j.
picis naual.
mastich. an. ℥iij.
stercoris columb. ℥ ß. misce & contunde simul in mortario & f. empl. imponendum supra ganglion secunda vice dissipanda.

Medicamētum ex stercore columbino discutiens.

Quandoq; vero vtor ego emplastro sacro Galeni, quandoq; validiori vt cetine Thesiphontis descripto in lib. 6. de comp. med. per gen. cap. 33. maxime discutiente. Emollitus autem ganglio oleo viperino inungatur. & hoc modo plurimos ego sanaui, deinde supra laminam plumbeam imponens.

Validius.

In pudendo vero cum laxa sit pars, ad talem dissipationem deuenire non possumus, quoniam non potest fieri deligatio hæc , ideo difficilior est curatio, & tunc est deueniendum ad illa emollientia, & primo iisdem frictionibus & emollitione facta per manus inunctas ol. amygd. dulc. vel axungia porcina vtendum est. Deinde deueniendum ad medicamentum ex mucilaginibus vel ad ammoniacum & stiracem; deinde iterum digitis emolliendum,ac etiam ad laminam plumbeam,si adaptari potest,quamuis raro succedat; vnde ego post styracem & ammoniacum hoc vtor emplastro;

Curatio ganglii penis vel pudendi.

℞ mucilag. altheæ
sem. lini
fœnugr.
citon. an. ℥j. ß.
ol. amygd. dulc. rec.
pingued. gallin.
anser. an. ℥ij.
styrac. alb. & siccæ an. ℥j.
plumbi loti
cerussę lotæ an. ℥ij. ß.
ceræ parum misce & f. empl. ad emollitionem penis.

Emplastrū proprium.

Postea ego vtor discussorio aliquo, vt ol. resolutiuo vel aliquo ex dictis emplastris, & iterum emollio rursusque discutio ; inter quæ discutientia aliquando vtor luto diui Bartholomęi & diui Petri feliciter; vel carnes cochlearum contusas cum ammoniaco misceo & etiam styrace faciens vngentum discutiens. Et hæc de tumoribus glandulosis & capitis dicta sint satis.

De Tumoribus narium. CAP. XXII.

CVm de capitis tumoribus dictum sit, reliquum esset atq; ordini conueniens, vt ad oculos deueniremus; sed quoniam eorum inflammationes ab excellentissimis practicis curantur & staphylomata oculis occurrentia in tractatu de vlceribus traduntur, ideo de his nõ est hoc in loco agendum; Relinquitur ergo vt ad nares descẽdamus, in quibus varii tumores nascuntur; inter quos primũ sunt inflammationes, quæ declinantur in abscessus, & dicuntur à barbatis apostemata: secundo oriuntur tumores duri, post quos quandoq; fiũt vlcera, quib. deinde succedit generatio carnis, ita vt tubercula fiant, qui supcrescentes carnes vocantur: tertio solent oriri tubercula cancerosa; quarto tumores quidam qui Polypi dicuntur; quinto hæmorrhoides, q̃ fiunt tumescentib. mẽbranis vestientibus intimas nares, & hi oẽs tumores à Medicis curantur sub nomine polypi, cũ tamen plurimũ differant inter se.

Narium tumores quot sint.

Cum autem cancer aut curandus non sit aut palleandus, non est vt multũ circa ipsum laborem, sed tantum sat erit tradere ipsius signa. Guido autem credidit cancrum narium esse polypum Galeni, quod tamen falsum est ex lib. 9. de compos. med. per loc. c. 3. vbi componuntur medicamenta ad polypũ, quæ non conueniunt in cancro, quia sunt medicamẽta ptoritantia, quæ ex Paulo & Aetio inimica sunt cancro. Caruncula etiam narium differt à Polypo, ita hæmorrhoides nariũ à polypo & reliquis, quamuis curatio eadem sit omniũ præter quam cancri, cuius signa omnia inferius tradentur.

An cancer narium sit polypus Galeni.

Polypus autem est tumor præter naturam in naribus existens iuxta substantiæ similitudinem carni polyporum similis ex Galeno. Polypus enim vocatur à similitudine substantiæ, quam habet cum Polypo pisce marino habente carnem albã pituitosam & vitream: vnde Theodoricus decipitur dicens ita appellari, quia sicut inuolutus est polypus, ita etiam hic morbus. Locus proprius sunt nares, & genus est tumor. Causæ efficiẽtes proximæ sunt destillationes humorũ; remotiores vero intemperies & exerementosa natura capitis & cerebri. Materiales causæ sunt humores crassi & viscosi, qui cum copiosissime imbibantur in membranis nariũ faciunt carnem simile polypo. Signa autem sunt, vt quãdo aliquis nõ potest attrahere spiritũ per nares, vel ipsum attractum per easdẽ emittere, vel violenter id facit ac cum strepitu. Sed cum hæc possint esse etiã in alio tumore existẽte in naribus, ideo distinguendũ est per signa cuiuscunq;. Vt ergo cognoscatis, an sit polypus, committatis, vt æger apertis naribus validissime spiritũ emittat. si enim erit Polypus, manente ægro apertis naribus apparebit substantia quædam in medio narium pendens veluti papilla tremula & spiritui cedens, lucida alba ac pituitosa.

Polypus quid sit.

Causa efficientes, materiales.

Signa.

Præterea si apposito speculo circumquaq; tumor circumscibatur ita, vt hæreat pediculo. Præterea si aderit stupor sine dolore, mollities & laxitas substantiæ præter albedinem. Si vero loco albedinis cum his erit rubedo, tumor ille erit hæmorrhois natiũ, qui solo colore à polypo differt. Si vero sit caruncula, cognoscitur ex carnis substantia, & si tangatur facile, facile fluet sanguis, & adest sensus dolorosus, si volsella arripiatur. Cancer vero cognoscitur, quia durus est tumor, secundo magis hæret, tertio est niger, quarto habet dolorẽ pungitiuum perpetuum, quinto fœtorem coniunctum, si sit vlceratus; sexto vt plurimum nares intorquet & corrumpit.

Signa hæmorrhois narium.
Caruncula.
Cancri.

His cognitis præsagiendũ est de cancro, q̃ non possit sanari, ideo non esse irritãdum, nisi palleetur cum his, quæ ad cancrum occultum faciunt. In polypo vero semp sanitas pnuncietur; ita de hæmorrhoide & carne supercrescente.

Prognostica.

Quo autem ad curationem, tria sunt capita tractanda, quorum primum est de victus ratione, secũdum de totius euacuatione, tertium vero de loci affecti tractatione, vnde quo ad primũ, instituatur bona victus ratio, & cũ vt plurimũ fiant isti à materia pituitosa & frigida, ideo sit attenuans, & aliquantisper calefaciens & exiccans. Cum autẽ aliquæ sunt regiones, in quibus abundãt isti humores ob catharros, ideo mutetur regio, donec sanati sint; moueatur, non multũ dormiat, sed vigilent, fæces quotidie excernãt & abstineãt à venere.

Curatio.
Victus ratio.

Quo ad secundum caput, euacuetur corpus & caput, & si adsit caruncula, vel hæmorrhois, secetur vena vel basilica vel humeralis.

Euacuatio.

Si autem paruus sit polypus, à sectione venæ est abstinendum, sed pharmaco vtendũ præparatis prius humoribus crassis ac viscidis per attenuantia & siccantia, præcipue caput respicientia, vt per oxymel, mel rosat. stœcha. saluiam & similia: postea corpus expurgetur ab humoribus crassis per medicamenta ex colocynthide, vt sunt hiera diacolocynth. pilulæ cochiæ, confectio hamech. Facta euacuatione siccetur ac roboretur caput ex libr. 3. de compos. med. sec. loc. per masticatoria, vt pyrethrũ & similia. Secũdo per cõtinuatas frictiones ad scapulas & brachia, quæ duræ sint, apponantur cucurbitulæ crebro & etiam scarificatæ.

Præparatio humorum.

ficatæ. Præterea quandoq; per intus assumpta siccandum est caput, vt per conseruas post cœnam, vt stœchadis condir. ex florib. rorismar. saluiæ. Theriacæ etiam vsus post cœnam ad quantitatem fabæ. Galenus vero imponebat etiam ad commissuram coronalem validissima, vt emplastrum ex thapsia, ex stercore columbino, ex euphorbio & alia tradita in curatione hemicraniæ in lib. 2. de compos. med. sec. loc. Aetius etiam imponit emplastrum ex radicibus anemones, quod validissime siccat. Quandoq; vero deradendū est caput & imponendum cetatum ex pice nigra, resina colophonia & terebinthina. Si autem hæc non adsint, veniendum est ad emplastrum cerinę Thesiphontis vel purum vel cum oxycroceo. Aetius maxime laudat emplastrum ex cochleis, quo etiam quandoq; ego vsus sum feliciter si hoc modo paretur;

Conserua capitales.

Emplastrū ex cochleis.

℞ myrrhæ
thuris an. ℥j.

cochleas integras er. v. misce, tunde in mortario simul addendo albumina ouorum duorum, & fiat veluti strigmentū, quod satis crassum imponatur & permaneat per nouem dies. Quando deuenire possumus ad stillicidium super coronalem commissuram. Si autem caput sit validum, vti possimus stillicidio artificiali exiccante sine calefactione. Si vero caput sit humidū & frigidū, vtendū est stillicidio naturali, vt ex aqua Apponensi vel aliis sulphureis & aluminosis. vel pulueribus inspergatur caput derasum & aceto madidum. Pulueres autem sint ax myrrha, thure, sandalis, rosis, ligno aloe. Si vero caput frigidum sit, addatur cinnamomum, piper, pyrethrum. Si vero calidum sit, vtimur rosis & aliis frigidis. Roborato autem capite ad locum affectum deueniendum est.

De Curatione Polypi per medicamenta localia siue loci tractationem.

CAP. XXIII.

Circa locum autē affectum cum auferēda sit hæc caruncula vel hæmorrhois sit, vel polypus: huic ablationi tripliciter satis fieri potest; aut scil. per exiccationem, aut per sectionem, aut per corrosionem. Per exiccationem quidem applicando medicamenta exiccantia, & non solum potestate talia sed etiam actu: quoniam valida requiritur exiccatio, vnde erunt vel sub forma trocisceorum vel pulueris, vt possint inspergi: inspergūntur autē vel cochleari vel specillo auriculam habente, vel per fistulam inspiratur & insufflatur per nares. quod melius est.

Forma medicamentorum.

Medicamenta autem siccantia cū alia sint robusta, alia leuia, in corporib. teneris mitioribus vtendum est, vt pulu. rosꝫ siccarū, vt in mulierculis, pueris eunuchis & similibus: hoc enim solo se vsum fuisse dicit Galenus: inter metallica vero est phompholyx lota, thutia Alexandrina lota, cadmia fossilis lota. Si vero robustum sit corpus in ætate iuuenili vel consistenti, ad robusta veniendum est, vt est puluis ex saluia, quo locum vino granatorum madefactum inspergimus. Præterea folia & nuces cupressi siccatæ, gallæ etiam immaturæ: pręterea medicamentum Galeni ex tribus granatis de quo agit lib. 3. de comp. med. per loc. cap. 3. quo etiam ego sæpe vsus sum. Sed notandum est, quod cum non adsint vbiq; omnia tria genera granatorum, quoniam in illo medicamēto oportet accipere vnum granatum dulce, aliud acidum, reliquum vero austerum, ideo nisi adsint omnia, accipiantur duo tantum, contundantur, extrahatur succus vel vinum, quod optime coctum & inspissatum seruetur in vase stanneo. Ex corticibus vero & nucleis exiccatis cōtusis fiant pastilli ad vsum. Quando vero substantia polypi est durior vel hęmorrhoidis vel carunculæ, accipiatur maior copia mali acidi, quia maior vis attenuans requiritur. Quando autem est mollior polypus, maior copia acerbi, quia maiori exiccatione opus est. Deficientibus vero acidis & austeris accipiantur mala immatura: sed ego deficiente acido admisceo succum vuæ immaturæ vel acetum vel sumach, & facio medicamentum opportunum.

Siccantia pro teneris corporibus.

Medicamētum ex trib. granatis.

Notandum.

Siccantia varia.

Punicorum acidorum loco quid accipiendum.

Quandoq; autem ad metallica deuenio, vt ad squamam æris & chalybis lotas, ad diapompholygem lotam, æs vstum, & ęruginem æris tostam & lotam: hæc enim extreme exiccant sine exulceratione & mordicatione his siccis vtendo.

Quoniam vero quandoq; impositionem sicci medicamenti per multos dies nō fert æger, ideo solet fieri ex his medicamentum liquidum in modum linimenti, accipiendo, vt facit Galenus loco trocisci ex tribus granatis succum pomorum dictorum decoctum & seruatum in vase stanneo, vt dictum est, & ipso nares illiniendo. Si vero illud non adsit, fiat linimentum ex succo omphacii, gallarum immaturarum vel sumach, vel ex corticib. malorum punicorum decoctis.

Si autem siccantia nihil facient, ad corrodentia deueniendum est & exedentia il-

Corrodentium materia lam carnem, quæ robustæ sint, facile enim nares talia tolerant, quorum materia est chalcanthum, alumen, sandaraca, præcipitatum, calx non extincta, diphryges, oleum sulphuris, oleum chalcanthi & huiusmodi.

Simplicia. *Composita.* Inter composita vero sunt trocisci Andronis, Pasionis, Polyidę, Ægyptiacum simplex & compositum, troscisci ex charta combusta, vnguentum apostolorum vel Damasceni & cauterium commune: his tamen semper gummi calorem naturalem contemperantia miscendo ac etiã cerebrũ, vt sunt myrrha, thus, mastiche & similia. Muniantur autem loca sana linteolo, vel pulueres hi inspergantur bis vel semel tantum in die. Ego autem vtor chalcantho vsto cum Ægyptiaco addito etiam oleo & cera, vel vtor alumine vsto cum præcipitato vsto, vel ol. sulph. & ol. chalcanthi.


Facta vstione obducatur cicatrice locus.

Curatio polypi per sectionem. Tertia autem curatio erat per sectionem, quæ maior est, hoc enim vnica vice Polypus totus educitur, quod à medicamentis in pluribus diebus fieri solet, & minori cum dolore fit sectio quam vstio per caustica. Sex autem modis solet auferri Polypus per manualem curationem. *Quot modis jecetur polypus.* *1 Modus.* Primo cum laqueo, imponendo filum circa radicem Polypi & arrepta radice fiat nodus sic relinquendo, quoniam post tres dies ex se cadit: Hoc autem tantum vtor ego in hæmorrhoide nasi, non autem in Polypo; & etiam hoc modo procedo in caruunculis, quæ non sunt in penitioribus partibus.

Sed cum Polypus penitioribus partibus hęreat, difficile est imponere filum, quod radices Polypi capiat, quare hic etiam modus erit ineptus in caruncula & hæmorrhoidibus *2.* narium, quæ radices altiores habeant. Paulus vero dilatans nares speculo volsella Polypum arripit deorsum trahens, & apposito specillo radici polypi tentat, qua inuenta instrumento ad folium myrthi paulatim excoriat radicem & secat. sed quoniam ex hac actione euenire potest, vt & mẽbranæ perforentur & cartilagines detegi possint, quare tuta nõ est *3.* actio, cum ex his postea fieri possint vlcera difficilia. Alii v. accipiẽtes Polypum volsella & deinde ferramẽto in summa sup̃ficie lunato ac incidẽte secãt radicẽ Polypi ipsum in nares impellentes. Sed etiam ex hoc modo quãdoq; cartilagines inciduntur, quare nõ est tutus.

4 Modus ipsius est Falloppii. Ego autem fistulam argenteam accipio nec nimis latam nec nimis angustã, deinde filum ęneum vel chalybeum satis crassum vel ferreum, ex quo arpicorda constituuntur, & ipsum duplicatum pono in fistulam illã, ita vt ex illo filo in altero capite fistulæ fiat ansa, qua in nares imposita polypum arripio. Cum autem ingressus est polypus in ansam, impello fistulam ad radicem polypi, & caput fili ænei in parte fistulæ inferiori existens traho, & sic radices polypi stringo & extraho, quia ab illo filo & ansa secatur radix polypi, quia mollis est substantia.

Forma instrumenti seu fistulæ.



Si autem durior sit substantia polypi, extraho polypum, ac deinde gladiolo seco, & eodem instrumento vtor ego ad hæmorrhoidas ani arripiendas & ligãdas, quæ postea per se cadunt. in hoc casu preciosissimum est instrumentum, quamuis alii habeant maximam *5.* difficultatem in arripiendis hæmorrhoidib. Aliqui vero fistula aliqua capiunt polypum & per fistulam ferrum ignitum traiiciunt ad intra nares, & ita vrunt, sed periculosa & molesta est actio. quoniam quamuis fistula ponatur, ne nares exurantur, tamen etiam fistula calefit à ferro ignito, licet etiam lineis muniatur, & sic nares exurit. Præterea ex vstione polypi resudat humiditas quædam ferulda per nares quæ exurit: præterea possunt exuri membranæ narium: præterea posset incalescere os ethmoides & lædi cerebrum, quoniam non potest videri modus exustionis, quare tuta non est curatio & actio hæc per vstionem. Alii *6.* in remotissimis polypis, in quibus non potest vsurpari ferrum, accipiunt funiculum & ipsum intorquent & imponunt in nares, ita vt ad palatum perueniat, & arripiunt filum ex vtroq; capite & diducunt vltro citroq; & sic polypum secant, quod tamen non probatur à me vllo modo: sed ego in hoc casu dilatans speculo nares forcipe ad hunc vsum apta polypum seco. Alii vero secant partes narium laterales, donec deueniant ad polypum, & ipsum deinde ligant donec per se cadat, vel exurunt vel secant, postea nares consuũt & agglutinatorium imponunt, quoniam nares facilime agglutinantur, & earũ vulnera cito facileq; sanantur. Post ablationem autem polypi, quomodocunq; ablatus sit, ad vlcus consolidandum vtemini siccantibus superius dictis ac epuloticis propositis.

De hydrocephalo & eius curatione exquisita. CAP. XXIV.

Ratio nominis.

IN puerorum capite ab ortus principio oritur tumor quidã hydrocephalus dictus, quia vt plurimum fit à collectione aquosæ materiæ. Sed quoniam non nisi quam in puerili ætate fit hic tumor, ideo recentiores ipsum vocant aquam concretam in capite puerorum.

Quot modis fiat. Quæ & quot loca occupet.

Fit autem variis modis. nam quandoq; fit, quia colligitur materia inter cutim & pericraneum & quandoq; inter pericranium & cranium, quandoq; inter membranas cerebri ac cerebrũ, vnde quatuor sunt loca ipsius, semper tamen fit tumor, augetur quantitas & pertubatur conformatio capitis.

Causa efficientes.

Causæ efficientes variæ sunt, sed prima est fluxio humorũ, quæ (fluxio) vt plurimũ oritur à toto corpore non solũ puerili sed etiã à venis inuolucri fœtus, id est, secundinæ & ab vtero male affecto, quoniã frequentissime fit tumor hic, dum puer est in vtero matris, quia vterus exonerat se per venas ad fœtum ad ipsum venientes, & sic ad caput pueri transmittitur materia hæc. Alia causa est venatum, membranarum aut corii capitis dilatatio, ex qua effunduntur humores. Tertia vero causa, quæ euidens dicitur ab Aetio lib. 7. c. 1. vel libr. 6. c. 3. est descriptio vasorum facta vel ab ictu vel à contusione.

Causa materialis.

Materialis autem causa vna tantum proponitur à recentioribus, & est aquositas menstrua cruda & imperfecta expulsa ab vtero ad fœtum, quam natura non potuit concoquere, quæ deinde ad caput fluens facit tumorem. Ego autem ex his coniicio, hos non nouisse nisi vnam tantũ speciem hydrocephali, quoniam etiam serum est materia ipsius, seu serosa superfluitas in venis contenta ex Paulo li. 6. c. 3. & ex Aetio lib. 5. Cum autem fit hic tumor ex ictu vel contusione venarum & arteriarum, materia eius est sanguis eductus per ictũ in vomicam collectus ac colliquatus & factus veluti succus fœculentus. *Notandum circa materiam.* Notãdum est autem quod quamuis isti tumores sint aquosi, aqua tamẽ illa est lenta & crassa non autem pura aqua, vt notat Aetius.

Signa hydrocephali.

Signa duplicia sunt, hydrocephali s. & loci ipsius. Hydrocephali autẽ primũ est, quoniam statim ab ortu pueri corrupta apparet conformatio capitis, ita vt pars aliqua ipsius ꝓmineat & tubercula habeat, præterea tumor est concolor cuti sine magno dolore, quia ab aqua fit. *Signa hydrocephali ex contusione.* Si vero in tali tumore adsit rubedo & dolor ad tactum, si sit satis insignis, tunc est hydrocephalus ex contusione & vasorum ruptura in ipso capite facta ab obstetricibus negligentibus, dum fœtus educitur, vel à matribus gerentibus, abdomen in aliquo loco percutientibus, q̃ ego fateor mihi ipsi euenisse, & factũ esse in me ratione & causa matris. *Si inter corium & pericranium.* Si autẽ hydrocephalon sit inter coriũ & pericraniũ & ab aqua, erit tumor mollis, valde ꝓminens concolor cuti, sine dolore, turgidus ac facile digito cedẽs & refluens. *Si inter pericranium & craniũ.* Eadẽ fere ratione cognoscitur esse inter pericraniũ & craniũ, hoc tamen differt, quia durior est tumor, quoniã infra membranã illam continetur. ꝑterea non ita facile cedit: & aliquid doloris adest ad tactum. *Si inter craniũ & membranam.* Si autem sit inter craniũ, durus est tumor, nec facile comprimenti cedit: si vero valde comprimatur, cedit; quoniam licet sub osse materia sit, tamen in puerulis molle est os ita, vt cedat valide comprimẽti eo magis cũ aqua subiecta mollia seruet ossa. Præterea cum cõprimitur, valde vagiunt pueri, quoniam ingens fit dolor: ꝑterea forma capitis tunc deterior est, & vt plurimum frons ꝓminet ita, vt si quid additum esset, & caligare oculis videtur, & quasi continuo illachrymãtur oculi vel vt plurimũ, nec audent pueri oculis aperire. *Si inter mẽbranas & cerebrum.* Si vero sit inter mẽbranas & cerebrũ, sunt illa eadẽ signa omnia, sed ꝑterea adest quidam veluti stupor sensuũ omnium, vnde stupidus videtur puer, ac nullo modo caput sustẽtare potest, & si comprimantur, vagiet veluti si ex somno excitaretur, ꝑterea ex naribus aliquid manat.

Præsagium.

Quo vero ad præsagiũ in hydrocephalo gemino exteriori salus pręsagiri potest, quoniam vt plurimũ sanantur, si recte tractentur. In interioribus vero mors vt plurimum, non tamen relinquendi sunt absq; curatione.

Curatio.

Curantur autem ab antiquis oẽs hydrocephali sola sectione, quæ tutior est in exterioribus. At in interioribus hydrocephalis periculosissima est, nec fieri debet, nisi tumor maximus sit. Hanc tamen recentiores timent ob nimiam euacuationem materierum: sed hoc antiqui non timebant vti exercitatiores. Ego tamen ipsam timeo ne cruciẽtur puerulí, vnde ipsam relinquo, si fieri possit: at si maxima sit copia aquæ, sectione opus est, quam in me ipso expertus sum. Si vero pauca sit, medicamentis vtendum est. Recẽtiores vero veniunt ad discussoria; vnde Guilhelmus Placentinus vtitur ol. anethino vel chamomel. addito sulphure. *An repellentia conueniant.* Sed ego maxime laudo repellentia, ex quibus mira quidem vidi, quæ nõ potuerunt agere discussoria, cum tamen alias ipsa non probauerim.

Quandoq; vero ex inũctione ol. rof. compl. vel ol. myrthin. vidi sanatos hydrocephalos spatio tantũ quatuor dierũ, quando ꝑcipue fit ex apertione & dilatatione venarũ in quibus conuenit curatio cõptimens & conspissans venas: Ideo ego vtebar medicamento mi-

Discussoria Fallopp. xto ex repellentibus & discutientibus. Ex discussoriis autem accipiebam viridia folia expressi & absynthii optime contusa, deinde affundebam ol.rosacompl.vel ol.myrthin.& faciebam linimentum. Quandoque vero vtor vnguento alabastrino, quandoque foliis hederæ cum illis repellentibus & cum foliis etiam absynthii cum ol.ros.vnde ego non probo *Recentiorũ confutatio.* discussoria recentiorum, qui coguntur post eorum vsum deuenire ad exustionem perforantes hydrocephalon, quoniam volunt, vt deinde tribus vel quatuor in locis caustico perforetur caput & linamento aliquo claudatur. quod quidem causticum ipsi laudant, quia à *Curatio propria.* sectione fugiunt, quasi quod causticum lenius ac leuius sit sectione. Sed meo quidem iudicio meaq; sententia si hydrocephalus sit ex contusione, vtendum est puris repellentibus. Si ex apertione vasorum repellentibus mixtis cum discutietibus, vt esset ol.rosa. cum chamo- *Resolutio difficultatis* mel.& etiam cum albo oũi mixtum. Quamuis autem ratio dictet, quod ex repercussione materia ad caput retrocedet, tamen cum hæc materia à toto deueniat, ex repercussione fit, vt adstrictis venis materia amplius non fluat ad caput. Cum vero his fuerimus pluribus diebus vsi, si quid remanserit, discutientibus vtendũ est, vt medicamento ex sulphure, vel oxycroceo Guilhelmi, vel cerine emplastro.

Apertio quando conueniat. Si vero medicamentis non cedat tumor, veniendum est ad sectionem, quam quidem optime docent Paulus & Aetius, & quam etiam ego laudo, si recens sit affectus, vt pũgatur ita, vt educi possit aqua perforando abscessum in loco decliui & ad euacuationẽ aquæ ad- *Repellens et inflammationem prohibens.* modum apto. Educta vero aqua statim glutinandus est locus, non autem relinquenda labia distantia, aliquid addendo repellens ac inflammationem prohibens, vt esset vinum austerum & oleum rosatum simul mixta, vt etiam dolor prohibeatur, & hæc cum lana applicentur, vel inspergatur puluis thuris vel aliud glutinatorium, vt est oleum abietinum admixtum mastichino. Si vero sit tumor sub osse, aliqui aperiunt & perforant os, ego tamen hoc non laudo: sed, vt docet Aetius, expectandam esse naturã puto, donec aperiat suturas, & locum ostendat vbi debeat fieri sectio. Sed sciendum est, quod fere omnes isti moriuntur, imo vnum tantum vidi, qui sectus fuit à me, & mortuus est. At primi duo exteriores fere semper sanantur cum repellentibus & discutientibus mixtis vel solis repellẽtibus vel sectione: ad exustionem autem nũquam deueni ego, quia nimis excruciat, & hęc de hydrocephalo.

De Cossis siue ionthis iuuenibus occurrentibus in facie. CAP. XXV.

Cossi iuuenum faciem infestantes etiam antiquis fuere noti ab iisq; vocati ionthi, eo q; forte videantur flosculi ac efflorescentia cutis faciei: Bothor faciei nuncupantur ab *Varia nomina.* Arabibus & barbaris, quia minimi sunt tumores: Paulus vero, Aetius, Galenus & Latini varos vocant, vulgus autem cossos appellat, & ratio ignoratur. Sed notandum est, quod *Notandum.* oritur etiam quidam affectus in facie, qui gutta rosacea vel rubea vocatur, in qua color faciei mutatur in rubrum ac cutis inæqualis redditur & fere tumida, quæ quandoq; videtur quasi præludium elephantiasis, quæ differt valde à cossis, licet qui hac laborant, etiam cos- *Gutta rosacea differt à cossis* sos patiantur: plurimi tamen cossos patiuntur, non tamen guttam illam rosaceam.

Causæ efficientes. Causæ varorum efficientes potissimũ sunt contagium vel consuetudo: præterea fluxio humoris peccantis aliquando ab vniuerso corpore sed præcipue ab epate. Materiales *Materiales.* vero ex Aetio lib.8.c.13 & Gal.lib.5.de comp.med.sec.loc.c.3.sunt humores crassi. Sed recentiores distinctus loquentes dicunt materiam cossorum duplicem esse: alteram phlegma tantum, alteram phlegma cum sanguine: & ex hac materia duplici, varorum etiam duplicem speciem faciũt, quarum alteram vocant varos rubeos, alterã lacteos, quorum etiam *Differentia.* curatio variatur.

Signa. Quo ad signa, sunt tubercula minima in acutiem desinentia, modo rubea, modo vero *Præsagium.* alba. Quo ad præsagiũ, si multitudo horũ occupet totam faciem, presagienda est difficillima curatio, quia semper noua tubercula suboriuntur. Similiter si inueterata sit hæc affectio, vnde plurimi sanari non possunt, quoniam quamuis singula tubercula sanẽtur, noua tamen semper suboriuntur, quæ prohiberi non possunt. Si vero recens sit per contagium *Curatio.* recepta, nõ ita difficile curatur. Curantur autem si magna sint & inueterata instituta bona *Victus ratio.* victus ratione, vt si albi sint vel lactei, victus tenuis sit ac bonum generans succum calidum & siccum & attenuans. Si vero rubri sint, victus sit tenuis quidem, non tamen attenuans, *Aquæ thermales refrigerantes.* sed potius hepar refrigerans. Aquę thermales refrigerantes, vt Villenses vel frigidę istæ nostræ, vel coppo diui Petri vel virginis in monte Orthoni, vel Lucenses vel Calderianę in agro Veronensi, vel Agnanæ in agro Pisano; quę omnes prosunt, si in ipsis infundatur. Si au- *Phlebotomia.* tem ventriculis sit frigidus, calida adhibeantur. Præterea si rubri sint, secetur vena in vere. Si autem lactei, euacuatio fiat per pharmacũ pituitosos humores educens. Facta euacuatione ac instituta victus ratione in sex rebus non naturalibus ad locum affectum deueniẽdum

Loci affecti tractatio.

dum est, circa quem ex Galeno indicatur discussoria valida, vt cito discutiatur materia, ne veniat ad suppurationē, quoniā longior tunc fit affectus molestior ac relinquens vestigiū in facie, & quandoq; puncta nigra quædam veluti stigmata faciē maxime deturpantia. Sed cum duri sint tumores ac succi crassi, emollientia cum discutientibus misceantur, vt dicit Galenus, qui quidem vnum omisit, q; ego tamen ex suis medicamentis propositis elicio, q; s. ad ea opus est etiam sectione & incisione, ideo oportet, vt medicamentum discussorium sit emolliens & incidens ac dissecans, quia aliter materia illa non potest emolliri. Sed cum varorum alii sint rubri, alii lactei, varia requiruntur: vnde in rubris pro discutientibus, incidentibus & attenuantibus est acetum acidum & acre, vt robuste discutiat, vt etiam succus limonum, & succus vuæ acerbæ, item succus lapatii acidi siue acuti, id est, acetosæ, vel vinū granatorum acidorum vel eorum succus: præterea alumen prēstans est, quoniam siccat & attenuat. Pro emollientibus autem addimus semina melonum, quoniam habent in se pinguedinem vel oleoginositatem quandam emollientem, similiter amygdalas amaras & etiā dulces, nucleos etiam persicorum, semina ricini, id est, cataputiæ maioris, quā girasole vocat vulgus vel mirasole; vel admisceatur oleum factum ex suis seminibus, quod dicitur oleum de cherua. Præterea sunt farinæ, vt farina cocta hordei vel fabarum.

Vari rubri quibus tractandi.

Seminū melonum &c.

Composita.

Composita autem medicamenta plura sunt, sed accipiantur amygdalę amaræ & dulces: vel aliquod ex dictis seminibus, & contundatur in mortario, deinde affundatur aliquis succus acerrimus, vt acetum vel succus limonum, quandoq; addendo portiunculā aluminis combusti: Quantitas autem sit pro ratione corporis subiecti vel validi vel imbecillis & fiat linimentum. Ego autem habeo familiare quoddam medicamentum ex succo limonū, cochleis, vel porceletis illis, quæ sunt veluti cochleæ marinæ albæ & lucentes, quæ tenentur ab vnguentariis, & has colloco in succo limonum recēti donec succus ille absumat totam illam testam & relinquatur limus, quo postea locum inungo. Quandoq; vero si varus est durior, cum hoc luto misceo aliquid amygdalarū amararū vel nucleos persicorū masticatos, vel butyrum vetustissimū: vel pomatā, si delicatū sit corpus. Si autē rebelles sint vari, venio ego ad medicamentū robustissimū mihi admodū familiare hoc modo confectum;

Familiare Fallop.

Aliud familiare ad rebelles varos rubeos.

℞ sublimati præparati loti ʒj
ol. amygd. dulc. ℥j, misce in vase vitreo aut supra cineres calidos aut sub sole, deinde accipio vel ol. amygd. dulc. optime contusarum vel amararū, vel seminum melonū optime contusorū ac mundatorū ℥ß, & cum illo oleo & sublimato misceo, postea addo succi limonū, plantag. acetosæ & aq. ros. an ℥ß & misceo, & cum albumine oui vnius & concutio, donec omnia incorporentur: & hoc robustissimum est in varis rubeis rebellibus ac maxime faciens, imo quo nihil aliud inueni validius. Si vero vari lactei sint, medicamenta accipiantur attenuantia, discutientia & emollientia, vt nitrum vel sal nitri, quando nitro caremus, sulphur ignem non expertum, sandaraca vsta, auripigmentum vstum & lotum, piper, cinamomum, cardamomū maius & minus, semina anisorū, sinapis & omnia semina acria: radix ari, id est, dracunculi maioris & minoris: radices bryoniæ albæ & nigræ: alcyonia præterea omnia, sapones omnes, præsertim ille, qui dicitur pro pānis & niger, fæx vini vsta, quæ est alumen fæcis, oleum tartari, & radices ellebori albi ex antiquorum autoritate. Pro emollientibus autem iidem nuclei dicti, pinguedines variæ, vt pomata vel vnguentum ros. Mes. quibus acria illa excipiantur, vel ol. amygd. dul. addentes ammoniacum, styracem & similia: vt pro exemplo, si vultis, hoc modo;

Ad varos lacteos simplicia.

Emollientia

Composita emollientia & attenuantia.

℞ pulu. cardamomi ma. & min.
& caryophyll. an. ʒß
sulphur. viui ʒjß
nitri ℈j, terantur simul & cum s. q. pomatæ f. linim. emolliens & discutiens. vel fiat hoc modo;

℞ pulu. cardam. ma.
sem. anis.
cinnam.
pip.
baccar. iunip. puluerisʃ. an ℈j
rad. ari siccatar.
serpentar. ma. siccat. an ʒj
nitri ℈ij.
vng. ros. Mes. q. s. tritis terendis misce in mortario pro linimento.

Cum autem volo robur addere, admisceo alumen combustum & præcipue cupero-

sum,quod maxime cutim roborat præter attenuationem & siccationem,quam habet;vnde quandoq; ipso solo vtor cuperoso in mortario contuso admixto luteo oui & ol. amygd. dulc.& linimentum.Cum vero his vtor, quandoq; robustissima addo, vt pulu. rad. elleb. alb.vel sandaracam & auripigmentum.

Stigmatum ablatio. Si autem ad suppurationem veniat varus,& relinquantur stigmata nigra,vt tollantur, madefiat locus succo limonum per tres vel quatuor vices. Si vero hoc non sufficiat,vtendum est oleo tartari,quo madefiat acumen acus,& deinde stigma tangatur. Si vero adhuc non succedat, calamo scriptorio acuminato in acie extraho stigma illud sine molestia accipiendo cutim & ad exteriora trahendo, vt promineat stigma, deinde penna illa acutissima infixa traho;neque in hoc casu vtor gladiolo,ne vlceret partes sanas, vt fit in phlebotomia.Educto autem stigmate per se solidatur locus & sanatur.& hæc sufficiunt de varis siue cossis:sequitur vt de affectibus oris loquamur,& primum de ranula siue lingua pagana.

De Ranula siue batracho. CAP. XXVI.

TVmor quidam sub lingua oritur,à recentioribus ranulus siue ranula vocatus,à Græcis autem βάτραχος.quoniam in rana talis reperitur tumor loco linguæ,qui noua lingua videtur in homine, & vulgo vocatur lingua pagana,quoniã vulgus pagani nomine aliquid

Ratio nominis. inutile intelligit ac malum.Hic autem tumor aliquos balbutiẽtes facit ac blæsos,ac loquelam maxime impedit; nos autem loquimur de illo, qui actionem impedit ac impedire potest.

Causa. Causa efficiens primo est fluxio è capite aut à toto, quæ fit vel ob attractionem vel ob expulsionem,vel ob motum humorum proprium : aliquando enim fluit sanguis purus, aliquando pituitosus: & hi tumores faciunt ranulam hanc veluti carnem additam, ita vt tumor sit mollis,rubicundus, laxus & sine dolore:aliquando vero fluit melancholicus humor per se,vel cum pituita crassa, & tunc fit tuberculũ nigrum & liuidum, durum ac sine sensu & dolore:aliquando tamen puncturas habet;vnde duplex est ranula,altera veluti caro addita mollis,laxa & sine dolore ac rubicunda,altera vero denigrata,dura ac cancerosa

Signa. dicta.Cognoscitur autem eleuata lingua,videtur enim altera lingua addita.

Præsagium. Quo ad præsagium,ranula cancerata nunquam sanatur, quoniam vlceratur & hominem interficit, quare curatio ipsius non est aggredienda : ranula vero simpliciter dicta sanabilis est.

Curatio. Curatur autẽ,si instituatur bona victus ratio,deinde corpus euacuetur, &,si minima non sit,secetur vena,non quidẽ ratione affectus,sed loci, qui est alicuius momenti & plurimos habet neruos.Præterea quia acria sunt apponenda medicamenta, à quibus excitari

Loci affecti tractatio. Exiccantia, & repellentia. possit fluxio,ideo ante purgationem fiat præparatio. Quo ad locum affectum,tripliciter superari potest,aut exiccantibus aut exedentibus aut actione manuali.Exiccantia & repellentia laudat Auicennas, vt ex sumach, hippocystide, gallis &c. vt & ipsos trocisos ex tribus granatis.Idem puluerem ex cortice granatorum additis aliquibus concoquẽtibus, vt thure,mastiche & myrrha,vt aloes amaritudo fugiatur. Præterea omnia exiccantia in primo gradu dicta in polypo conueniunt in ranula.

Exedentia. Si exiccãtia non sufficiunt,veniendum est ad exedentia dicta in polypo, exceptis auripigmento,sublimato,præcipitato & aliis huiusmodi sua natura venenosis propter cõmunicantiam oris cum ventriculo & eius ore. Accipiatur itaq; alumen,chalcanthũ,mysi,sory & cuperosa, quæ quamuis bona non sint ratione ventriculi, tamen etsi deglutiantur, non

Oleum sulphuris ad lapidem renũ, & Vermes quomodo exhibendũ. sunt venenosa.Præterea oleum geminum sulphuris & oleum chalcãthi, quæ etiam per interius exhibentur in vermibus ac lapide renum;in lapide quidem renum datur oleũ chalcanthi vel sulphuris ad tres guttas cum vino, aliquo decocto,vel vt ex capill. vener. In vermibus vero datur eorum gutta cum aqua graminis.

Si vero non succedat per hæc res,veniendum est ad sectionem. Aetius vero lib.8.ca. 37.dicit secandas tantum esse venas illas nigras & turgentes sub lingua existentes. Albuca-

Ranula sectio. sis vero & recentiores volsella ranulam accipiunt & per transuersum secant,deinde imponunt exedentia, vt oleum sulphuris & chalcanthi.Postea dicit Guilhelmus Placentinus, quod sola aqua aluminosa teneatur sub lingua admixta myrrha cocta, quia satis est ad cicatricem inducendam,vel accipere mel rosatum vel syrupum myrthinum cum portiuncula aluminis & inungatur locus.& hæc est ranula antiquorum.

Ranula alia à Falloppio adinuenta. Ego autem experientia adinueni aliam reperiri ranulam, quæ oritur sub palato similitudinẽ habens ranulæ;oritur autem sub palato, videlicet in membranulis vestientib. palatum in parte inferiori, & differt à ranula antiquorũ, quoniã hæc oritur in cauitate illa laxa,

quæ

Ranula partes quibus accidat. *Curatio ex Falloppio.*

quæ est intet linguã & musculos in membrana inferiori & veluti meliceris est & elata lingua facile patet. Tumor autem hic his accidit, qui sæpe caput sibi mundãt & permittunt ex seficcari, neq; de hoc tumore aut antiqui aut recentiores locuti sunt, sed ego ipsam adinueni & obseruaui, quod quandoq; adeo crescit, vt etiam in partibus infra mentũ appareat. Oritur vt plurimũ ex fluxione à capite, quandoq; ex fluxione facta à ventriculo ꝑ porositates linguę. In hoc motbo idẽ fere indicatur, quod in meliceride, nisi quia nec putrefactio nec discussio in hoc tumore succedit, quoniam non possunt in loco medicamenta seruati, neq; etiam excisio tuta est, nec vsus causticorũ, neque excoriari potest folliculus; hęc enim in ore periculosa sunt. Ego itaq; attenuationem cutis supra positæ, in qua humor continetut, per caricã tento supra tumorẽ detentã, quandoq; vero cum carica misceo aliq̃d nitri. Attenuata autem cuti, apposito pollice sub mento, vt eo comprimento bene ꝓmineat ranula, apertoq; ote phlebotomo ranulã petforo in loco, in quo non sint amplæ venæ neq; earum multitudo faciens sectionẽ aliquantisper magnã, ex qua magna pituitæ flauæ quantitas effluit, quę videtur mel, quam comprimendo totam educo, & ea educta statim affundo mel rosatum, vt detergatur folliculus, ita vt partes illæ deinde agglutinari possint. Si vero inueterata sit ranula, impono mel rosatum cum alumine rochæ combusto & hoc inungo donec sanetur vlcus, à principio s. vsq; ad finem.

Si ranula sit inueterata.

Si redeat ranula. *Signa ranulæ non rediturae.*

Sed cum quandoque secta tanula & educta materia mellea & sanato vlcere postea ad quinque vel sex dies alia renascitur ranula, tunc non est deueniendum statim ad sectionem sed oportet permittete vt crescat, deinde secetur; quoniam si statim secetur, iterum regeneratur & quandoque renascitut bis, tet & quater, quamuis etiam corpus purgatum fuerit & reuulsiones factæ sint. Cognoscitur autem nõ amplius redituram esse neque regeneraturam esse ranulam, quoniam vltima vice fit tumor durus, vt scirrhus & melleus, & sic vltim⁹ hic tumot sanatur per impositione butyri vetusti & ol. amygd. dulc. intus imposita: extra vero cum his, quæ dicta sunt alias; præterea cum discutientibus. Si vero his non succedat cutatio, imponantur caricæ cum butyro vel alia aliqua pinguedine quæ faciant ad maturationem, & exterius alia cetata pinguia, quoniam sic sanantur, nec amplius reuiuiscit tanula.

De Gingiuarum parulidibus. CAP. XXVII.

Ratio nominis. *Differentia.* *Causa.* *Materia.*

IN gingiuis contingit inflammatio otiens nunc in vna parte gingiuæ nunc in alia, & παρυλὶς dicitur à Græcis, videtut; enim tanquam noua gingiua addita priori, ideo παρυλὶς dicitut, quasi gingiua parua obotta alteri gingiuæ. Ista autem duplicia sunt; alia calida ex sanguine, alia frigida ex materia puitosa. Causę autem ex Petro de Argillata sunt destillationes à capite, quandoq; à ventriculo, quandoq; ab aliis partibus, quandoq; à dolotibus dẽtium, quoniam dolor attrahit. Matetia autem varia est; modo enim pituita sola, modo pituita cũ sanguine, modo purus sanguis, ne crebta sunt hæc tubercula.

Curatio si recens sit parulis.

Sed cum alia sit recens alia vero momenti ac recidiuans; plurimi enim sunt, in quibus teuiuiscunt sæpius humores, quare si recens sit, statim ad locum affectum accedere possumus.

Si recidiuãs.

Si vero recidiuans, prius est euacuandum totum ac optime caput purgandũ & roborandum ac reuulsionibus vtendum ac bona victus ratio instituenda, aliter nihil fiet, vel si sanantur, iterum reuiuiscunt & tandem in fistulam insanabilem desinent.

Discussoriũ familiare Falloppio. *Passula non nota antiquis.* *Cuperosa quid.* *Notandum circa chalcanthum.*

Circa locum autem affectum antiquiores vt Paulus & Aetius & recentiores etiam statim deueniunt ad medicamenta robuste siccantia & discutientia. Si vero his non succedat, ad caustica deueniunt; & si hæc non faciunt, tentant maturationẽ, deinde sectionem. Inter exiccantia autem primo est decoctum fœnugtæci, secundo cremor ptisanæ, tertio vinum mulsum. Si autem hæc non faciunt, admiscẽt sulphur cum melle cocto. Ego autem pro discussorio accipete soleo caricam & ipsa perforata in eam pono sal nitrum & vstum optime & frico & pono super locum: Quandoq; vero impono nitrum fricando cum carica: Quandoq; passulas maiores, quæ possunt enucleari non autem illas paruas, quas non nouere antiqui: venio ergo ego ad passulam illam vocatam cubebo, quem antiqui per passulas maiores intelligebãt, & has euncleo, & in ipsas sal imponens frico & inuersam vuam impono. Si vero hoc non valet, ad discussorium venio ex catica cum alumine vsto, quandoq; ad alumẽ vstum & chalcanthũ. Sed libentius cuperosa vtot q̃ est chalcanthũ purissimum, quia non habet admixtum æs vel ferrum, & sciendum est, ꝙ nisi chalcanthũ haberet ferrum vel æs albũ admixtum, concresceret; sed isti, si viride non conetescat, addunt, dum ipsum præparant ad tincturas, æs vel ferrum, ideo ego libentius vtor cuperosa in his pattib.

miscendo cum caricis & imponendo. Sed cum pauca sint tubercula, quę discutiãtur, (ego enim testor, ex centum parulidibus quatuor non vidisse dissipatas, sed omnes fere suppurantur) ideo cum succedit discussio in primis illis 4. diebus, venio ad maturationem cum caricis vel vuis dictis addito butyto vel pinguedine gallinæ vel anseris vel ol. amygd. dulc. vel cum decocto ex maluis rad. altheæ additis caricis. Statim autem maturatum tuberculum aperiendum est, quia solet materia illa acris corrodere membranam, quæ ligatur maxillis, qua corrosa fiunt fistulæ: quare statim aperienda est: Sectio autem dupliciter fit; nam si noua sit ac non recidiuans parulis, satis est phlebotomo pungere per transuersum abscessum ipsum secando, vt pus excernatur, deinde accipiatur flosculum siue portio illa, quæ colligitur ex linteo corraso & imponatur in vlcus facto linamento vt distent labia, deinde imponatur mel rosatum simplex cum ipso pluries in die locum inungẽdo, quoniam cum saliua detergitur locus, vel si opus sit cum melle rosato admixto vtemini pauco alumine vsto. Si autem ex recidiua sit parulis, oportet forcipe rescindere totum acumen tumoris, aliter succederet fistula, quæ clauditur & facit nouam parulidem & iterum clauditur & nouam facit fistulam: quare exscindatur nouacula vel forcipe, deinde expleatur cauitas alumine vsto addito pauco melle rosato: deinde tota curatio procedat cum melle rosato cum pauco alumine: potestis etiam cum aqua aluminosa, id est, cum nitrosa ac alumine vsto vti donec sanetur. Si vero succedat fistula, curetur cura propria.

Curatio per sectionem.

Si sit parulis ex recidiua.

De Epulide seu gingiuarum tumore. CAP. XXVIII.

SOlent gingiuæ aliud etiam genus tumoris pati à Græcis ἐπουλὶς dictum, de quo Latini nihil dixere, cum tamen creber sit hic tumor in his, qui geminos habent dentes; & etiam communis est illis hic tumor, qui destillationes patiuntur, de quo agit Paulus lib. 3. ca. 27. & lib. 6. cap. 26. & lib. 8. cap. 25. morbus autem hic talis est: gingiua enim ambiens vltimum dentem, præcipue in mala inferiori, ita quandoq; crescit ac super dẽtem serpit & ita ad anteriora procedit, vt cadens inter dentem & dentem contundatur, & maximum facit dolorem ita vt os aperiri non possit, neq; quandoq; patiens comedere: ἐπουλὶς Græcis dicitur quasi noua gingiua.

Nominis ratio.

Causa. Causæ huius præcipuę sunt geminorum dentium generatio, qui quandoque 21. anno fieri solent: tumor autem hic fit, quoniam dentes illi tendunt carnem suppositã gingiuæ, & cum illam non possint rumpere, sunt in causa, vt gingiua intumescat & inflammationem patiatur. Alia causa est fluxio à capite calida ex salsa pituita, vnde qui laborant morbo gallico, in quibus defluuium gallicum est ad palatum, hunc tumorem sæpe pati solent. *Materia.* Materia autem est cathatralis vt plurimum, quæ quandoq; tenuis ac insipida est.

Signa. Signa nota sunt: videtur enim caro adaucta tegens partem dentis: adest præterea dolor maximus & impedimentum in comedendo, febres quandoque ingentissimæ insequi solent & ardentes.

Præsagium. Præsagium autem semper est bonum, nam superata inflammatione facile aufertur caruncula illa.

Curatio. Curatio autem est, si inflammatio sit alicuius momenti, præmittenda sunt capitá vniuersalia iam dicta: si vero non sit momenti, locus tantum affectus tractetur duo agendo, primum scil. inflammationem mitigando ex mulsa vel decocto sem. lini vel cremore ptisanæ ipsis abluendo. Ego autem soleo accipere decoctum fol. malu. addito saccharo vel melle rosſ. os colluendo: vel accipio lac admixto decocto malu. vel passularum vel caricarum. At si feruens sit febris & inflammatio ingens, accipio lac purum millies ipso os colluendo: quandoque admisceo decoctum maluarum, quandoque caricarum. At si magis mitigare volo, lacti aquam rosaceam admisceo vel succum ros. Si vero magis siccante opus est, addo mel rosatum. quandoq; autẽ extinguo chalybem pluries in lacte & vtor. Per exterius vero impono emplastrum ex pane, violis, rosis & lacte, ponendo exterius ad maxillam ad radicem scil. aurium: quandoq; vero decoctum violariæ fol. scil. & etiam malu. addito pane & ol. rosato facio emplastrum optimum.

Auxilia propria pro ablutione.

Per exterius applicata.

Superata inflammatione potest aperiri os, quod prius non poterat, tunc itaque est auferenda caro illa, quæ aufertur vel per corrosionem vel per sectionem vel exiccationem: per exiccationem quidem inspergendo gallas: vel medicamentum ex tribus granatis, vel alia dicta in polypo. Si exiccatio non faciat, ad exedentia deueniendum est, inter quæ tria ego familiaria maxime habeo, quorum primum est alumen rochæ combustũ, secundum scobs vsta, tertium chalcanthũ vstum ęquis portionib. assumpta & addito sale

Carnis ablatio quot modis fiat.

Per exiccationem.

Familiaria pro exedenda carne.

tosto

tosto ac optime trita inspergantur & imponantur loco vel fricentur gingiuæ. Antiqui autem sumebant ærugines & cętera, quę dicta sunt in polypo, sed mihi admodũ non placent. Secundum medicamentum mihi familiare erat oleum sulph. tertium vero aqua aluminis magistralis, quibus locum madefacio cotone in ipsis madefacto, & ex his ita gingiua corroditur, vt liberetur. Sed quoniam aliquando gingiua fit callosa & non potest auferri per exedentia; ideo tunc venio ego ad sectionem cum Paulo & Aetio. Notandum est tamen, quod mea differt sectio à sectione Pauli & Aetii; nam ipsi volsella carnem arripiunt, postea forcipe secant: sed ego habeo instrumentum falcatum, quod erat ad modum falcis, qua prata secantur habens aciẽ acutissimã, & hoc seco per mediũ ipsam gingiuã, non autẽ carnem aliquã auferendo, aut amputando, sed cum acie illius instrumenti vsq; ad dentem gingiuam seco, deinde partes separo ita vt vna caderet inter dẽtes, altera vero extra; postea accipio lanuginem lintei abrasi, & ipsam obuoluo alumine combusto, vel imbuo in aqua aluminis & impono in illam sectionem vt remaneant partes illæ separatæ. Postea ad obducendam cicatricem vtor alumine combusto cum melle rosato, rubens, vt abluatur os cum decocto aluminis & myrrhæ in vino decoctis, quæ curatio mihi semper successit. Sed quia quandoq; opus est totam illam gingiuę substantiam amputare, vt facit Aetius & Paulus quamuis raro hoc accidat, ideo si opus est, amputetur. At si leuis sit affectus sola frictione salis & aluminis sanantur, vt ego multoties vidi & sanaui.

Falloppii curatio per sectionem diuersam ab illa Pauli & Aetii.

Est præterea alius tumor gingiuarum parulida dictus, qui est ipsarum inflammatio quandoq; maxime molesta, de qua Paulus li. 3. c. 28. & in qua oriuntur grauissimi dolores, quę quoniam eodem modo curatur, vt dictum est, ideo illa eadem, quæ in superioribus dixi considerantes in huius curatione similiter procedetis.

Parulida gingiuarũ.

De Panariciis vnguium ac digitorum affectibus CAP. XXIX.

SVccedunt tumores grauissimi circa vngues orti vulgo panaricia dicti, à græcis vero παρωνυχία, quia frequentissimi sunt circa ipsos digitos quãdoq; ipsos corrumpendo, in Hetruria vocatur il mal del pino, eo quod disrupto abscessu succrescat caro quædam, quæ pinus formam habet; apud aliquos autem vocatur il mal del fico, quia folia ficus arida & lac ipsius solent affectum hunc sanare, & est inflammatio sæuissima, & ita vt Theodoricus dicat eodem modo tractandam esse vt carbunculos.

Mal del pino. *Mal del fico.*

Causæ huius externæ sunt contusiones, à quibus sæpe oriuntur: quandoque punctæ in extremis vnguibus sunt harum causæ & exulcerationes rediuiarum, id est, pellicularum circa vngues existentium, vnde sæpe accidit vt mulieres consuentes ipsum patiantur affectum. Semper autem immediata causa est fluxio, quæ fit vel à dolore vel alia quauis causa alias dicta.

Causa paronychiæ.

Materia autem est tenuis ac biliosus vel sanguis exustus melancholicus, vt plurimum tamen est biliosus, tenuis & præter modum calidus, qui cum inuadat extrema digitorum ostia, primo vngues inflammat, postea etiam cæteras partes.

Materia.

Signa sunt tumor partis, rubedo aliqua, pulsatio dolorosa, vigiliæ perpetuæ, febrisq; magna quandoq;.

Signa.

Præsagium autem tale est, quod, si inueteratæ sunt paronychiæ & induratæ, præsagiendum est, quod radix vnguis sit corrupta & os extremum digiti vitiatum; ideo longa erit curatio, quoniam tunc oportet aperire & auferre os vitiatum.

Præsagium.

Si autem recens sit affectio, semper cita sanitas est pronuncianda & facilis; quia si à principio curatur, vel non fiet, vel cito curabitur. Si vero sit inueterata ac iam suppurata, pronuncianda est difficillima curatio ac etiam quandoque articuli corruptio, & totius etiam interdum digiti, & mors aliquando, quoniam quandoq; sphacelus succedit.

Curatio autem si in principio vocati eritis, non faciatis vt faciunt recentiores, qui hanc valde timentes communiter venam secant, aluum leniunt & cum pharmacis biliosum humorem educentibus corpus expurgant. Tenuem etiam victus rationem instituentes; Si enim scirent, qua ratione ista sint tractanda, non deuenirent ad hæc, sed sine his locum affectum sanarent; quoniam non est opus his, nisi vehemens sit inflammatio & febris, quare in principio statim, vt mea fert sententia, veniendum est ad loci affecti pertractationem; primo tentando prohitionẽ huius tumoris ac materiæ illius dissipationem statim; & ob id antiqui statim veniunt ad repellentia. Vnde ego statim, nisi incipiat suppurari, ad acerrimum acetum deuenio, linteum ipso madefaciens & digitum obuoluens vel succum limonum impono, vel mando vt æger digitum teneat in succo agrestæ, vel facio emplastrum ex farina hordei cum succo agrestæ vel limonum vel aceto & impono.

Curatio. *An phlebotomia & euacuatio conueniat.* *A principio agenda ante suppurationem.*

Aliqui vero recentiores faciunt emplastrum ex gallis vel ex corticibus cotoneorum, & bene faciunt; omnia enim acerba maxime laudo ac repellentia, quæ refrigerent & exiccent. Neque est veniendum statim ad doloris mitigationem, vt aliqui faciunt ignari, quoniam ista fugienda sunt, sed repellentibus vtendum. Si autem ex vsu repellentium non cedat dolor, sed potius augeatur, tumor tamen minuatur, ex hoc colligendum est, quod materia quidem digeritur, sed crassior in profundo colligitur, quæ repelli non potest; quare tūc veniendum est ad maturationem & concoctionem, non autem ad digestionem, quia hęc res non succedit. Tunc itaq; ego laudo medicamentum Lanfranci ex axungia & scabiosæ foliis virentibus contusis, quia putredini resistit atq; cōcoquit. Si vero hoc nō adsit, ego accipio consolidæ mediæ folia vel minoris, id est, folia illius primæ consolidæ, quæ primula veris dicitur, & contundo cum axungia & butyro: vel accipio caricas contusas cum butyro, vel portiunculam lardi saliti & impono sal cum aliqua portione croci, & super locum pono ad maturationem.

Error eorū, qui statim deueniunt ad mitigationem doloris.

Medicamen tum Lanfranc.

Medicamen tum proprium.

Facta autem maturatione aliqui secant ferro ignito antequam fiat perfecta maturatio, vt Ioannes de Vigo, qui monet, vt abscessus aperiatur, antequam optime sit maturatus, ferro ignito. quod tamen ego non laudo, sed volo potius, quod expectetur bona concoctio, deinde nouacula aperiatur. Sanie autem expressa quandoque solet superuenire caruncula, quæ πτερύγιον vocatur, quæ est caro supercrescens circa vngues, quam recentiores neglexere, quamuis Celsus lib. 6. c. 11. eam non neglexerit; & hæc non est rediuia illa, quæ etiam πτερύγιον à Græcis vocatur: nam ipsi per pterygion duo intelligunt, primo pelliculam illam, quæ vestit vngues, de qua non loquimur in præsentia: secundo vero πτερύγιον vocant carnem hanc supercrescentem, vnde male aliqui in Paulo & Aetio rediuiam hoc vertunt; nam Celsus in morbis hoc meminit, at illa πτερύγιον non est morbus. Succrescit ergo caro ista, quæ vera πτερύγιον dicitur vel aperto panaricio, vel non aperto etiam, & est caro dolorosa ac grauis.

Pterygion à recentioribus neglectum.

Notandum autem est, quod hæc solet quandoq; decipere Medicos, quoniā in omni suppuratione vnguium semper in radice media vnguis solet oriri caruncula, quæ est origo vnguis, & ipsi credunt eam esse pterygion, de quo loquimur, quam quandoque erodentibus cutant; sed decipiuntur; nam caruncula, de qua loquimur, vt plurimum nascitur à lateribus vnguium, & est in principio, id est, in eius radice angusta, superius autem lata est: Cōtra vero se habet illa, quæ est origo vnguium, quæ radix est vnguis, & est bona caro ac lata in radice.

Error Medicorum in cognitione pterygii.

Superueniente ergo hoc pterygio omnes veniunt ad exedentia dicta, vt squamas, præcipitatum, chalcanthum, trociscos Andronis, trociscos ex charta combusta, trociscos Pasionis, & illos, qui sandaracam & sublimatum habent, quandoq; oleum chalcanthi vel aluminis vel sulphuris. Aliqui vero veniunt ad exustionem, quanquam ego eam non laudauerim vnquam. Bene verum est, quod quandoq; deuenio ad oleum sulphuris & chalcanthi, quandoque ad folia ficus arida vel ad vnguentum ægyptiacum. Si autem non superueniat caruncula & sola sanies ex abscessu educatur, isti imponunt vnguentum apostolicum: Ego vero impono vnguentum Isidis vel mel rosatum cum alumine combusto.

Vstio reprobatur.

Sed cum hoc appositū fuerit, extra deinde apponendum est medicamentum repellēs, quare extra ego impono vel micam panis madidam in vino austero nigro vel posca intinctam, vel impono vnguentum diapompholygos dictum, & his vtor, donec ab omni sorde sit liberatus abscessus. Liberato autem eo è sorde, diapompholyge solo, vel vnguento diapalm. vti possumus vsq; in finem. Quomodo autem curanda sint ossa corrupta & nerui, in superiori anno dixi, quomodoq; sint educenda, cum de articulis tractarem; quare si os corrumpatur, ad illa iam dicta recurrendum est.

De Hernia quacunque, primum tamen de vmbilicali.

CAP. XXX.

HErnia est affectus tumidus, qui solet oriri tribus in locis corporis; rupturam vocant recentiores: vel enim oritur circa vmbilicum, vel in inguinibus, vel in scroto, quæ tres sunt herniæ, vmbilicalis s. inguinalis, & scroti. vnde primum aggrediamur nos sermonem de vmbilicali.

Loca subiecta herniæ.

Differentiæ.

Solet pellicula illa rugosa, quæ à Græcis γραῖα, id est, vetula dicitur, quia est rugosa, intumescere & extendi præter naturam & à Græcis ἐξόμφαλον vocatur, à nostris autem prominentia vmbilicalis siue vmbilici, de qua Paulus lib. 6, c. 51. & Aetius lib. 4. cap. 26. & hęc est fami-

De Hernia vmbilicali.

familiaris pueris & mulieribus; raro enim videbitis hunc affectum, nisi in puerulo vel muliere, & potissimum dum parit, aut est emixa.

Causæ autem huius in puerulo efficientes sunt nimius vagitus, contentio, spiritus retentio & clamor. In mulieribus autem nixus maximus inter pariendum, quoniam tunc extensus est vterus & musculi abdominis & peliis vmbilici, ideo facile fit ruptura. Præterea clamores magni, saltus & copia maxima flatuum. Materiales vero causæ plures sunt: nam materia herniæ aliquando sunt intestina egredientia extra abdomen dilatato peritonæo, vnde hic habemus morbum in situ, in substantia & quantitate adaucta & in conformatione etiam ac numero. Quandoque materia herniæ est omentum, quod egreditur dilatato vmbilico ac musculis extensis & retinetur ab abdomine & sic facit herniam. Quandoque ex Paulo materia herniæ est flatus, quod plerunque accidit in pueris; quandoque est aqua coaceruata sensim ac sensim resudans à vasis illis & præcipue à vesica per vragum, quæ colligitur in ea cauitate. Quandoque caro solet concrescere in hac cauitate, & sic herniæ materia est caro: Quandoque & sæpe fit aneurisma, vt quando sectæ sunt arteriæ vmbilici & recens est sectio, & etiam vocatur hernia vmbilicalis.

Causa herniæ in puerio & mulieribus.

Materia herniæ quintuplex.

In adultis autem raro accidit hic tumor, frequentissime vero in dictis.

Signa vero distinguentia erunt hæc; nam si erit hernia ab intestinis, facile resupinato ægro intestina reducuntur ad proprium locum cum strepitu ac rugitu.

Signa distinguentia vmbilicalem ab intestinali.

Preterea hic est inæqualis, vt sunt inuolucra & anfractus intestinorum. Præterea cum hic tumor fiat ab intestinis lenibus, ideo durus non erit tumor, sed facile tractabitur, ac tactui cedet & mollis erit.

Si vero erit ab omento, erit facilis tractatu, sed non ita facilis, vt altera ab intestinis, erit etiam inæqualis, sed minus, quam ea ab intestinis. Præterea resupinato ægro retrocedet omentum, sed sine strepitu. Si vero erit à flatu, si percutiatur, pulsabit vt tympanum, et si comprimatur, non facile eliditur flatus, sed est tensior & renitentior ista hernia à flatu, quam illa intestinorum, vel ab omento, quia flatus hic colligitur, vel aperto peritonæo vel non. Si non est apertum peritonæum, non potest cedere, quia retinetur flatus. Si autem ruptum sit peritonæum, quia cauitas abdominis semper est repleta flatib. ideo non facile cedit. Præterea lucidus est tumor. Præterea si conculcetur digitis, statim ablatis ipsis redit ad suam molem. Si vero fit ab aqua cognoscitur, si hydropicus sit æger: si vero non sit hydropicus cum non habeat communitatem cum cauitate abdominis, cognoscitur per lumen appositum. quia lumine apposito apparet lux transparens & aqua apparet, vnde tumor lucidus est & aquosus. Si autem sit caro, adest renitentia ac durities, mollis tamē & nunquā retrocedit ad tactum & compressionem. Si vero sit aneurisma ex pulsatione existente in ipso tumore, patebit ad tactum. Quo ad curationem, ea in hernia vmbilicali ab intestinis facta duplex est: altera per vinculum & medicamenta, altera per manuum operationem. Recentiores autem non laudant manualem actionem, quia reuera difficilis est, quoniam difficile consolidantur vulnera facta. Guido etiam hanc reprobat dicens tentandam esse sanitatem vel per medicamentum vel per ligaturam: quare iisdem medicamentis vtendum est adstringentibus & exiccantibus, quæ erant in vsu in hernia facta ab intestinis descendentibus in scrotum, de qua inferius dicemus. Primo enim oportet vt intestina & omentum in proprium locum deducantur, præterea oportet vt simul inungantur partes peritonæi & vmbilici dilatatæ cum medicamentis adstringentibus. Cum autem medicamenta hæc duorum sint generum, quædam scilicet per exterius apposita & quædam per interius assumpta, ideo vtrisque est vtendum, vt tandem pars illa glutinetur, quod quia fieri non potest, nisi pars illa conseruetur simul iuncta, ideo semper fascia & puluillis comprimendus est vmbilicus, de quibus omnibus infra dicemus. Quo ad victus rationem & curationem in reliquis eadem est, quæ in hernia intestinali requiritur: & sic de illa; quę in scroto, etiam dicendum est. Ego tamen nunquam aliam curationem tentaui; vnde si manualem actionem quis vellet, legat Paulum in proprio loco & Albucasin, quoniam cū ego eam improbem, nec vnquam ea vsus sim, ideo ipsam hic non pono nec tracto.

Si ab omento.

Si à flatu.

Si ab aqua.

Si à carne.

Si sit aneurisma.

Curatio.

Actio manualis reprobatur.

Quæ primo agenda.

Si autem sit hernia ventosa, quæ sæpe solet oriri in puerulis, oportet, vt pueri caueant à rebus ventosis, ideo nutrices caueant & pueri à cibis ventosis, totus venter inungatur oleo chamomel. & anethino. Præterea imponantur glandes discussoriam vim habētes, & primo accipiatur spicus allii bene coctus sub prunis, & inungatur butyro vel oleo anethino, & imponatur puerulo, vel accipiatis caulem rutę viridem excoriatum à pellicula & oleo anethino inunctum & imponatis vel inungatis pauculam partem caudę raphani & imponatis; ex his enim discutientur flatus & purgabitur venter.

Si hernia sit ventosa.

Glandes discutientes pro pueris.

Vmbilicum constringentia.

Hoc facto prominens vmbilicus ligandus est, postea imponantur facientia ad adstrictionem vmbilici, vnde ego in pueris accipiebam folia hederæ & cupressi & ea mansa impono vmbilico, & puluinar ex linteis cum fascia impono immutans tertio quoq; die, quãdoq; folia illa tundo in mortario & inspergo vino austero & impono, vel accipio myrrhã, bolum orientalem, terebinthinam, & ceram miscendo ad cerati consistentiam, & impono vmbilico, & succedit optime. Si vero est aqua, discussoriis tantũ vtor, inter quæ ex Aetio primo est semen ameos, si eo manso imbuatur vmbilicus: si autem hoc non facit, venio ad varia discussoria dicta in meliceride; vel vltimum refugium habeo cerine emplastrum cum oxycroceo & aliis ibi dictis. Si vero est caro, non tracto locũ, nec curam suscipio, quoniam periculosa est curatio, & ideo potius relinquenda. Si autem fuerit aneurisma, pariter neq; curationem aggredior, quia periculosa est.

Si hernia sit aquosa.

De Hernia inguinali, & potissimum de hernia scroti quæ eodem modo curantur. CAP. XXXI.

Nomina.

Alia erat hernia in inguine, quæ βουβωνοκήλη à Græcis vocatur; κήλη enim Græcis herniã significat, vnde βουβωνοκήλη quasi hernia bubonum, qui à βουβῶνες inguina dicuntur; a nostris vel inguinalis hernia dicitur, vel ramex. Erat autem alia hernia scroti, de qua loquendum est, quoniam illa inguinum eodem modo curatur vt ista, nec est tanti momenti. Si itaque aderit tumor maximus in scroto, oportet distinguere, an tumor sit in testiculis vel aliquo ipsorum, vel in scroto, quoniam si sit tumor testium, nõ erit hernia: hoc autẽ cognoscitur, quia dolebit testis, & non mouetur de loco ad locum sine maximo dolore, ac pulsabit, & inflammatus erit. Si autem sit tumor in scroto, quicunq; sit ille, semper sub nomine herniæ vel rupturæ continetur.

Hernia scroti.

Loca varia possunt in scroto intumescere.

Sed notandum est, quod varia sunt loca in scroto quæ possunt intumescere: primo enim sunt vasa, quæ perueniunt ad testes; hæc enim possunt dilatari & intumescere, & tunc dicitur hernia varicosa: secundo potest etiam fieri caro in scroto & crescere circa vasa testis fieriq; tumor, qui σαρκοκήλη, id est, carnosa hernia vocatur: tertio solet fieri tumor ab aqua, quæ colligitur vel in scroto vel in folliculo scroti extra tegumentum testiculi, vel in vagina testiculi & ὑδροκήλη, id est, hernia aquosa vocatur.

Hernia varicosa. *Carnosa.* *Aquosa.*

Quandoq; dilatantur membranæ vestientes testes & vasa à flatu, qui tumor πνευματοκήλη, id est, hernia ventosa dicitur. Vltimo fit intestinalis hernia, quæ fit dilatato peritonæo. Cum enim peritonæum peruenerit ad inguina vel ad partem illam musculorum oblique descendentium, elongatur & facit tunicam testiculi, quæ vaginalis dicitur; quoniam hæc tunica elabitur per perforatam chordam, vbi sunt duo canales, qui sunt ex substantia peritonæi & procedunt ad scrotum ad modum vaginæ, & est integer processus peritonæi colligatus cum peritonæo, non autem est perforatus, sed elongatus, & facit veluti saccum, vt patet in anatome, per canales autem illos labuntur vasa seminalia; hi autem canales quãdoq; dilatantur vel franguntur, vnde fit vt intestina vel omentum vel aliud ad scrotum vel inguen descendat, & tunc si intestina descendunt ad bursam, fit hernia intestinalis. Quandoq; vero labitur omentum & tunc fit hernia ἐπιπλοκήλη, id est, omentalis, vel Zirbalis nomine Arabum: nostri antem vocant ramicem omenti. Et tot sunt herniæ, quæ fiunt in bursa, sed primum de intestinali loquamur. Vasa autem illa, per quæ descendunt intestina, in hac hernia, dupliciter aperiri possunt, vel per laxationem ita vt dilatentur sine fractura, & tunc dicitur hernia per relaxationem: Quandoq; vero disrumpitur iste processus, & tunc dicitur hernia per rupturã: illa, q̃ fit per relaxationẽ benignior, ita vt speranda sit certa sanitas: In illa autem per rupturam adest maxima difficultas & periculum de sanitate. Omnes tamen herniæ tandem sanantur vel medicamentis vel alia actione exceptis illis quæ sunt inueteratæ & maximæ magnitudinis, raro enim accidit hernia, quę tandẽ aut medicamentis aut vstione aut sectione non sit sanata.

Ventosa. *Intestinalis.* *Vaginalis.* *Omentalis.* *Intestinalis quomodo fiat.*

Præsagium.

Præsagium itaq; bonum erit, si non sit maxime magna, vnde recentes per relaxationem medicamentis sanantur. Recentes vero per rupturam sanantur manu & ferro. Inueteratæ etiam sanantur manu & ferro, nisi sint extremæ magnitudinis. Intestinalis autem hernia distinguitur ab aliis ex inæqualitate tumoris, & mollitie quadam, parua tamen: prӕterea cum retrocedunt intestina, edunt strepitum, & dum retrocedunt, etiam dolorem faciunt.

Causa efficientes intestinalis herniæ per rupturam.

Causæ autem efficientes externæ herniæ intestinalis per rupturam sunt casus ex alto, ex quo rumpitur peritonæum, & sic intestina descendunt; percussiones violentæ in abdomine, motus violenti, vt equitatio & saltatio: Præterea conatus laboriosi & violenti; Itẽ clamo-

clamores magni, qui dilatant & aliquando disrumpunt peritonæum, vnde fratres isti, qui multum clamant & cantant, pauci sunt, qui hernia non laborent: præterea coitus immoderatus, qui quãdoq; solet disrumpere vasa. Causę vero efficientes dilatationẽ primo sunt imbecillitas partium, vt peritonæi & inguinum; quia in debilibus facile illæ partes laxantur. Præterea humiditas partium, vnde pueri facile incidunt in herniam. Causa autem materialis sunt intestina ipsa.

Causæ efficientes dilatationis.

In curatione autem obseruandum est, an hernia facta sit per rupturam, vel per laxationem; quoniam si per relaxationem sit, facilius curantur; nam si recẽs sit, facilis est; si vetusta, difficilior, sed semper facilior est illa per relaxationem, prima vero difficilis. Curatio autem est vel per medicamenta vel per manum. Sed sciendum est, quod omnis hernia nõ potest curari medicamentis, ideo non est ad rem, vt in quacunq; hernia ponamus medicamenta, ne eam inflammemus. Quare cognoscendus est affectus, an medicamentis curari possit, nec ne; nam si potest per medicamenta sanari, non est tentanda curatio per sectionẽ, quia est actio nimis dolorosa, periculosa atq; difficillima; quare herniæ omnes per relaxationem sunt tractandæ medicamentis.

Curatio intestinalis.

Hæ autem per relaxationem cognoscuntur ex obseruatione causarum, quæ præcesserẽ, præterea ex congestione intestinorum; nam si maxima erit congestio, indicium est, ꝙ erit per rupturam, si autem parua, vel sensim ac sensim sit facta, erit per relaxationem, & hæc est semper medicamentis tractanda, illa vero sectione. Similiter si sit per fracturam in puerulis, tentanda est per medicamenta, in aliis vero omnibus, neque in pueris etiam, si sit vetusta, non tractatur per medicamenta. Indicationes autem dantur, vt primo intestinum reponatur in suum locum, secundo vt conseruetur in loco proprio; tertio vt illa orificia relaxata constringantur, vniantur & glutinentur vel incrispentur & callosa reddantur, ita vt non amplius dilatari possint. Sed quis quæret, quid accidere potest, si non reponantur, cum videatur, quod non multum incommodi afferat nec periculum. Ego tamen dico, quod nisi curentur istæ herniæ intestinales, periculum est mortis, quoniam aliquando fæces descendunt in intestinis illis & siccantur ita, vt non possint amplius fluere, & ita superuenit vomitus fæcum, & in iliacam incidunt, & deinde mors succedit, ideo curandæ sunt & reponenda intestina in locum proprium, quod etiam aliquando fieri non potest, quoniam fiunt sæuissimi dolores, quare dicamus primo de restitutione intestinorum.

Signa herniæ scroti per relaxationem & per rupturam.

Indicationes in intestinali.

Pericula superuenientia, nisi curentur.

Si itaq; intestinum fuerit flaccidum & vacuum, resupinandus est æger & cruribus eleuatis, digitis deinde impellendo sensim & sensim restituuntur.

Restitutio intestinorũ.

Si autem intestinum sit repletum aliquibus materiis, ita vt non possit restitui, tũc obseruandum est, an illud, quod turget intestinum, sint flatus vel cruditates vel fæces, quoniã nisi hæc cognoscantur, intestinum non poterit restitui, quia prius illa omnia euacuanda sunt. Cognoscitur autem an sit flatus primo per analogiam, si testetur æger, se turgidum percipere totum abdomen à flatu, & prius emiserit flatum, & sit rugitus in aliis intestinis: pręterea si sit dolor pungitiuus & extendens sine grauitate aliqua, tunc indicium est esse flatum. si vero fuerint cruditates, aderit dolor tensiuus cum aliquo tamen torpore & frigiditate, quia à materia frigida fiunt cruditates: præterea æger abundabit pituitosa materia. Si autem sit stercus, cognoscitur, quia suppressa erit aluus per duos vel tres dies ante: præterea quia sensim crescet tumor: præterea si multum comederit ac multa ingesserit. Præterea adest durities insignis & pondus grauissimum. Hæc autẽ sunt diligentissime inuestiganda ac distinguenda, vt plurimum tamen fiunt à flatibus, & ob id curationem ordiamur ab ipsa.

Cognoscenda ante restitutionem.

Signa flatus in intestinis.

Signa cruditatum.

Signa stercoris.

Si itaq; flatus fuerint, veniendum est ad discussoria validissima calida, inter quę primũ est lixiuium calidum & acre, in quo bulliant cineres, & ex ipso fiat fomentum accipiendo filum, id est, massam fili crudam & coquatur in lixiuio, deinde extrahatur & ita calida, quantum ferre potest æger, circa scrotum ponatur. Si vero hoc non prodest, veniendum est ad decoctũ aliquod discutiens cum hoc filo, vt accipiendo folia lauri, pulegii, calamenthi, semina odorata, vt fœniculi, anisorum, cumini & fœnugræci æquis portionibus, & coquantur in aqua, deinde addatur vinum maluaticum potentissimum, postea filum madefiat vel spongia & foueatur locus. Sed si dolor sit vehementissimus, oportet addere aliquid mitigans, vt est portio aliqua olei vel rosati vel amygd. dulc. in illis fomentis. Cum autem sæpe accidat, vt flatus his non discutiantur, ideo eadem medicamenta coquantur in lotio & locus foueatur, & sic discutientur flatus illi. Præterea si imponantur clysteres discussorii, maxime iuuant, ita assumpta per os, quæ discutiunt flatus, vt semina anisorum, fœniculi, nux muscata. Quando autem maiori opus est mitigatione, coquantur

Si flatus sint in intestinali scroti.

Discutiens validius.

Validius.

Clysteres discussorii.

Doloris mitigatio.

Si adſint cruditates. hæc medicamenta in oleo & cum dicto filo foueatur locus. Si autem fuerint cruditates vel phlegmata, difficillima eſt reſtitutio & curatio, & raro eſt, quod auferri poſſit: neque in hoc caſu opus eſt valentibus diſcuſſoriis, quia materiam vertent in flatus & ſietumorem augebunt flatuando materias illas, vnde aliqui exhibent ol. amygd. d. vt ventrem lubricent. *An conueniat elenim amygd. d. pro lubricatione.* ſed hoc mihi maxime ſuſpectū eſt, & etiam teſtor, me aliquos ex hoc vidiſſe mortuos, quia licet lubricet, tamen maior copia materierum præcipitatur ad locū illū, quam quod lubricando iuuet; quare ſi pauca ſit materia tolerari poteſt hoc medicamentum; ſi autem multa ſit, abſtinendum eſt ab eo. Metitur autem quantitas materiæ à quantitate foraminis. nam magna eſt copia materiæ, ſi tumor ſit multus & magnū ſit foramen, ꝑ quod inteſtinum fluit: quare ſi ſit multa materia, non exhibeatur hoc neque aliud medicamentum lenitiuum vel ſolutiuum: in hoc ergo caſu tentandum eſt an natura poſſit ſenſim & ſenſim aliquid phlegmatis ad inferiora trudere, vnde laudantur clyſteres acres, qui ſtatim non agunt, ſed ſpatio diei vnius & noctis idemque per glandes fieri poteſt. Secundo tentanda eſt ſumma relaxatio circa partes illas, ideo circa inguina vtendum eſt oleo aliquo vel communi vel pinguedine gallinæ vel ol. amygd. dulc. vel butyro, vel oleo de anguilla, vel imponatur aliquod emplaſtrum craſſum relaxans & etiam vim incidendi habens, vt facilius reddere poſſit inteſtinum. *Emplaſtrū relaxans.* Emplaſtrum autem fiat ex fol. maluarum, medulla panis, iure pingui & mucilaginibus altheæ & fœnugræci cū ol. amygd. d. vel alio pingui & craſſum applicetur. vel foueatur locus cum ſpongia madida in decocto capitis verucis vel auis pinguis, & coquatur in aqua cum rad. altheæ, foliis maluarum, ſeminē lini, fœnugr. & aniſorum etiam ad inciſionē, & in hoc madefiat ſpongia, & circa ignem foueatur locus. *Ponenda circa inteſtinū cū phlegmate.* Circa vero inteſtinum, in quo eſt phlegma, aliquod incidens eſt ponendum ac attenuans, quod in flatum materiam non vertat, id eſt, quod non ſit diſcutiens vel ſiccans, ſed incidens ac eliquans aliqua ex parte ipſum phlegma: quare in hoc caſu radices bryoniæ, cyclaminis & cucumeris aſinini eſſent commodę, niſi facerent flatum & materiam attraherent, ideo his ego non vtor, ſed accipio oxymel cum aliquo emolliente: vnde accipio oxymel & polentam factam vel ex medulla panis, vel ex farina triticea & ſimul miſceo cum aliquo oleo vetuſtiſſimo, ſiue ſit chamomelinum, ſiue commune, ſiue axungia porcina rancida. *Medicamentum propriū attenuans.* hoc enim attenuat, ſiccat, & impedit, ne concreſcat materia. Quanto autem magis reſupinus requieſcet æger æquali corpore, tanto melius eſt. *Si fæces prolapſæ fuerint in ſcrotum.* Si autem fuerint fæces, tentanda eſſet earum emollitio; ſed ego quidem fateor me neſcire, quid dicere aut agere debeam in hoc caſu deſperato: vnde tento primum per exteriora emollire, mittens ægrum in balneum olei communis, in quo ſedeat per tres horas: ſæpe etiam incoquo emollientia in illo oleo, vt maluas & huiuſmodi. Poſtea cum diu ſederit in hoc oleo, pinguedinibus illis dictis locum inungo, & ad hoc omnes pinguedines ſunt bonæ, vt etiam vnguenta illa emollientia; ſed cum nihil vt plurimum profit in hoc caſu deſperato, exhibeo etiam oleum amygd. dulc. commune. Aliqui autem exhibent maximam quantitatem aquæ frigidæ, ita vt concutiantur inteſtina: *An exhibitio aquæ frigidæ conueniat.* ſed ego etiam quandoque exhibui, & alia dicta feci, nunquam tamen aliquem ſanatum vidi, quoniam caſus eſt deſperatiſſimus ac conclamatus, quamuis omnia tentanda ſint. Si autem ſuccedat emollitio, reponantur inteſtina in proprium locum digitis ſenſim ac ſenſim comprimendo & impellendo.

De Conſeruatione inteſtinorum repoſitorum in ſuum locum per medicamenta & ligaturas. Cap. XXXII.

Facta itaq; hernia inteſtinali, primum indicatur reſtitutio inteſtinorū, ipſis tamen prius euacuatis, vt diximus. Facta autem reſtitutione conſeruanda ſunt in loco, quod fit dupliciter, aut ſitu corporis, aut deligatione: ſitu quidem corporis, vt ſi decumbat æger in lecto per ſpatium 40. dierum donec conglutinetur ac vniatur relaxatio, & hic eſt vnus terminus ad agglutinandas illas partes; *Terminus agglutinandæ relaxationis.* ſecundus terminus eſt 80. dierum: tertius vero 100. dierum, in quibus ſi non agglutinetur peritoneum nunquam agglutinabitur. Cum autē nimis graue ſit, vt ſemper æger ſupinus decumbat, ideo veniendum eſt ad deligationem, quam ligaturam crepaturæ vocant, quæ deligatio talis eſſe debet, vt cingulum aliquod ambiat corpus, id eſt, inferiores abdominis partes; & habeat faſciculum vel puluinar durum triangulare, quia comprimit rupturam ſiue partem illam, in qua eſt foramen. *De cingulis vel bragherio.* Sed cum varia fiant cingula illa, quædam ſcil. in puerulis & quædam in adultis, in puerulis nō imponatis cingulum, ſed accipiatur faſciola mollis & lenis & imponatur ſcutum illud ſiue puluinar ſuper rupturam, & ipſum faſciola pluries circumuoluta deligetis, vt puluinar conſeruetur in loco. In adultis vero veniunt aliqui ad cingulum quod bragherium vocant

cant ex ferro vel ligno, sed nimis validum est ac violentum, durum & molestum, quamuis tutum sit, quod ob id potius vtendum est in casibus desperatis. Reliqua vero fiunt ex tela vel ex corio, & hæc magis sunt in vsu, & ea magis ego quoque laudo, & potissimum illa approbo quæ fiunt ex corio molli & laxo, ita, vt corium sit duplicatum, ita scilicet vt in medio possit intercurrere tela, vt robustius sit, & hoc non ita exulcerat ac erodit, vt illud ex tela, quare melius est. Aliqua autem fiunt bragheria, quæ tantum inguina complectuntur. Sed notandum est, quod oportet, vt habeant geminas habenas, quæ ad humeros ascendant (habenas autem voco ego capita braghetii) Scutum autem fit figuræ inter planam & rotundam, ita vt semisphærica sit eius superficies neque nimis magnum sit scutum nec nimis paruum. Parato itaque hoc modo cingulo vel bragherio restituatur intestinum, medicamentum applicetur, postea cingulum commode apponatur & applicetur. Medicamentum autem imponendum sit siccans & robuste adstringens super locum affectum, quod etiam vires suas diu seruet, quoniam non sunt semper neque admodum crebro detegendi hi; sed quoniam varia sunt medicamenta, alia enim sunt pro pueris, & alia pro adultis, ideo ego pro pueris vti soleo hoc mitiori;

Cingula approbata.

Forma cingulorum.

℞ ol. abietini ℥ ß.
bol. oriental.
aloes
myrrhæ an. ℈j.
ceræ parum, misce, f. ceratum.

Medicamentum leue pro pueris.

Aliqui vero accipiunt terebinthinam & bolum orientalem solum & imponunt sub scuto. In mediocribus vero corporibus, vt in adolescentibus, impono purissimum ceratum barbarum vel aliquid boli orientalis.

Pro mediocribus.

Si vero opus sit robustiori medicamento vt in robustissimis, hoc vnum est;

℞ aloes
malicorii.
thuris an. q. s.
succ. hypocystid.
glutin. taur.
pic. naual.
bitum. iudaici ana q. s.
vini dulc. nigr. itidem q. s. tritis terendis misce & coq. ad emplastri consistentiam, & extendatur super corium vel linteolum & ponatur sub scuto.

Robustius pro duris.

Quandoq; vero vtor emplastro de pelle arietina quod pro crepatis vocatur in officinis, sed in robustissimis tantum corporibus ac duris, non autem in omnibus, vt aliqui faciunt. Quandoq; vero vtor medicamento sacro vocato in officinis. Sed notandum quod ego deraso primo inguine à pilis impono medicamentum, & ipsum nisi quarto vel quinto quoq; die aufero, quia medicamentum dissipatur & nullius fit vsus, sed antequam renouarem ipsum, rupturam aliquo fomento foueo, vt hoc decocto.

Terminus cerati applicandi.

Fomentum.

℞ rad. consol. maior.
fol. consol. minor. an. M. j.
centaur. officin. id est, rad. cent. ma. quod rhaponticũ dicitur, ℥j.
thuris
myrrhæ
aloes an. ℈j. coq. in s. q. vini austeri nigri, & foueatur ipso locus ter & quater cum spongia ipso imbuta. Facta autem fomentatione dicta impono nomen nouum ceratum & ligo, faciens, vt æger decumbat, vt dictum est.

Præterea extra aliquid per os exhibeo, quod vim habeat glutinandi, si illa non sufficiant: ideo in hoc casu duo ego habeo medicamenta familiaria, quorum alterum est in potione, reliquum in electuario, quo etiam libentius vtor & quotidie matutina hora exhibeo, post quod vinum maluaticum superbibendum porrigo, & ex eo mira successisse vidi, vnde vobis gratum admodum esse debet & pro secreto detinendum: potus autem talis est.

Familiaria per os assumenda pro agglutinatione.

℞ rad. consol. ma.
fol. cons. min.
mediæ
plantag. latifolij.
lanceolaris

Decoctum per interim sumendum.

rad. valerianæ
pimpinell.
fol. millfol.
tanaceti
gallitrici
nuc. cupreff. an. ℥ j.
masticis
maceris
cinnam.
cumini præparat. an. ʒ j.
rhabarb. assati ʒ ij.

vini maluat. vel romanæ præstantissimæ q. s. misce & f. decoctio, culus dosis sint ℥ iij. vel iiij. quotidie matutina hora cum saccharo, & hoc vsq; ad 40. dies vtor: vel exhibeo electuarium hoc modo præparatum.

℞ rad. consol. ma.
pimpinell. coctar. in aqua vel sub prunis an. ℥ j. ß.
gumm. arabic.
tragacanth. an. ʒ j.
sangu. dracon. in lachryma ℈ ij.

pulu. hippoglossi (quæ vulgo herba Bonifacii vel bilingua vocatur, alia autem ab hac est herba, quę œnone est Dioscoridis, quæ resta bouis dicitur) pulu. rad. œnonis, id est, restæ bouis an. ℥. ß.

myrrhæ
cinnam.
maceris an. ʒ j.

sacch. q. s. misce & cum aq. rosacea chalybeata f. elect. sec. art. cuius accipiatur cochlear vnum matutina hora, deinde superbibatur vini maluatici aliquid, & hæc fuerunt in frequenti vsu semper apud me. Aliud etiam ego probaui cum maximo successu & experientia comperi optimum esse, & est, vt scil. per 20. dies accipiatur chalybis limatura præparata ad ℈. cum saccharo mixta ad ℈ iij. cōfecto bolo deuoretur & superbibatur parū vini maluatici. Interim autē dum ista sumuntur, semper æger quiescat & caueat à cibis flatuosis, & à plurima ciborum ingestione, ac recta penitus vtatur victus ratione. & hæc satis sint de curatione herniæ intestinalis per medicamenta.

De Curatione herniæ intestinalis in scroto existentis per manualem operationem iuxta aliorum præcepta & potissimum ex inuentu proprio.

CAP. XXXIII.

CVm autē non datur occasio sanationis in hernia intestinali nec per medicamenta nec per cingulum, deueniendum est ad quædam alia, quæ faciant ad continendum intestinum, inter quæ quædam sunt, quæ mutilum reddunt corpus, quædam vero, quæ ipsum mutilum non reddunt.

Inuentum Falloppii. Quæ autem mutilum non reddunt corpus, duo sunt, alterum neotericorum inuentum, alterum verò à me repertum: Quod autem ego ipse inueni, hoc est. Cum non possimus membranas illas coniungere, excitetur cicatrix dura in inguine, quæ sit loco cinguli perpetui, vnde mando, vt supinus æger decumbat, deinde impello testem ita, donec ad relaxationem veniat vel rupturam, deinde accipio atramentum, & circumscribo totum illud spatium, in quo continetur testis, & si magnum sit spatium, tum magnam etiam facio circumscriptionem: hoc facto dimitto testem ad inferiora, postea accipio stuppam mollem & ex ipsa facio linamentum crassum & ouale quod sit longum per quatuor digitos per transuersum, & imbuo albo oui & ol. ros. postea pono ad partē inferiorē bursæ, & propello ad superiora sicut impellebam testem in eum locū. vbi erat circūscriptus locus ille prius, & peruenio ad rupturā cū illo linamento, & hoc impono vt suspenderet pellē inguinis, vt quando appono caustīcū, ne casu illud (causticum) ascendat ad vasa seminalia & ea exurat. *Ad mitigandum dolorē & feruorem contemperandum.* Collocato linamento in eo loco deuenio ad causticum accipiens saponem nigrū & calcem non extinctam faciens vnguentū & impono super partē illam q̃ atramento circūscripserā & relinquo, sed prius in oleo ros. in aqua ros. & albo oui lintea madefacio & impono partibus vicinis, vt dolor mitigetur & feruor attemperetur. Eschara autem facta aufero medicamentum & tentam illam, quam prius apposueram, & facio, vt cadat bursa, iubens

iubens, vt semper in lecto maneat æger donec crusta cadat & vulnus obducatur cicatrice, nam tunc optime continentur intestina, & hoc modo ego quidem multos sanaui. Modus vero recentiorum est: ipsi enim ne homines castrent, accipiunt annulum aureum, *Inuentum recentiorum sanandi sine ablatione testis.* semicirculum scilicet ex auro, & ipsum efficiunt illius magnitudinis, qua constat didymus, id est, illud inuolucrum, à quo pendet testis: obseruant autem didymũ arrepta bursa digitis quantus sit, an scilicet crassus vel tenuit: vnde si sit exempli gratia crassitiei vnius digiti minimi, faciunt circulum seu semicirculum ex auro nõ valde crassum, sed tenuem, vt est ferrum stringæ, & in extremis capitibus annulus ille sit perforatus, deinde secant cutim per transuersum in inguine, donec appareat didymus, qui cum apparet, eum excoriant, vt arripiant annulo illo didymum ipsum & constringant, postea ligant filo aureo, quod pertranseat per illa foramina, & optime stringunt semicirculi illius capita ipsa filo aureo ligantes. Facta vero coniunctione consuunt locum, & imponunt medicamentum agglutinatorium & consolidatur cutis, & remanet illud aurum, & sic nõ amplius descendunt intestina ob illum annulum, qui stringit didymum. Ego tamen nunquam expertus fui modum hunc. Bene verum est, quod aliquos vidi hoc satis feliciter fecisse, quare etiam hic modus à me nõ admodum reprobatur. Omnes autem alii modi pertinent ad oblationem testis, siue castrationem, vt dicunt: nam illa est vera medicina herniæ intestinalis, est *De castratione.* tamen res difficilis, grauis & dolorosa, non tamen ita periculosa, vt volunt aliqui, vt viderint multos mortuos, quinimo plurimos ego testor me vidisse sanatos & omnes præcipue, qui validis constabant viribus, quamuis hoc afferat incommodum, quia effœminantur viri, & fiunt inepti ad generationem, præsertim si ambo testes auferantur; ideo incauti ad hanc actionem non accedatis, quia mancus & effœminatus redditur homo, quod malum est. Sed si opus sit hac actione, hoc faciendum est opportune, vere scilicet & autumno, *Quibus nõ conueniat castratio.* non autem æstate & hyeme, quamuis in hyeme etiam possit fieri; sed habenda est ratio ætatum; nam in senibus hoc non est agendum, nec in cacochymis, nec in debilibus hominibus, nec in tussientibus vel tussiculosis: quoniã tussis nõ permittit agglutinari sectionem factam. Quare si in talibus corporibus fiat sectio, non succedet: sed pueri, vt qui plurimum habent calidi innati, sunt maxime opportuni ad castrationem. Sed aduertendum est, quod si quod adest periculi in castratione, est in fluxione sanguinis, ideo cauendũ est quantum fieri potest.

Hæc autem actio variis modis fieri potest, aliqui enim sectionem faciunt vt Aursini *Castratio quo modo fiat.* illi, qui maxime actionem hanc profitentur, & feliciter quidem exercent, neque reuera melior reperitur modus auferendi testem quam iste, vnde ego semper maxime probaui hanc actionem, & magis quam aliam quamcunque. Quando ergo volumus extrahere te- *I. Modus.* stem, fiat sectio, vt faciunt illi, qui castrant, & qui secant pro extractione lapidis vesicæ: hi enim secant, deinde suunt & exurunt, quoniam hoc maxime laudo, & est actio, quæ mihi admodum placuit & placet. Actio autem hæc communis est, & omnes eam facile sciunt. Notandum tamen est, quod ex ipsis aliqui in inferiori bursa, postquam extraxere testem faciunt foramen, vt si qua est sanies vel fiat, excerni possit, & bene faciunt, & qui illud non faciunt, male faciunt.

Alius modus est, vt extrahatur totus didymus in inguine vsque ad os inguinis, postea *II.* auferatur testis; sed hoc ego non laudo, quoniam nimis molestum est. Alii vero medica- *III.* mẽto caustico exurunt, didymum vsq; ad os, & hoc faciunt arsenico sublimato, aut argento sublimato, & totum didymum exurunt vsq; ad os inguinis, postea extrahunt exustum testem; & hic est modus Guidonis, qui tamen mihi non placet, quia ineptus est, dolorosus atq; periculosus, quando spatio nouem dierum hoc agat.

Alii vero accipiunt acum cum sericino filo & perforant didymum, deinde stringunt *IIII.* sensim ac sensim, donec totus didymus secetur, postea cicatricem obducũt: sed hæc actio longa ac dolorosa est nec tuta, cum non nisi spatio octo etiam dierum fiat. Alius modus *V.* est, vt cauterizetur os pectinis suspenso didymo, quod tamen vanum est, & ideo non faciendum. Alii vero stringunt annulo vel filo aureo, & ita stringunt, donec totus cadat te- *VI.* stis; sed nulla harum actionum tuta est, nisi illa Aursinorum, id est, illorum, qui castrant, & hæc actio etiam magis placet.

Hernia vero, quæ fit ex omento, eadem ratione curatur, restituto omento suo loco, *Hernia ex omento.* postea vritur, deinde suitur & castratur æger, vel fit cicatrix, vel vti possumus annulo in didymo, vel vtimur medicamentis.

Cognoscitur autem hæc hernia, quia est patua, & ex substantia solida nondolorosa, & in restitutione non edit rugitum sicut illa intestinalis. Curatur autem sicut intestina- *Signa. Curatio.* lis; & hernia vocatur, hernia etiam zirbalis apud plerosque autores, & hæc satis dicta

sint de his speciebus herniæ. Sequitur modo, vt agamus de hernia illa, quæ fit ab aqua, quæ quoniam recidiuare solet, maxima indiget Medici diligentia, & ob id de ea exactius tractare oportet, vt in sequente capite.

De Hernia aquosa. Cap. XXXIV.

I. species.

SI vero fuerit hernia aquosa, sciendum est, quod duplex sit eius species: vna enim est, in qua aperto peritonæo aqua descēdit à cauitate abdominis ad ipsam bursam, & potest fluere & refluere: & hæc nō potest curari, nisi auferatur aqua, quæ est in abdomine, quæ scilicet facit hydropem. *Signa primæ speciei.* Cognoscitur autem hæc ex aqua existente in abdomine, præterea quia possumus elidere aquam illam in abdomen. *II.* Alia vero est hernia aquosa, in qua est aqua in bursa, quæ destillat per vasa & venas occulto modo, ac sensim ad scrotum: hæc autem duplex est, aut in qua continetur aqua in membrana adnata, & in proprio folliculo, alia est, in quo continetur aqua in inguinali tunica, quæ vestit testem. *Signa.* Cognoscimus autem primo esse herniam aquosam apposito lumine. Cognoscitur autem aquam esse in tunica adnata, quia separatur testis à parte aquosa manibus: præterea ista hernia habebit propriam circumscriptionem aliquando rotundam, aliquando oualem. Si autem sit in virginali tunica, non possumus amplius separare & distinguere testem ab hernia: quoniam in eodem loco & aqua & testes erunt constituti. His autem constitutis sciendum est, quod in hernia illa, in qua continetur aqua in vagina testis, & quæ aliquantisper fit diuturna, corruptus est testis. In alia vero hernia, in qua aqua est in folliculo, maior est spes sanitatis, quoniam etsi vetusta sit, non est periculum de corruptione testis.

Curatio quot modis fieri possit. Si aqua sit in folliculo. Curatio autem potest fieri per medicamenta, & per manum. Per medicamenta eadem est curatio, quæ erat in meliceride, & in nullo differunt hæc in curatione. Primo enim discutientibus curatio tentanda est, ac si non discutiatur materia, vel si non speretis successuram esse discussionem, vt in meliceride dictum est, ad putrefacientia & maturantia deueniendum est, quæ pus scilicet vel saniem gignunt: nam nisi maturetur hic folliculus, nunquam sanabitur hernia. Maturato autem folliculo est aperienda vomica & educenda sanies & obducenda cicatrix. Et hæc curatio conuenit cum in ea, in qua aqua continetur in folliculo proprio, tum etiam in ea, in qua aqua continetur in vagina testis. *Curatio per apertionem. I. modus Galeni.* Si vero hæc actio non prosit, deueniendum est ad apertionem. Apertio autem dupliciter fieri potest ex Galeno, tertio vero modo ex recentioribus. Galenus libr. 14. method. med. cap. 3. vult, vt pungatur hernia, & imposita fistula argentea tota educatur aqua, deinde imponit medicamentum siccans & repellens factum ex absynthio, bolo armena, sanguine draconis & albo oui, imponens ter & quater, id est, spatio trium vel quatuor dierum, vt ibi dicit.

II. antiquorū. Alter est modus antiquorum, vt secent per longum scrotum, & educant folliculum integrum: vel si sit aqua in vagina & corruptus sit testis, arripiunt totum didymum, & testem vinculo postea consuunt, & hoc modo sanant: sed curatio hęc mihi non placet, quia dolorosa est & parum tuta.

III recentiorum. Tertius vero modus est recentiorum, vt scilicet imponatur seto accipientes acum, in cuius foramine imponunt filum sericinum pluries duplicatum, & perforant scrotum, & ducunt hinc inde filum illud, ac vltro citroque, donec exeat aqua, & relinquunt per plures dies, quod mihi etiam satis placet. *Notandum circa sectionem in pueris & adultis.* Sed notandum est, quod sæpe fit, vt hernia reuiuiscat, vos tamen non abstineatis ab hac actione, vnde notandum est, quod exceptis puerulis non est vnquam tentanda integra sectio herniæ, sed in adultis pungatis tantum & educatis aquam, & si iterū reuiuiscat, iterum pungatis: nam sæpe ego vidi multos per hernias liberatos esse à grauibus affectibus, vt ab empyemate & ab hydrope pulmonis, vnde si penitus sanetur, poterit multos morbos postea inferre: quoniam materia illa sensim & sensim descendebat ad testes, & per eos euacuabatur, quæ si intercipiatur, ad partes nobiliores rendet. Setonem itaque hunc opponatis, quem gestabunt, vt aqua illa possit expurgari, & hoc est seruandum in adultis. In pueris vero sanatur omnino hernia aquosa, quæ in his fit ob humiditatem abdominis. Poteritis etiam alios sanare cum pluribus vicibus fuerint perforati, quia materia illa iam expurgata erit. *Secretum optimum pro hernia aquosa.* Ego autem vos docere volo secretum, quod à muliere quadā didici, & optimum quidē atq; pulcherrimū: illa enim ligabat pueros, & imponebat ceratū adstringens & exiccans, quod sanabat, & sic omnes curabantur, ac sæpissime successit in hac hernia aquosa puerorum, quoniam impedit venas, vt dimittant aquam illam ad scrotum: ideo hoc laudo etiam si esset hernia aquosa in proprio folliculo. Cum autem ego rationem huius quærerem, & viderem reuera esse herniam in pro-

prio

prio folliculo, veni in hanc sententiam, quod deligatio illa & medicamentum exiccans & adstringens constringat comprimatque vasa didymi, vt non ita facile fluat aqua in scrotum, & illa, quæ iam collecta est, calore naturali discutitur, ita laudo, vt in pueris hoc modo fiat: accipiatur aliquod ceratum mollius, & imponatur & ligetur, postea oleo calidiori inungatur locus affectus, vt resoluatur aqua collecta, & bene succedet.

De Hernia ventosa, carnosa, cancerosa, varicosa, atque etiam de tophacea.
CAP. XXXV.

Hernia verò vētosa curatur discussione tantum, quamuis curetur à Paulo, sicuti curatur hernia ab aqua, tamen vos discutietis etiam hanc materiam, & facile sanatur, & si materia ventosa descendat ab abdomine, non potest sanari. Si autem colligatur flatus per se in scroto, curatur discutientibus dictis in meliceride. *Ventosa.*

Si vero sit hernia carnosa, aliquando concrescit caro circa vasa seminaria, aliquando circa testes. Si circa testes concrescat, tunc est dolor & punctura cancerosa, & est additamentum carnis cancerosæ, ideo eam non irritetis. Si autem non sit dolorosa caro nec pungens, poterit curari; primo actis communioribus capitibus veniendo ad emollientia dicta in curatione scirrhi, deinde ad discutientia dicta in curatione meliceridis. Sed sæpe non succedit discussoriis: ideo tunc secandum est scrotum & detegenda caro, & à teste deradenda vel vasis, deinde sistatur sanguis & apposito teste in locum consuatur scrotum & agglutinetur. Si autem caro sit coniuncta testi, & aliquid passus est testis, auferendus est (testis) vna cum carne & didymo, deinde consuendum & agglutinandum est. *Carnosa.*

Sed si caro sit cancerosa, non tentetur curatio, sed curatione palleante sola procedatur, de qua in cancro dictum est. *Si sit caro cancerosa.*

Si vero fuerit hernia varicosa, sciendum est, quod in bursa sunt venæ emulgentes, & venæ seminariæ, & venæ etiam, quæ ferunt alimentum ad scrotum. Istæ autem posteriores, si dilatentur, non faciunt herniam varicosam, sed dicūtur varices scroti: si vero aliæ dilatentur, faciunt herniam varicosam. *Varicosa.* *A quibus venis fiat.*

Cognoscitur autem hæc, quia si apponantur manus ad testes, apprehendentur plurima vasa vel massa filorum; nam ibi adest maximum inuolucrū ex plurimis venis, & plurimis fibris, vti si essent intestina parua, & istæ sunt crebræ herniæ, sed non insignes. Ista autem varicosa hernia solet esse dolorosa certis temporibus: nam vere & autumno, & eo tempore, quo intestina turgent flatibus, solent dolere ob dilatationem venarum illarum, vt in esu fructuum & ciborum ventosorum, & in frigore pedum excitantur dolores in hernia ista varicosa, quia materia aliqua flatulenta deuenit ad illa vasa: hi itaque fugiant flatulenta & pedum frigus.

Aliqui autem hanc curant sectione, sed mihi non placet, quia materia illa, vt plurimum est melancholica, & fit vlcus melancholicum. Præterea oportet etiam auferre testem, vt sic curetur, ideo veniatis ad medicamenta maxime adstringentia & refrigerantia, vt sunt omnia illa, quæ sunt oppotuna in aneurismate, & non dubitetis, quod non est periculosa. Sed notandum est, quod qui laborant hac hernia semper oportet, vt portent suspensum testem aliquo bragherio. Ego enim vidi ex sola hac gestatione suspensi testis sanatos homines, si per duos annos gestauerunt abluta hernia aqua sola stillatitia, ex foliis & nucibus cupressi viridibus in duplici vase stillata, & matutina hora quotidie abluatur hernia, & dummodo etiam suspensum ferant testem, & sinant ablutionem per se ipsam siccari. Sed per aliquod spatium temporis abstineāt à coitu: nam vt plurimum ex plurimo coitu oritur hæc hernia. Paulus autem facit mētionem herniæ tophaceæ, quæ fit cum vesica gignitur in teste appensa, in qua concrescunt lapides siue tophi, quorum tres ego vidi laborantes, hac hernia: rarus enim est affectus, nec admodum grauis, nec momenti si accidat, nec aliquid sentiunt ægri, nisi percutiatur testis, tunc enim dolorem sentiunt, ideo non video causam cur sit veniendum ad curationem, quæ fiat per sectionem: ideo de hac nil dicēdum est, cū non sit periculosa, nec nimis affligat patientes, vnde non laudo ego illos, qui aliquid circa hanc herniam agunt. Sed quoniam Medici fere omnes recentiores distinguunt herniam in humoralem, & non humoralem, per non humoralem intelligentes omnes illas, de quibus dictum est, in quibus materia in folliculo siue sinu aliquo continetur, quæ facit tumorem, per humoralem vero intelligentes omnē humorem, qui scrotum vel testes occupat, à quibus humoribus frequenter prouenit testium inflammatio, ideo de ea aliquid dicamus. *Notandum in hernia varicosa.* *Distinctio herniæ ex recentioribus.*

De Inflammatione testium. CAP. XXXVI.

Causa externa. TEstium inflammatio per se nota satis est affectio, quia calida est cum insigni tensione, cum inflammatione ac pulsatione manifesta & cum tumore. Varias autem habet occasiones exteriores, inter quas est contusio, ictus & agitatio testium. Praeterea solent succedere inflammationes ratione flatuum, qui gignuntur in abdomine: aliqui enim abundantes flatibus fluunt per vasa seminalia ad testes, & faciunt dilatationem illarũ partium, ex qua fluit sanguis, & fit inflammatio. Praeterea causa potest esse gonorrhoea suppressa, à qua vt plurimum fit inflammatio haec, quando nimis cito supprimitur gonorrhoea: cum enim vel ob contagium vel laxitatem illarum partium & colorem, vel ob materiam biliosam acrem adest gonorrhoea, & cito supprimitur, statim succedit inflammatio vel vtriusq; testis vel vnius saltem: & ratio huius patet: nam cũ semen gignatur in illis inuolucris neruosis, quae efformãt didymum, ac sensim & sensim debeat fluere, cum retinetur feruet & facit dolorem, & ita per consequens fit attractio materiae sanguineae, & ita inflammatio *Causa immediata.* fit. Immediatae autem causae sunt fluxiones humoris. *Materia inflammationis.* Materia vero vt plurimum est sanguis, quamuis aliquando cum sanguine bilis vel pituita iungatur, vt plurimum tamen est sanguis ipse.

Praesagium. Praesagium autem tale erit, quod sit difficilis curatio & tarda sanatio, & semper etiam post sanationem longo tẽpore relinquitur tuberculum paruum circa epididymum, quod est seminarium recidiuae. Praeterea praesagiendum est, quod moderatis medicamẽtis tractandus sit locus affectus, ne veniat ad suppurationem: quoniam fieret fistula, si validis tractaretur, quae sanari non poterit.

Curatio. Quo ad curationem, si sit inflammatio ex contusione, in principio mitigandus est dolor, secundo constipanda sunt vasa, deinde prohibendae fluxiones: vnde cum fuerit contusio, vel etiam quod non adsit ista in principio inflammationis huius, primo veniendum est ad rationem victus tenuem & refrigerantem etsi sit ex contusione, quoniam tunc talis conuenit victus, ita vt etiam aquam bibant. At si sit ex flatu, non refrigerantem, ideo non laudatur tunc vsus aquae purae, sed alteratae cum saluia & cinnamomo & huiusmodi, fugiat pisces, lactucas & similia. Si vero ex retento semine, comedat omnia frigida, vt & si sit ex contusione quiescat aeger, moderate dormiat, non irascatur, fugiat mulieres, illis exceptis, in quibus inflammatio orta est ex retento semine: non tamen coeant cum illis, sed tandem cum illis colloquantur interdum, quia ex hac collocutione ac inspectione *Phlebotomia.* moderate aperiuntur vasa illa, & semen effluit succedente gonorrhoea. Praeterea secetur vena immediate: si autem non potest secari, exhibeatur pharmacum, quod leniat aluum, & retrahat materiam à renibus & vasis seminariis vt est cassia, ol. lenitiuum, syr. ros. sol. *Lenitio alui.* Quandoque vero ad valentiora ascendendum est medicamenta, postea ad locum affe- *Loci affecti tractatio.* ctum veniendum, circa quem si sit inflammatio ex contusione, vtendum est dolorem lenientibus, adstringentibus & siccantibus, vt est ol. ros. ol. myrthin. admixto etiam succo rosato recenti: praeterea vnguentum alabastrinum vocatum optimum est, quibus vtendum est primum ad mitigandum dolorem, & constringenda vasa. ego autem hoc fami- *Familiare Falloppio.* liare habeo; recipio folia hederae viridia, folia ros. quae conseruantur in fundo olei rosati, deinde tundo in mortario, & addo album oui, & etiam luteum quandoque & aliquid etiam stercoris vaccini, quoniam hoc mitigat, adstringit & siccat, & ipsum modo frigidum, modo vero calidum impono, vel accipio vinum austerum nigrum, & oleum myrthinum & rosatum miscens & stupas imbuens impono; postea ad discutientia & moderate repellentia venio; & haec, si ex contusione fiat inflammatio.

Si fit inflammatio ex flatu. Quando autem est inflammatio ex flatu, habeo ego medicamentum, quod quidem (verum fatendo) didici à quodam tonsore, magnam habens vim discussoriam calidam, & etiam repellentem, qui tonsor Pisis erat; hoc tamen ille non semper vtebatur recte: quoniam non sciebat distinguere, sed vtebatur ipso in qualibet inflammatione.

Emplastrum cuiusdam tonsoris optimum. At ego rationem insequens dico vtendum esse hoc emplastro in inflammatione tantum à materia flatuosa, non autem à sanguine, & sic in principio: quoniam si hoc in principio inflammationis ex retento semine vel ex sanguine applicatur, maior succedit inflammatio. Medicamentum autem hoc constat ex foliis rutae viridis, lauri, stercore vaccino & oleo rosato, aliquando vero ego addo oleum chamomelinum loco olei rosati; & sic vos etiam alio simili vti poteritis, vt sunt ea, quae diximus in polypo narium ad dissoluendum & siccandum, dummodo emplastri modo ponatur, & in crassam formam.

Si sit inflammatio ex semine.

Si autem fiat inflammatio ex semine, mitigandus est dolor, & non impediendus transitus seminis vllo pacto, sed eliquandum semen, vnde non est in hoc casu adstringentibus vtendum, sed potius laxantibus, vnde ego testor me vidisse aliquas mulieres, quæ in hoc casu assabant folia lactucæ in sartagine ol. ros. & butyro & imponebant felici cum successu. Aliqui vero alxinem accipiunt, quæ vulgo pauatina dicitur, eamque disrumpunt & elixant in sartagine cum ol. rosato & applicant, nam optime facit, quia laxat, mitigat & refrigerat. Aliqui vero his duobus medicamentis admiscent aliquam portionem parietariæ & simul assant in sartagine cum ol. ros. & bene faciunt. Ego vero quandoque sum vsus ol. ros. completo solo ipso lintea madefaciens & imponens; sed hoc sæpe immutari debet, & familiare hoc mihi est. Quandoque vero impono vnguentum ros. Mesue & infrigidans Galeni, & hoc si dolor sit ingentissimus, alioquin admisceo aliquid olei amygd. dulc. loti cum aqua hordei, non solum vt mitigetur dolor, sed etiam ad relaxanda vasa, siue vt laxetur substantia membranæ continentis semen, ex qua relaxatione semper, vt semper comperi, mitigatur dolor. Quandoque impono fol. maluarum cocta in sartagine cum ol. ros. vel folia spinachiarum cocta in ol. amygd. dulc.

Medicamentum mulierum.

Si dolor sit ingentissimus.

Sed aduertendum quod statim creuit testis in maximum tumorem, dolor tamen cessauit, cui maxime attendendum est, & præcipue si fiat ex semine retento ipsa inflammatio, & nunquam est veniendum ad robustissima repellentia. Si itaque intumescat testiculus & cesset dolor incumbatis resolutioni per medicamenta lenia, non autem robusta: ideo primo ego vtor emplastro ex fabis. At si dolor viget & calor, addo oleum ros. complet. Si vero calor non viget, addo oleum chamom. & hoc emplastro procedo vsque ad statum, vel etiam vsque ad finem. Quare notandus est error illorum, qui hoc vtuntur à principio: quoniam succedit, vt hoc medicamento materia tota non possit digeri: quare vtor ego emplastro ex semine panici vel milii cum ol. ros. vel chamomelino. Quandoq; vero si adest aliqua durities, addo his emplastris oxymel simplex vna cum ol. ros. complet. & ol. chamomel. facit autē oxymel ad attenuandum semen, quod factum est grumosum in vasis seminariis. Quandoque vero venio ad fomenta facta ex decocto chamomeli, Betonicæ & fol. menthæ & similium non valde calidorum: quandoque coquo fabam vel panicum vel milium in lixiuio dulciori, vt magis digerant. Quandoque venio ad olea robustiora, non autem emplastra illa, quæ ita quandoque obstruunt, vt suppurationem causent, quæ est in hoc casu fugienda, vnde accipio vel ol. lil. albor. & inungo vel ol. anethin. vel vulpinum, vel chamomel. & testem inungo donec discutiatur materia. Sed notandum, quod aliquando remanet tuberculum durum, quod videtur nouus testis, factum à grumoso sanguine, & videntur hi tres habere testes: sed in hoc casu opus est patientia quoniam tempus illud dissipat, nec medicamentis cedit: aliquid tamen est agendum, vnde tentanda est emollitio, sed non poterit sanari breui tempore, ideo vtatur ol. amygd. dulc. cum pauco oxymelite vel eodem oleo cum pauco oleo resolutiuo, & inungatur locus bis in die, & non agitetur hi, & caueant à coitu & cibis calidioribus cum diuturna patientia donec resoluatur tuberculum ipsum: nam impossibilis est facilior seu citior resolutio. Vnum tamen notandum est animaduersione dignum quod pertinet ad situm partis, quod scilicet testes semper debent esse suspensi dum curantur, ita tamen vt non doleant: aliter nunquam sanabitur inflammatio. Ideo cum imponitis emplastra, vel vnguenta, vel olea, curetis vt testes sint suspensi suspensique maneant & non pensiles; sine dolore tamen fiat hæc suspensio: quoniam hoc maxime proderit, imo ita necessarium est, vt sine hac suspensione impossibilis sit sanatio. & hæc sufficiant de testium inflammatione dicta.

Error vtentium resoluentibus.

De Affectibus glandis pudendi ad tumores pertinentibus.

CAP. XXXVII.

Glans pudendi patitur quosdam tumores carnosos, qui θύμοι dicuntur à Græcis, Thymia vero à Celso, vel carnes additæ & ficus à recentioribus, vt etiam ab Aetio. Cum autem glans creuerit ad maiorem tumorem, vulgo porrifichi vocantur, non differt tamen thymus à fico nisi ratione magnitudinis: quia cum paruus est tumor, thymus dicitur, cum autem magnus est, vocatur ficus vel porrifichi.

Thymi quomodo differant à fico.

Sunt autem ista tubercula propria trium locorum, primo pudendi muliebris, secundo glandis, tertio ani. Sunt autem carnes quædam rubicundæ, quæ in extremo si nt fimbriatæ, vti sunt ficus in interna parte, radix autem huius carnis est angusta, color rubicundus, aliquando vero albicans, quandoq; nigricans.

Thymi loca propria.
Thymi quid sint.

Causæ autem sunt duæ, prima est contagium, contagiosa enim est affectio, ideo cauendū est à mulieribus, quæ laborant his carunculis in vulua, & si mulier illa laboret mor-

Causæ.

bo gallico prius inficiet homines eam cognoscentes his phimis, qui deinde progredientes generant morbum gallicum etiam in viris: quare quandoque cum gallico adueniunt, quandoque vero sine eo. Secunda causa efficiens est caries:sæpe enim fit cariosus penis à carie non gallica, qua(carie) sanata solent superuenire phimi. Præterea si quis coitu vtatur tempore menstruorum corripietur hoc morbo: nam ab illo sanguine vitiosa inflammatur glans pudendi & variis coloribus afficitur, postea superuenit phimus, dum inflammatio abiit. Fluxio vero & intemperies mala in loco sunt causæ immediatæ: introducitur enim intemperies mala in glande, quæ corrumpit facultatem generatricē & formatricem eius, quæ postea generat, quæ non deberet.

Materia. Materia vero sunt humores vel sanguinei vel pituitosi vel melancholici: ideo fiunt thymi quandoq; cancerosi quandoq; benigni: nam humor melancholicus quandoq; facit thymos cancerosos, qui sunt nigri, fœtidi & dolorosi cum puncturis. Benigni autem sunt rubicundi albicantes & sine dolore, qui fiunt ab humore sanguineo vel pituitoso.

Præsagium. Præsagium autem tale est, quod si sint cancerosi, non sint proritandi, quoniam non sanantur. Si vero sunt benigni, possunt sanari & facile: si vero sint cum morbo gallico, difficillime. Præterea in lochiis muliebribus non succedit curatio, quia manum adhibere non possumus: similiter in ano.

Curatio. Curatio autem fit & medicamentis & manu præmissis vniuersalibus, si opus sit: quare si sint magni & copiosi, & pluribus in locis: primo expurgetur corpus, deinde veniatur ad locum affectum, circa quem primo vtendum est medicamentis leuibus: vnde ego familiare habui ammoniacum præparatum cum aceto: quoniā dissipat & discutit illas carnes. Sed cum maximus adsit pruritus, oportet vt æger manus contineat & non scalpet: vel accipiebam ego portulacam contusam & imponebam: vel madefaciebam linteum in eius succo & imponebam, vel accipiebam portulacam syluestrem, quam verrucatiam vocant, vel vermicularem, quæ acris est, & est semperuiui species, imo vocatur semper viuum sacrum, & hāc tundebam succum exprimens, quem deinde affundebam supra thymum feliciter: vel accipiebam scorpioidem Dioscoridis, terebam & imponebam, illā scilicet quæ profert pillulas rotundas. Quandoq; caro bouina vel vaccina cruda imposita iuuar. Aliqui vero lac tithymali inspergunt super phimos modò glandem non tangat, quoniam eam excoriaret. Quandoque vero ego accipio ramum ficulneum viridem, & etado substantiam internam & ipsam derasam impono. Quandoq; accipio ramum ficus tenerum & exprimo lac eius super phimum, munita tamen glande, ne tangatur à lacte. Si autem hæc nihil faciunt, venio ad robusta medicamenta illa siccantia, quæ iam dicta sunt in polypo. Si vero neque hæc faciant, venio ad exedentia, vt ol. sulph. vel aquam aluminis magistralem, sed semper tegendo glandem, vt cum membrana aliqua vel charta tenuissima & molli, vt possit reduci ad suum locum: quoniam semper tegenda est præputio suo glans, aliter intumesceret, ideo semper reducatur præputium in suum locum & tegatur, ne à medicamenris illis exedatur, quare tegatur aut charta aut membrana tenui.

Familiare medicamentum Falloppii.

Curatio per manum. Quandoq; sanatur phimus per manum: vnde aliquando ipsum vincio seta vel forcipe seco: nam hoc modo facillime sanatur. Sed aduertendum est, quod quando secatur, oportet, vt magnam copiam sanguinis effluere sinatis: quoniam ex hac optima expurgatione citissime sanatur. Sed si voluerint patientes perferre forcipem, imponatur circa thymi radicem filum sericinum & stringatur per vices: quoniam spatio duorum dierum sanatur cadens. Si vero remaneat postea quid radicis illius, vtor ego quibusdam medicamentis, ratione quorum sanantur, nisi cancerosa sint. Sed notandum, quod quando sunt in glande plurimi: quoniam quandoque viti sunt fœdissimi, ita vt quamuis coeant cum fœdissimis mulieribus, non tamen postea glandem detergunt, vnde non solum eorum glans, sed etiam quandoque totus penis thymis corripitur, vnde in hoc casu aduertendum est, quod non sunt exedendi omnes simul, sed primum sunt exedendi interiores, deinde exteriores, ne exedatur tota substantia præputii à vi medicamentorum simul collecta, ideo primum interiores exedatis & obducatis cicatrice, postea exteriores curabitis, & hæc de phimis sint satis. Sequitur vt agamus de affectibus canalis vrinarii & potissimum de caruncula.

De Caruncula supercrescente in canali vrinario molestissima.
CAP. XXXVIII.

SVboritur quandoq; in canali vrinario penis caruncula quædā & molestissima quidem, quæ aliquando etiam fit callosa, ita vt vsq; ad mortem perduret & excruciet miseros ægros, & aliquando supprimit lotium & interficit patientes, & ego quidem testor me aliquos

quos strangulatos vidisse ratione suppressi lotii occasione huius carunculæ supercrescen-
tis in canali vrinario. Carruncula vero hæc solet succrescere ex gonorrhœa diuturna, quæ *Causa.*
facit vlcus, quia canalē deradit, ex quo non consolidato vlcere suboritur caro ista, & ideo
in gonorrhœa diuturna vlcere tamen succedēte, statim semper veniatis ad localia, quæ sa- *Curatio.*
nāt vlcus. Multi autem multa hic dicunt, sed pauci scopum attingunt. Quidam tamen est,
qui vocatur Petrus Gallus, qui quidē in curatione huius rei omnes superat: quoniam sco- *Petri Galli*
pum attingit & medicamentum composuit, quod omnia superat, & hic Petrus modo Ve- *laus in eius medicamento.*
netiis degit: & ego, vt verum fatear, ignoro medicamenta ipsius, quorum materiā & com-
positionem multoties tentaui perquirere, nunquam tamen potui eas consequi, vnde fa-
teor me ignorare, quodnam sit eius medicamētum. Multi autem alii tenent curationem
hāc, sed quandoq; succedit, quandoq; non. Ego autem hoc modo facio: primum impono
candelam, tentans, an dura vel mollis sit caruncula. Si enim mollis est, molli quoque vtor
medicamento; si dura, acrioribus: vnde si leuis est, accipio medicamentū habens in se pu-
rum præcipitatum, vel accipio Ægyptiacum, & addo tantum ceræ & olei, vt mollius red-
datur medicamentum, postea illius portiunculam pono in summitate candelæ, quam de-
inde oleo inungo, & postea introduco, & carunculæ medicamentū ipsum applico; quan-
doq; vero cerine vtor, quandoque diapalma addens parum nitri vel aliquam portionem
squamę & impono; quandoq; emplastro Isidis puro vtor. Si autem dura est caruncula, ac-
cipio præcipitati & aluminis combusti & chalcanthi rubificati an. partes æquales & his in-
ficio summitatem candelæ, & optime digitis puluerē candelæ imprimo, vt infigatur, post-
ea ipsam oleo inungo, & imponēdo applico ad carunculam. Sed inter alia vnum familia- *Secretum familiare Falloppii.*
re habeo secretum, quod erat arsenicum crystallinum, sed hoc longo tempore aufert; ego
tamen emollio optime arsenicum ipsum super lapide pictorio cum succo limonum, post-
ea ipsum soli expono, donec siccatur, deinde ipsum diluo aceto stillatitio. Et iterum sub
sole sicco, & hoc quater facio iterum sub sole siccans, vltima autem vice abluo aqua rosa-
cea, deinde ipsum cum aliquo cerato misceo, vt cum diapalma, vel diachylone, vel cum
ol. ros. & cera & facio emplastrum pro ratione duritiei carunculæ, & minimā portiuncu-
lam huius medicamenti pono in extremitatem candelæ, & quotidie semel aut bis in mea-
tum vrinarium felicissime intromitto: quoniam non est periculosum medicamētum si ita
præparetur. Vtor etiam quandoq; calce non extincta cum aliquo vnguento & impono;
sed illo præcipue dicto vtor. Quando vero candela non potest penetrare, impono medica- *Candela loco*
mentum illud in capite pediculi folii maluarum deraso cortice exteriori, & ipso loco can- *quonam vtendum.*
delæ vtor. Notandum est prętererea, quod in suppressione lotii ex his carnibus sæpe accidit, *Notandum in*
vt sint quatuor vel quinq; carunculæ in canali, quæ lotium supprimant, & nihil prodesse *suppressione lotii ex caruncula.*
vel agi possit, vnde aliqui etiam neq; ex vsu balneorum, inunctionum, neq; ex impositione
candelæ, quæ nō penetrat, neq; ex alio remedio prodesse potuerunt, vt æger mingere pos-
sit. Ego autem in hoc casu pulchrum quidem remedium inueni; accipio enim iuncos *Remediū pul-*
acuminatos virentes, & in capite eorum acutissimo impono portiunculam vnguenti in- *cherrimū Falloppii.*
ungendo prius iuncum, deinde in canali pono tentans, vt sensim & sensim penetret inter
callos, deinde aliquantisper iuncum in canali relinquo, postea extraho, & ex hoc succe-
dit lotium feliciter, postea iuncum melle ros. madefacio, vel alio detersorio & impono ad
detergendam saniem, & sic carunculam aufero & vlcus consolido. Sed etiam notan-
dum est, quod non satis est carunculam auferre, sed oportet postea vlcus factum cicatri-
ce obducere, in quo deficit Petrus ille Gallus; vnde ego ad hoc consequendum accipio *Petri Galli defectus.*
butyrum recens, mel rosatum, & cū minima quantitate aluminis crudi misceo & impono, *Falloppii supplementum.*
quandoq; vero squamā æris optime præparatam candelæ ipsi impono, ipsa scilicet squa-
ma candelam inficiens & impono, quandoque ferri squamam optime præparatam; ali-
quando squamis addo pompholygem præparatam vel tutiam, quandoque autem inii-
cio decoctum hoc: ℞. gall. immat. cortic. granatorum, rad. tormentill. rhur. mastich. a- *Decoctum pro*
loes, myrrhæ, bol. oriental. & alum. rochæ an. partes æqual. coq. in vino dulci vel sal- *cicatrice inducenda.*
tem non austero, nigro & crasso faciens decoctum, quod bis in die per clysterem infun-
datur in canalem vrinarium: hoc enim obducit vlcus cicatrice per spatium tantum vnius
diei vel alterius.

De Ani affectibus illis, qui ad tumores pertinent, & manu indigent.

Cap. XXXIX.

In ano duo sunt genera morborum, quæ materiam medicam desiderant, quæ etiā com-
munia sunt loculis muliebribus, & præsertim alterū, quod κονδύλωμα vocatur: nascitur e-

De condylomatibus. nim tuberculum in extremo ano, vel circa marginē ani durum & callosum, quod ... vocatur, vt sunt protuberantes noti in articulis digitorum, quod quidem tuberculum graue est, præcipue quando fæces duræ excernuntur, vel quid aliud, quod fæces comprimat.

Causa. Causæ autem horum sunt aliquando phymata præcedentia ani vel turpis coitus vel rhagades ex pessimo & diabolico illo coitu, vel etiam fæcum durarum excretio: rhagades enim inueteratæ, vt plurimum terminantur in condylomata, quæ tubercula vulgo cristæ vocantur inueteratæ: *Cristæ quotuplices.* cristæ enim duplices sunt, vel enim sunt ficosi illi tumores, vel sunt ista condylomata, quæ duræ sunt cristæ, nullusq; reperitur homo, qui passus sit phymata, vel suppressionem fæcum vel ipsarum durarum excretionem in hæmorrhoidibus maxime, qui non habeat ac patiatur hæc condylomata.

Curatio per sectionem melior quam per medicamenta. Sed quo ad eorum curationem, sciendum est, quod quando hæc condylomata sunt leuia, non requirunt curationem. Si autem molesta sint, sunt etiam curanda. in quorū curatione proponuntur multa medicamenta exiccantia ab autoribus. Ego autem in hoc casu nunquam vtor medicamentis, sed sectione, quia melior, tutior ac citior est curandi ratio. Secari autem possunt condylomata tripliciter, vel filo vinciendo ipsa condylomata ita vt cadant, vel forcipe vel medicamento caustico. Si autem condyloma pediculum habeat angustum; nil melius est sectione, quia breuissima est, & non dolorosa actio.

Sed notandum, quod aliquando sunt venæ manifestissimæ in condylomate ac insignes circa pediculum, quæ si secentur, sanguinē copiosum effundunt, vnde tunc est vtendum filo vinciendo radicem eius donec cadat, non autem scindenda sunt vel sectione vtendum. Sed si non adsint venæ, secentur forcipe vel aliquo instrumento secante, vt rasorio, vel gamaut vel gladiolo; forcipe tamen breuior, facilior, tutior ac minus dolorosa est actio. Post sectionem autem ponatur puluis factus ex chalcātho, alumine rochæ vsto, gallis & granatorum corticibus; vel caustico exedatur; vnde ego pro caustico vtor sandaraca vel auripigmento macerato in oleo vitrioli: nil tamen melius est, quā vt madefiat linteum in oleo sulphuris vel chalcanthi & applicetur condylomati.

De Hæmorrhoidibus. CAP. XL.

Hæmorrhoides venæ quot sint. POst condylomata succedunt hæmorrhoides, per quas duo intelligimus vel intelligere possumus; vel scilicet venas in ano existentes, quæ sunt aliquando quinq;, aliquando sex, aliquando plures, aliquando pauciores, quæ sunt capillamenta venarum in extremo ano quæ aperiuntur sæpe in ano & effundunt sanguinem; secundo vero intelligimus per hæmorrhoides morbum quendam tumidum, qui fit circa capillamenta illa venarum ani: nam solet tunica illa in superficie ani intumescere, vnde etiam venæ istæ intumescunt vel aperiuntur; & hæc hæmorrhoides etiam dicuntur. De cura autem hæmorrhoidarum primo modo captarum non est loquendum: quoniam non sunt morbi, sed de hoc secundo genere tumido.

Hæmorrhoidarum species. Hi autem tumores sunt varii generis ex Hipp. in lib. de tumorib. nam aliqui habent similitudinem acini vuæ nigræ, & istæ hæmorrhoides ob id acinales vocantur: aliquando vero veluti moræ tuberosæ, & ob id morales dicuntur. Aliquando crescunt ita, vt verrucæ videantur & duræ sunt, vnde verrucales dicuntur. Aliquando videntur ampullæ & vesicæ, & ob id vesicales nuncupantur: vnde quatuor sunt species hæmorrhoidum, quæ *Materia hæmorrhoidum.* differunt ratione materiæ diuersæ, à qua fiunt: nam acinales à puro sanguine fiunt, morales vero à sanguine atro & crasso, verrucales à sanguie melāchoiico vel bile atra, vesicales autem à sanguine pituitoso. Notandum tamen est, quod istæ hæmorrhoides aliquādo extra anum sunt, aliquando intra occultantur; si autem extra sint, manifestæ dicuntur; si intra, occultæ & cæcæ, à recentioribus vero barbaris surdæ vocantur, vnde surdæ recentiorum & cæcæ antiquorum eædem & idem sunt. Præterea aliæ sunt dolorosæ, aliæ sine do-*Erratum Medicorum in cognitione hæmorrhoidum.* lore. In his autem notandum est, quod plurimi decipiuntur: nam solent dupliciter aperiri venæ illæ: solent enim aliquando capillamēta illa venarum producere tuberculum, vt est granū milii & pars illa nigra protuberans spargit sanguinem: aliquando vero fit vlcus paruum in hæmorrhoide purum & mundum, & ex his etiam sanguis effunditur, in quo Medici decipiuntur, quādo talia vlcera vident, aut quia credunt esse vlcus, & sanare tentant, sed frustra, quia ista vlcera sunt oscula venarum aperta & exesa, nec requirūt curationem, *Causa.* nec possunt sanari, nisi sanentur hæmorrhoides. Causæ autem hæmorrhoidum notæ sunt, vt malus succus in corpore contētus, & plenitudo sanguinis melancholici, ideo in eis non est immorandum, sed ad curationem deueniendum quam citius.

Curatio. In hæmorrhoidibus tria requiruntur, primum quando dolent, vt mitigetur dolor. nam maxime excruciat iste dolor, quia maximus est & intolerabilis quandoque & præci-

pue

pue quando cæcæ sunt & occultæ, nec maxime tumidæ sunt, sed parum aut nihil. Quare primum indicatum est sedatio doloris, si quis adest. Secundum indicatum est, quod, si non fluat sanguis, curetur vt fluat; vel si nimis fluat, sistatur. Tertio auferenda sunt tubercula ista: quia molesta sunt, & si extra sunt, impediunt etiam ingressum; & si sint intra maximus fit dolor in excretione & inuertuntur, ita vt tolerari quandoque non possint, vel non sine maxima difficultate. Quoad primum dimittenda sunt communia: nam præter modum dolentes requirunt rationem victus contrariam humori peccanti, sectionem venæ in talo vel cubito, tertio requirunt, vt non exhibeamus lubricatia aluum, sed quanto tardius fieri potest, vt excernantur fæces, melius est, ideo supprimenda est aluus. Sed quoniam fæces hoc modo siccabuntur, vnde dum voluerit patiens postea exercere, maxime cruciabitur ab ipso dolore. Vnde ego dico, quod bene curandum est, quantum fieri potest, vt æger raro fæces excernat; sed quoniam percipiet stimulationem fæcum, infundatur clyster ex oleo purissimo ad ℔ j, & butyro recenti ad ℥ iiij. quibus calefactis ac mixtis infundatur, & ipsum teneat patiens per spatium vnius noctis vel diei integri, quia ex hoc liquefiunt fæces ita, vt postea egrediantur sine molestia. Hoc facto ad doloris mitigationem veniendum est, pro quo varia sunt, sed inter omnia sola ea, quę refrigerant & siccant, & discutiunt humores impactos, bona sunt in hoc affectu. Vnde ego familiare habeo vnguentum populeon, quod refrigerat & siccat: sed vt magis siccet, addo cortices granatorum tritos vel puluerem gallarum, vel puluerem ex corticibus ouorum, vel metallica illa, vel squamas lotas, & quandoque etiam præcipitatum, vt magis siccet & impono. Quandoque vero ad lumbricos terrestres venio: quoniam hi præstantissimi sunt in hæmorrhoidibus non spargentibus sanguinem, vnde tunc accipio oleum armelini vocatum, quod pro hæmorrhoidibus seruatur in officinis, & vocatur etiam oleum de baricocoli, vel de armelini aut moniachæ, quod quidem oleum fit ex aromaticis malis, ex quorum nucleis fit oleum, & in hoc ego incoquo vermes terrestres in vase ferreo: sed si hoc vas non adsit, accipio lucernam coquinariam, & coquo, deinde inungo ac impono feliciter. Quandoque vero vehementioribus vtor accipiens millipedes, animalcula illa scilicet, quæ aselli vocantur seu porcelletæ, quæ gignuntur in hortis pensilibus, vel etiam degunt sub vasis aquariis, & hæc animalia in ollam imponens in furno exuro, & puluerem conficio, iterum etiam accipio asellos viuentes, & in eo oleo armelino dicto decoquo, & hoc hæmorrhoides inungo, super quas etiam puluerem inspergo. Vltimo venio ad quædam animalia nigra, quæ gignuntur ex stercore bouino in viis, & scarabei vocantur, à Græcis vero Canthari: hæc enim animalia sunt vera medicina hæmorrhoidum dolentium, & hos scarabeos incoquo, in quocunque oleo & optime, donec fere ex toto vrantur, & deinde hoc oleo inungo. Quandoque vero eos macero tota æstate in oleo & ad vsum seruo. nam hæc mitigantia sunt aliis omissis communibus, anodynis scilicet, & hæc mihi sunt familiaria. Verum autem est, quod etiam quandoque duo alia egerim pro sedando dolore hæmorrhoidum; vel cohm primo ferramento calido exurebam hæmorrhoides dolentes, sed ferramento non vrens erat, sed multum calidum, vel oleo feruenti tango hæmorrhoidas, sensim tamen, donec exuratur superficies hæmorrhoidum; vel hirudines etiam impono: nam ex his dolor sedatur vt plurimum.

Indicationes. — *Clyster in hæmorrhoidibus.* — *Doloris mitigatio.* — *Familiare Fallop. pro dolore leniendo.* — *Oleum armelini.* — *Aliud familiare.* — *Oleum ex scarabeis optimū.*

Si autem non fluat sanguis, & tumidæ sint hæmorrhoides aut mariscæ, siue extent, siue non extent, infinita proponuntur ab Aetio, quæ faciunt ad operationem ipsarum. Ego autem etiam in hoc duo familiaria habeo medicamenta, ad aperiendas scilicet mariscas, quæ etiam mitigant dolorem, quæ si facere non possunt, deuenio ad hirudines, vel ad manuum operationem, primum autem ex rad. cyclaminis & pannis coctis hoc modo est confectum:

Emplastra Falloppii pro apertione hæmorrhoidum.

℞. carn. pom. sub prun. coct. ℥ ij.
rad. cyclam. virid. ℥ j ß. vel etiam ℥ ij.
litharg. aut. ʒ ij.
aloes ʒ j.
croci ℈ j.
ol. ros.
mell. an. quantum sufficit. Misce, fiat empl. in mortario, quod imponatur, siue sint manifestæ, siue occultæ: habet enim vim mitigatoriam, & aperit & sanguinem educit.

Aliud emplastrum est hoc:

℞. carn. cæparum commun. sub prunis coctar. vel loco harum cæpas, liliorum albor.

rad.cyclam.virent.an.℥ij.
aloes ℥j.
asellas cr.xx.
ol.rof.
mell.an.q.s. misce in mortario & fiat emplastrum. Si autem ex his non aperiantur mariscæ, venio ad folia ficuum accipiens duo folia ficuum virentia & simul ea inter se frico, vt asperitatem remittant, prætereà frico etiam simul, vt suo lacte imbuantur, deinde mando, vt æger exprimat mariscas, deinde sensim & sensim frico ipsas cum dictis foliis, & sic aperiuntur. Quod si neque hæc faciunt, vltimo loco hirudines appono. Si autem præter modum fluit sanguis, tunc adstringentibus vel causticis ipsum sisto, de quibus alias dictum est, cum de fluxu sanguinis ageretur. Sed cum non semper hæc sufficiant, ideo opus est deuenire ad exustionem, vel medicamento vel ferro, aut ad præfectionem aut ad ligaturam. Exustio autem facta per ferrum & causticum non laudatur à me, nec etiam præcisio & inuersio, vt docent autores. Sed semper ego per deligationem tentaui sanguinem sistere & optime successit. An vero omnes ligandæ sint & exicandæ, cum omnes sanguinem spargant, difficultas maxima est inter Aetium & alios Medicos. Aetius enim in hoc omnibus contradicit, quia Hipp. sect.6.aph.12. dicit, quod, si vna non relinquatur apta, incidunt patientes in hydropem & similes morbos, in quos etiam incidunt, si nimium sanguinem spargant. Interpretes autem dicunt, quod vna vena sit relinquenda aperta. Aetius autem aliter dicit. Ego autem cum Galeno consentiens dico vnam semper esse relinquendam apertam si fieri potest, nisi maxime fluat sanguis, sed in hoc non est immorandum, cum ego alias docuerim: quomodo ligandæ sint, cum loquebar de polypo; tunc enim instrumentum docui ex fistula argentea, ex filo æneo, quo optime ligantur hæmorrhoides ipsæ. Notandum est autem, quod si extra sint, facile ligantur: at si sint intra, tunc infundendi sunt clysteres, vt extra veniant, ac omnia sunt tentanda, vt extrahantur, vel imponatis emplastrum ex cæpis puris coctis addito sulphure tantum, vel nitro simul cum sulphure, vel cucurbitulas ad anum apponatis ad foramen scilicet, vt his extrahātur mariscæ, vel per clysteria actiora hoc tentabitis. Sed notandum est deligatione, quod cum sunt eductæ & arreptæ filo æneo, cum filo deinde sericino ligātur, non sunt nimium stringendæ: quoniam si nimium stringantur, cadunt citius quam oporteat, & antequā consolidentur. Postquam autem fuerint vinctæ, inungantur omnes oleo armelinorum vel vnguento popul. vel ol.amygd.dulc. & eas postea digito iuuando curetis, vt reponantur in suum locum, vel hoc fiat per candelam ceræ albæ optime vnctam, vel cum digito inuncto oleo aut butyro.

Folia ficuũ.

Si sanguis nimium fluat.

An omnes hæmorrhoides ligandæ sint, si omnes sanguinem spargant.

Cum autem exciderunt hæmorrhoides ligatæ, vt vulnus ipsum consolidetur, ego vtor trociscis ex tribus granatis ipsis inungendo, vel dissoluo ipsos pomata vel ol.armel. & impono in sedē, & sic fit cicatrix. Et hæc satis sint de hæmorrhoidibus dicta; sequitur modo, vt agamus de tumoribus illis, qui partium extremarū sunt morbi, inter quos primum agamus de illis, qui perniones siue bagantiæ dicuntur.

Ad cicatrizandas hæmorrhoidas.

De Affectibus Partes extremas occupantibus, & primum de pernionibus.

CAP. XLI.

Perniones quæ loca occupent.

PErniones sunt affectus extremorum membrorū, qui non nisi hyeme oriuntur, & Græcis χίμεθλα, quasi hyemalia, vocantur, & sunt tumores rubicundi in principio, qui postea fiunt liuidi, nigri & molles & aliquando ad suppurationem veniunt, & etiam quandoque gangrenantur & oriuntur circa articulos pedum & manuum, & aliquando circa calcem, & quandoq; circa nasum & etiam aures.

Causa.

Causæ sunt frigora ingentia quæ afficiunt extremas partes; causa vero immediata est fluxio sanguinis boni; materialis vero sanguis bonus fluēs ad partes illas debilitatas, vt quādo abundat sanguis halituosus in corpore, vt in pueris & mulieribus, cū non possit difflari dolente parte ob frigus, fluit illuc & facit tumorem, & putrescit magis ob frigus quam ob aliud. Hinc autem est, quod puellæ ante menstrua patiuntur hos tumores & sic pueri bene habituati.

Curatio.

Curatio autem horum tumorum ignota est omnibus fere præterquam Aetio, qui optima proponit medicamenta: nam omnes hæc curant per calefacientia & siccantia imponentes rapas, alii vrticas, alii raphanum, alii oleum ex seminibus lini: alii exurunt cineribus calidis vel ferro calido, quia putant quod cum frigus sit horum tumorū causa, quod calor harum partium sanet; sed decipiuntur. Nam ego assero, quod tota curatio in principio consistat in repellentibus ac robustis refrigerantibus & exiccantibus; & si adultum sit corpus

Error curantium perniones in principio.

corpus,nil præstantius esse potest, quàm secare venam in principio:sola enim hæc sectione venæ plurimas ego præseruaui:quare in puellis, in quibus est tempus menstruorū,non autem adhuc fluunt.secetur vena etiam in hyeme,nec timeantur frigora. Bene verum est, quod oportet,vt in thalamo calido maneant,& secetis venam basilicam. Circa locum autem veniatis ad repellentia refrigerátia & exsiccantia, quibus etiam Aetius vtitur;sed ipse nesciebat quare hoc faceret:quoniam imponit ipse emplastrum ex succo citri vel limonis vel arantii. Accipiatur itaque succus limonum vel arantiorum acidorum, vel mali citri & misceatur cum farina hord.& oleo rof.omphac.mira enim fient ex hoc: vel accipiatis succum rof.& acetum acerr. & album oui, & cum farina hord. fiat polenta, sed omnia sint cruda. Vel accipiatur farina orizæ & succus rosarum cum oleo rof. vel aceto rof. & succus myrthill.cum ol.similiter rof.& fiat polenta & applicetur. Vel etiam triapharmaco vti potestis,quod quidem constet ex litharg. ol.rof.& aceto,quod diducitur in mortario plumbeo ad linimenti consistentiam, & hoc quotidie inungatur locus affectus: quoniam est præstans medicamentum.

Circa locum affectū qua conueniant.

Triapharmaci compositio.

Ego autem familiare hoc habeo, *Medic. Fallop.*

℞.suc.rof.
solatri.
plantag.an.℥j.
ceruss.
litharg.an.℥ij.
acet.acerr.
ol.amphac. an.℥iij. misce in mortario plumbeo, & subigantur

ad linimenti consistentiam:quoniam optime succedit. Sed aduertendum,quod cum horum vsus soleat maximum pruritum facere,ideo quando pruritus adest maximus, detergendum est medicamentum & auferendum totum, & abluendi perniones aqua rof. frigida. Si autem exulcerati sint perniones,ego vtor vnguento diapompholygos. Sed infinita habentur medicamenta ab Aetio,Paulo & omnibus,quæ huic scopo inseruiunt,quibus vti poteritis, si vlcerati sint,aliter nunquam ipsis vti debetis.

Notandum si adsit pruritus.

De Callis seu clauis. Cap. XLII.

Suboriuntur in extremis partibus ob laborem calli,qui claui etiam vocantur,& rectius, quoniam qui clauis istis laborant,ita punguntur, ac si clauos in parte illas infixos haberent. Vt autem quis possit ab istis præseruari,sciendum est,quomodo nascuntur. Nascuntur itaque primum suboriente vesica, quæ oritur, quando quis vtitur crepidis, & postea dimissis illis vtatur caligis strictioribus, vel cum caligis vsus est, vtatur deinde zoccolis siue crepidis. Ex horum enim hoc vsu vario oritur vesica, quia atteruntur ab his pedes, quæ vesica si relinquatur & siccetur, vt plurimū facit callum: spatio enim quatuor dierum tantū humor,qui erat in vesica illa, siccatur, & pellis suprapolita fit dura & continuo carnem atterit,& ita calli suboriuntur, qui fiunt duri:& hāc causam ego multoties reperi didiciq; ab experientia hoc, quod ex attritione in itineribus vidi vesicas subortas, ex quibus deinde calli facti sunt;ideo moneo vos, vt si præcauere vultis à callis, vt illas ampullas amputetis ac vesicas illas aperiatis, quæ in pedibus suboriuntur, neq; permittatis eas siccari, aliter callus subsequetur. Verum est tamen, quod pellis illa subiecta vesicæ dolet, & ideo imponendum est aliquod medicamentum, vt diachylon, vel diapalma, vel diapomphol. vel aliud, ne doleant, aliter calli superueniunt. Sed loquamur modo de iam factis, quomodo sanentur. Infinita autem sunt medicamenta, sed omnia debent habere vim attenuandi & exedendi. Aliqui vero macerant callos lixiuio, & deradunt cum molles sunt facti. Ego tamen non laudo derasionem: quoniam non est bona curatio, quia iterum suboriuntur, præterea quandoq; bonas carnes deradunt, vnde ego macerationem tantum cum lixiuio maxime laudo: Maceratione autem facta ego accipio acetum stillatitium vel acetum forte & macerato callo in lixiuio fortiori impono offulam panis maceratam in aceto illo acerrimo, quando it dormitum patiens, vt tota nocte seruetur, quod fiat per tres noctes; die autē impono empl. Isidis: quoniā sic maceratur callus & fit mollis, nec amplius affligit hominem. Cum autem hoc quandoq; non succedat, ideo veniendum est ad validiora, vt est nitrum, ammoniacum, vt si nocte vtatur aceto dicto: die vero accipiat nitrū vel ammoniacum, & seruet in palma manus, donec emolliescat, atq; etiam digitis atteratur, vt mollis fiat, deinde extēdatur & tractetur, ac si esset pasta, deinde platesma fiat, in cuius media cauitate imponatur aliqua portiuncula salis nitri triti: & si hoc sit nimis vehemens & acre, torrefiat, & callo imponatur per totam diem.

Calli generatio quomodo fiat.

Præseruatio à callis.

Calli facti curatio.

Si vero hoc non sufficiat, accipiatur auripigmentum tostum, sandaraca Græcorum, sal nitrum, & sulphur ignem non expertum æquis portionibus ac ponderibus, terantur & fiat puluis, qui excipiatur cera vel ammoniaci lachryma molli, & imponatur. Si vero neq; hoc sufficiat, vt quãdo ita duri sunt, vt his non cedant, veniendum est ad causticum; vnde ego soleo accipere ventres cãtharidum & cõtundo, deinde cum croco misceo & fermento, & huius mixtionis nimirum portiunculam impono super callum; ex hoc enim excitatur vesica cum aqua, & ita abscedit callus, deinde vesicam seco & locum postea cum diapompholyge curo: vel accipio capitellum pro caustico medicamento, si cantharidibus vti non vellet aliquis. Et hactenus de callis.

De Poris seu verrucis. Cap. XLIII.

Varia nomina & species. *Formicales.* *Pensiles.*

SVboriuntur quædã tubercula, quę verrucæ dicuntur siue pori, qui in toto corporis nascuntur, & non vnius generis, sed aliæ myrmeciæ, id est, formicales dicuntur, vnde à recentioribus formiculosi vocantur pori, aliæ vero ἀκροχόρδονες, & à nostris verrucæ pensiles nuncupantur, à quibus vero næui. Formicales autẽ duræ sunt admodum, & nascuntur vt plurimum in manibus, & habent radicem latiorem apice, atq; apicem aspetsum.

Materia. *Verrucæ contagiosæ sunt.* *Acrochordones sunt delitiosi.* *Curatio.*

Pensiles vero vt plurimum nascuntur in collo, molliores sunt, & in aliis etiam partibus oriuntur, quandoq; & pediculum angustum habent. Istæ autem omnes vertucæ nascũtur ex materia melancholica, crassa & quandoq; cum pituita etiã errãte formatrice facultate partis, quę cum non possit materiam illam discutere, potius format verrucas quam ipsam discutiat, & sic facit morbum in numero. Quandoq; vero fiunt à materia melãcholica cum pituita mixta. & istis laborant rustici, quia abundant plurimis excrementis crassis, & his etiam pueri laborant, quia licet succo melancholico non abundent, pituitoso tamẽ maxime abundant. Verrucæ præterea cõtagiosæ sunt; si quis enim non laboraret verrucis, si cadat sanguis ab ipsis in aliam partem dum resecantur, succrescit alia verruca; vnde aliqui verrucas capiunt, si in linteo detergantur, in quo fuerit sanguis verrucarum collectus: & sunt aliqui, qui nunquam liberantur ab his verrucis. Si autẽ quis diu his laboret, oportet vniuersalia capita præmittere, postea venire ad locum affectum, si tædio sint illæ homini. In acrochordonibus vero, cum quasi delitiosi sint, non multum laborãdum est: nam aliqui maxime delectantur his, vt cum hæc habent in naso vel collo: & si hæc curare velitis, non multo labore hoc facietis, nec reuiuiscent. Sed si sint formicosæ verrucæ, cum satis molestæ sint, ideo validissimis indigent medicamentis discutientibus & resoluentibus, inter quæ primo sunt folia salicis viridia, quod casu ego didici à quadam vetula, quæ his vtebatur cum aliqua tamẽ incantatione: verum per se faciunt hæc folia, si ipsis fricentur quotidie matutina hora. Succus etiam foliorum istorum discutit, & attenuat & digerit. Quandoq; vero ego accipio folia salicis sicca & facio puluerem, & cum aceto misceo, quandoq; venio ad acetum squilliticum. Si autem hæc non faciunt, venio ad portulacam sylnestrem virentem verrucariam dictam, ipsa verrucas fricans aliquando accipio scorpioidem illam verrucariam, quæ profert pilulas, & frico: quandoq; scrophularia maiori ipsa frico, aliquando radice dracunculi maioris vtor vel radice ari, vel radice cyclaminis prioris, his ipsas fricans. Si vero neq; hæc sufficiunt, venio ad caustica accipiens allium viride, illud cõtundo, & eius partem super verrucam pono, postea facio pileolum ex cera, & impono & fascia obduco: nam hoc modo facit vesicam, & cadit, & sic curantur verrucæ: vel accipio sandaracam Græcorum, auripigmentum purum & misceo cum oxymellite, vel cum melle, vel fetmento & impono, quia vrit optime, vel accipio oleum chalcanthi,

Vstio cum sulphure quomodo fiat.

vel sulphuris locum madefaciens, vel vltimo in loco venio ad exustionem cum sulphure, accipiens nucem iuglandis per medium diuidens ac nucleos extrahens, & accipio dimidiam partem testæ, & facio in ipsa foramen paruum, magnitudinis scilicet verrucæ, & appono super verrucam, ita tamen, vt ipsa optime ingrediatur in illud foramen optime calcans, postea pono sulphur in illa testa, deinde candela sulphur accendo; sic enim eliquatur sulphur & exurit verrucam, nec partes vicinæ vruntur, quoniam ab ista testa perforata præseruantur, & hæc donec sufferre possit æger: nam ter vel quater est faciendum. Quando vero sanatus est locus, vtendum est per aliquot dies vel foliis salicis vel aliis superius dictis, vt dissipetur materia illa, ne reuiuiscat verruca, nam quandoq; reuiuiscunt.

Cum autem alii non adsint tumores, qui adhuc cognoscantur, ideo finem huic operi hic imponemus, Deo gratias agentes.

FINIS TRACTATVS NONI.

GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI, DE DECORATIONE.

TOMI II. Tractatus vltimus.

Præfatio. CAP. I.

DE DECORATIONE vniuersi corporis humani, & singularum partium, quæ partim necessario corpus constituunt; partim verò per accessorium quoddam illud perficiunt, tractaturis, necessarium est prius videre, quid sit Decoratio: Secundo quid circa corpus vniuersum, vel partes agat. Tertio ad quem artificem pertineat. Quarto quid in illa contineatur. Vltimo qui scriptores legendi tractarint de hac materia: vtque hæc certo pateant, altius quædam repetenda. quod omnes artes à scriptoribus diuiduntur in duo genera, alteras bonas constituunt, alteras malas, atque fucatas; malas vocamus eas, secundum Philosophos, & Medicos ex autoritate Galen. quæ versantur tantum circa illud, quod bonum videtur esse, non autem est; quarum finis bonum, & perfectum apparens est, non tale existens. bonas vocamus eas, quæ circa bonum sincere, & vere bonum versantur. per bonum intelligimus perfectionem in substantia rei, & integritatem eius, de qua dicitur bonum. Vnius, autem, cuiusque rei cum vnum sit bonum summum tantum, & perfectio tantum (quoniam vnum, vt vnum, vnam integritatem, vnam perfectionem, & vnum bonum habet) & ideò vnaquæque ars circa vnum bonum, vnum finem, & vnam perfectionem versatur illius rei, de qua tractat. Verum bonum hoc in vnaquaque re dupliciter obseruari potest; altero quidem modo, quo consistit hoc bonum, & in actu reperitur in re, verbi gratia, in corpore perfectio est, vt possit moueri, dum adest motus, adest perfectio, & bonum: aliquando bonum desideratur, vel quia nondum genitum, vel quia genitum corruptum est. Quum igitur duobus modis possit tractare ars de bono, vel præsens conseruando vel desideratum restituendo; quæritur an eadem sit ars? 14. cap. illius lib. ad Thrasyb. dicit Galen. ad eandem artem pertinere; nam cum perfectio sit finis artis, ars non solum producere eam debet, sed conseruare. ex his colligimus, quod vna ars habet vnum finem, & vnum bonum pro fine: bonum est perfectio rei, circa quam versatur. hunc finem ars tentat efficere, & effectum conseruare. Architectonica habet finem, constructionem ædium, si pereunt ædes, restituit; si restituit, conseruat. Cum itaque medicina ars sit, necessarium est habere vnum finem, qui sit perfectio subiecti, circa quod versatur: quod est perfectio corporis humani, verum non ita constat, quid in corpore humano sit bonum, & perfectum, circa quod versatur ats: aliqui voluere perfectionem corporis humani esse robur, & vim ad actiones obeundas; & bene sensere; quia hoc est potissimum in corpore humano; & ideo dicitur ista integritas corporis, quoties potest integras actiones perficere. hoc confirmatur à Galen. in eodem lib. cap. 15. confirmatur etiam ratione ista potissimum: corpus humanum est organum animæ: organum est organum ad hoc, vt edat talem actionem, quam, si edere nõ potest, imperfectum est. si corpus est organum animæ, & finis eius est actus, & opus, ergo summa perfectio corporis est robur, & vis in agendis actionibus: idcirco finem Medicinæ dicimus in corpore versantis esse conseruare robur corporis, quod probatur alia ratione. robur est virtus corporea. non dico vis, sed virtus: virtus autem est summum bonum, dicebat Aristot. ergo sequitur, quod robur est summum bonum, finis corporis quatenus organum est; & in hoc tendit ars Medica. Alii dixere sanitatem esse illud optimum in corpore, sanitas est causa omnium optimarum actionum efficiens, & conseruans, ergo sanitas est summum bonum. Nam sicut Deus est efficiens, & conseruans, & finis omnium, & bonum summum, ita sanitas, in quam omnes conspirant. Probo authoritate eiusdem Galeni in dictis locis, & authoritate Aristotelis, qui sanitatem ait esse virtutem corporis. si virtus est, ergo summum bonum corporis, & perfectio, & integritas eius. Alii voluere esse bonum habitum; quoniam habitus bonus est causa functionum, & habitum bonum tentamus omnes, ad quem non solum Medicina, sed mangonica etiam ars intenta. nam antiqui arte Medica conseruabant habitum. sed hoc non satis erat: habebant Gy-

Ordo.

Ars duplex.

Cap. 10. lib. de opt. secta ad Thrasybulum.

Bonum.

Finis medicinæ est conseruare robur corporis.

mnasticam artem, & Mangonicam artem, quæ molliendo, & remolliendo præstantiorem habitum faciebant. & cum à Galeno & Aristor. virtus prodita sit, ergo bonum corporis dicimus esse istum bonum habitum. Vltimo non defuere, qui dixere pulchritudinem esse bonum corporis summû. cum hæc ab omnibus affectetur non solum fœminis, sed maribus: non modo iuuenibus, sed senibus, cumq; etiam virtus sit; ideo est summum bonum, & perfectio. ex his habemus rationes pro omnibus partib. Quodnam autem est summum bonum? quod pertinet ad actiones videtur magis excedere, tamen non est summum bonum. Hac ratione dicemus artem Medicam non habere vnum finem, vel corpus humanum plures habere fines, quorum neutrum est asserendum. quodnam ergo erit hoc summum bonum? Respondet acutissimus Gal. quod bonum, quamuis multiplex videatur, vnum tamen esse dicitur, multiplicitas autem dependere videtur, quia aliud est causa boni, aliud est fructus illius boni, tamen vnum est bonum, vnus est finis, & ita bonum aggregatum ex his est ex sanitate, bono habitu, pulchritudine, & robore actionum; videamus an res ita se habeat. accipiamus sanitatem, & bonum habitum, hi sunt causa pulchritudinis, & roboris in actionibus; pulchritudo, & robur sunt fructus, sunt effectus istarum causarum. si coniungamus causas, & fructus, vnum erit bonum. Summum bonum in homine est, quod generatur, ideo secum coniunctam habet causam: ex hoc colligemus, quod quemadmodum omnes aliæ artes habent vnum finem, vnum bonum, ita Medicina, quę habet perfectionem ex omnibus his quatuor virtutibus compositam, & istæ virtutes constituunt corpus nostrum. Probat Galenus rem istam, & inquit, videte, quod non potest alterum horum sequestrari ab altero: non possumus sequestrare pulchritudinem ab habitu, neque à robore, neque à sanitate; nec habitum bonum ab vno horum, nec robur à sanitate, habitu, & pulchritudine, nec sanitatem à cæteris, restituta sanitate, restituitur robur, & pulchritudo; restituta pulchritudine restituitur robur &c. sequitur ergo quod re vnum, & idem sint, quamuis ratione differant: colligemus ergo, quod in Medicina finis est summum bonum corporis humani, quę est perfectio constans ex quatuor virtutû aggregato, quæ sunt sanitas, robur, pulchritudo, & habitus. cum hæc omnia comprehendat ars medica, explodit omnes alias artes, exempli gratia, Mangoniam, Athleticam, comptoriam; ipsa omnia facit, ipsa mollit, ipsa pulchrum reddit corpus. Cum autem in hoc summo bono contineatur pulchritudo, sequitur, quod colligere possumus pulchritudinem pertinere ad artem medicam. quia hæc aut præsens est, aut deest, ad artem Medicam conseruatio, & restitutio pertinet. Verum hic scrupulus quidam occurrit, cum videam Philosophos, qui continuo hæc tractant, accusare pulchritudinem: Habemus authoritatem Galeni in illa oratione suasoria ad artes, in qua dicit pulchritudinem esse potius occasionem mali, quam boni: quomodo ergo erit ex eodem Galeno virtus, & summum bonum? Domini, cum hoc videam, cogor, vt ego veniam in hanc sententiam quod duplex est pulchritudo; altera fucata, adulterina, ficta, & non vera, quæ non naturalis, vel præternaturalis dicenda. de qua Galenus primo de vsu p. 9. & opt. secta ad Thrasyb. cap. 10. & primo de comp. med. per loca cap. 2. & hanc appellamus mangonicam, vel comptoriam, & hæc meretricia, vel cynędica dicitur; nam destruit conditiones naturæ, vt artis aliquot pessimas conditiones inducit; quam si affectant senes, iuuenes, & mulieres; Mulier destruit venustatem: senes grauitatem amittunt: iuuenes virilitatem perdunt. Altera pulchritudo naturalis dicitur, quam vnusquisq; affectare debet: & qui non affectat, turpis est, & Democriti factum in illum quadrat. Democritus in prandium vocabatur sæpe ad domum ornatissimam, vbi erat instructa mensa linteaminibus pulcherrimis, argenteis, & aureis poculis ornata, amicus autem sordidus erat totus. Cum Democritus expuere vellet circumuoluens oculos nihil inuenit turpius amico; & ideo in faciê despuit eius: idem mœrent illi, qui despiciunt faciem, barbam, colorem, & naturalia: digni profecto sunt, vt expuantur. altera igitur est pulchritudo, quæ naturalis dicitur; quâ dupliciter Gal. describit. altero modo nimis seuere, altero modo latius aliquantisper. anguste, & pressius, quando timebat à pulchritudine fucata, meretricia, & ideo dicebat lib. 5. de placitis Hipp. & Plat. cap. 3. esse compositionem, & connexionem naturalem, ac symmetriam partium inter se. & ab ista ablegauit molliciem, partium colorem, & similes notas pulchritudinis. ablegauit ista quæ pertinent ad pulchritudinem naturalem, ne daret aditum fucatæ pulchritudini; ne ista meretrix in Theatrum veniret. verum quum postea non timebat istam meretricem, latiorem pulchritudinê explicabat, & connumerabat substantiam, colorem, quantitatem, situm, figuram, & conformationem partium. in his enim omnibus constituebat pulchritudinem.

Pulchritudinem esse summum bonum corporis.

Summum bonum.

Finis in Medicina.

Pulchritudo duplex. Fucata.

Naturalis.

Historia Democriti.

Primo de vsu p. 9.

In lib. de opt. sect. ad Tr. 14. primo de vsu p. 9. 11. eiusdem 13. 1. de comp. med. loc. 2.

De-

Definitio decorationis, ad quam artem pertineat. CAP. II.

EX quibus omnibus, cum nos simus tractaturi de decoratione, quę conseruare, & restituere potest, ita eam definimus. Pulchritudo est bonus, & naturalis habitus corporis in substātię, quantitatis, situs, figurę, atq; coloris symmetria cōsistens. Hæc est natura istius pulchritudinis, circa q̄ versatur res huiusmodi, de qua nos instituimus tractationem. Et notate, quod non vna symmetria datur in his. Aliquando color dicitur symmeter ratione coloris vnius partis comparati ad colorem alterius partis, verbi gratia, videmus iuuenem rubrum, habentem barbam flaui coloris; huiusmodi est symmetria; quia vtrunque quadrat cum ætate, & faciei color respondet colori barbæ. Symmetria etiam cadit respectu vniuersi corporis. habet iuuenis rubram, candidam, roseam faciem, si corpus est huiusmodi, tunc dicemus habere symmetriam. Tertio dicitur symmetria relata illa qualitate ad vnum præstantissimum in vniuersa specie. si imaginemur colorem in muliere, ille est, qui est mixtum lac cum vino: & ille adolescens habet colorem optimum, quoties carnis albidæ, vellactis cum sanguine mixtio videatur. si videmus hoc, dicimus pulchritudinem adesse; quia adest symmetria cum colore pulcherrimo totius speciei; idem dicimus de iuuene, puella, sene, & viro. idem de reliquis qualitatibus, figura &c. Hanc pulchritudinem obseruat Medicus, atque conseruat; & quia per turpitudinem destruitur, hanc ipse fugat. Verum duobus modis pulchritudinem restituit, sicut duobus modis perit. nam aliquando perit per se non pereunte sanitate partium, aliquando per accidens pereunte sanitate partium, verbi gratia; sit mulier sub sole; inficitur cutis, & nulla pars laborat morbo. vice versa fit carbunculus in facie: huiusmodi nigredo turpitudinem inducit, pereunte cum pulchritudine sanitate. Medicus vtranque pulchritudinem restituere potest, primam per se, secundam per accidens. hoc secundum genus operis pertinet ad medicinam curatiuam; primum vero ad medicinam, quæ Cosmotice, hoc est, ornatoria, dicitur, vel decoratoria. ex quo patet vis artis multiplex: vis, quæ restituit sanitatem, dicitur curatiua; quæ restituit pulchritudinem, dicitur ornatoria, decoratoria. Sed est differentia inter comptoriam, & ornatoriam. comptoria destruit naturam, & addit, quod non est in natura. Decoratoria semper respicit id, quod est secundum naturam in isto homine, vel in tota specie, vel in hac, vel in illa parte. Ex quibus cōstat, quod decoratio nihil aliud sit, quam cōseruatio vel restitutio pulchritudinis naturalis vel in vniuerso corpore vel in corporis parte per se: nam decoratio non tractat de curatione pulchritudinis per accidens, quæ est per sanitatem corporis, sed de pulchritudine per se, quatenus pulchritudo. Nos autem in hoc de decoratione tractatu hunc seruabimus ordinem; vt scilicet primo de vniuersi corporis pulchritudine tractemus, postea descendamus à capite ad pedes. tractabimus autem de illa decoratione, quæ restitui potest, sine curatione morborum. quoniam fusius Scriptores de hac curatione dixerunt; vos repletos libros multarum ægritudinum inuenietis. Ego agam de pulchritudine restituenda sine morborū curatione. Ex instituto tractarunt primum de hoc Cleopatra Medicus, deinde Chrito, tertio Moschion, vt habemus ex Gal. Rhasis tractat de huiusmodi negotio 36. lib. continentis Auicen. vltimā fen 4. libri. Inter recentiores Ioannes de Vigo; Petrus ab Argillata, Nicolaus Florentinus in vltimo libro omnium suorum operum. qui sparsim tractarunt, sunt multi, Galen. in lib. de comp. med. per loca. Paulus, Aetius, Oriba. Alexander Trallianus, Celsus, Octauianus, Marcellus &c. & non est Medicus, qui locutus sit de locis affectis, qui non dixerit aliquid, quod pertinet ad pulchritudinem. in primo capite nos tractabimus de impinguatione, & gracilitate corporum, vt quando nimis pinguia sunt, quomodo gracilia reddenda, & è contra.

Definitio pulchritudinis. *Symmetria prima.* *Symm. 2.* *Symm. 3.* *Medicus pulchritudinē conseruat.* *Comptoria.* *Decoratoria* *Primo de cō. po. me. loc. 1. & 2. cap.*

De Turpitudine & primum de obesitate, & quid nominis eius.
CAP. III.

PVlchritudinem aliam esse naturalem; aliam vero fucatam, & meretriciam dictum est. Hanc posteriorem non esse tractandam à Medico, priorem esse inter eius scopos collocandam tradidi. cumque huiusmodi pulchritudo naturalis, à turpitudine destruatur, statim requiri opem Medicam, dicebam. Adiungebam ex mente Galen. consistere pulchritudinem in proportione, analogia, in substantia, quantitate, situ, & figura partium. quibus adiungitur coloris innati qualitas proportionata habitui, & ætati. Turpitudo erit corrupta proportio istarum rerum, vel substantia, vel quantitate, vel situ, vel figura, vel colore partium. cum indecorum habitum abigere sit intentio, merito de omni lapsu loquen- *Turpitudo.*

dum non morboso, sed turpi. nam duplex est lapsus; alter qui dicitur morbosus, qui est affectio præternaturalis impediens actiones corporis; de hoc non tracto: alter pertinet ad pulchritudinem, quando analogia oblectans oculos destruitur, solet autem hic lapsus esse vel in vniuerso corpore, vel in parte. Turpitudo vniuersi debet præcedere turpitudinem partis: quia vniuersalior est: & quoniam turpitudo vniuersi (vt plurimum) in quanto consistit, vel præter modum aucto, vel diminuto, ideo de hoc tractemus. & primo de aucta quantitate; secundo de diminuta, postea ad singularia membra descendamus. De nimia igitur corporis crassitie abigenda, dicendum, quæ παχύτης vocata est. παχύς à Græcis homo vocatur excedens magnitudine. vacatur πολυσαρκία abundantia carnis. aliquando παχυσμὸς hoc est incrassatio vocatur. igitur & παχύτης, & πολυσάρκια & παχυσμὸς improprie vocant nostri Latini, & præcipue, qui interpretati sunt Græcos obesitatem, crassitiem aliqui & crassitudinem; sunt qui ventricositatem transferunt: alii vero corpulentiam dixere. vnde corpulentia, ventricosiras, crassitudo, crassities, & obesitas idem significant, ex quo Galenus Latine loquens, obesos præpingues, & crassos vocat. de natura ergo obesitatis tractemus.

Imprimis autem obseruare debemus, quod corpus hominum tripliciter in quantitate excedit quantitatem symmetram. voco quantitatem symmetram: hoc est, in qua maior pars hominum conuenit, quæ conuenit neque magno, neque paruo. Hæc excedere solet tripliciter ex 2. aph. 54. prima ratio excessus dicitur magnitudo μέγεθος à Græcis. secunda dicitur longitudo à Galeno μακρότης. tertia crassities παχύτης ibi vocata à Galeno. per

Magnitudo. magnitudinem intelligit excedentem quantitatem corporis in longum, latum, & profundum: igitur quoties corpus fit magnum & per longum, & per latum, & per profun-

Longitudo. dum, illa dicitur magnitudo supernaturalis: & de hac non loquimur. altera longitudo, quando corpus tantum per longum crescit; & de hac nequaquam dicere intendimus. ter-

Crassities. tia erat crassitudo, in qua secundum Galen. fit incrementum nimium supra illud, quod est secundum proportionem, secundum latum, & profundum, non autem secundum longum: hoc est ita ad latera, veluti ad partes anteriores, & posteriores; ita in intimis, si-

3. com. in 6. epid. com. tex. 29. cut in extimis. Hæc est ergo obesitas, quam cum Galeno definire intendimus hoc modo. Crassities est tumor vniuersi corporis adaucti, vel crescentis supra id, quod est se-

Definitio. cundum naturam latum, & profundum. ex quibus verbis colligimus hanc obesitatem non esse morbum. nam quamuis ibi Galenus tumorem vocet, tamen non omnis tumor morbus est; vt satis abunde dictum est in tractatu de tumoribus est enim aliquis tumor, qui est symptoma, aliquis est morbus, aliquis supra naturam, id est, supra habitum naturalem; nam plurimi obesi funguntur actionibus propriis integre, quamuis non ita valde. sed dicenda affectio supra id, quod est secundum naturam.

De quatuor speciebus obesitatis. Istius obesitatis quatuor species constituimus ex duabus differentiis eius. nam ratione naturæ consentientis, aut non consentientis reperio quandam crassitiem naturalem, & quandam non naturalem ex 2. de temp 4. nam sunt qnidam tales obesi natura, aliquot

Obesitas naturalis. non natura, sed acquisititia consuetudine, qualitate facti sunt tales. Si quis quæret quæ est obesitas naturalis? est augmentum secundum latum, & profundum supra id, quod est secundum naturam, in quo omnia correspondeant cum naturali habitu corporis obesi. voco naturalem habitum corporis illam temperaturã corporis, & partium, qua donatum est corpus ab ipsa generatione. Et quæ erit? primum, vt mollities adsit in obeso; secundum, vt adsit albedo vniuersi corporis; nam habitus naturalis consentiens cum obesitate debet esse humidus, & frigidus; in humido, & frigido cõsequitur albedo, & mollities. addite angustiam venarum non à pinguedine, non à carne factam, sed à natura correspondentem habitui: quia habitus frigidus, & humidus habet venas paruas. addatis, quod in hoc corpore non adsint signa insignis caloris, vel ratione excrementorum, vel ratione pilorum, & cæterorum. nam pili pauci subflaui, & molles requiruntur. si duri,

Obesitas nõ naturalis. nigri, crispati fuerint pili, ista non est obesitas naturalis. Obesitas non naturalis est, quæ non consequitur ad habitum naturalem, sed ad habitum per consuetudinem acquisitum: cognoscimus hanc obesitatem: quia non correspondent omnia obesitati: habitus naturalis non respondet, & ita in obeso non naturali adest plenitudo, & vastitas corporis; sed color erit ruber, vel niger, durities callosa, latitudo insignis venarum, quamuis non pateat ad sensum: tamen si liget Medicus brachium, videbit ad sensum venas latissimas, & amplissimas; igitur in his & color, & mollities, & angustia venarum non reperitur, præterea excrementa nimis rubicunda sunt, hirsuti sunt, & pilosi. Hanc non possum dicere obesitatem præternaturalem, commotus authoritate antiquorum millies citata à Gal. quod consuetudo est altera natura: quia per consuetu-

dinem obesitas hæc facta est, non à primordio generationis. Alia differentia est constituens duas alias species obesitatis, quæ sumitur à morbosa, & salubri natura: & ita morbosam habemus, & salubrem obesitatem. Morbosam vocamus, quæ peruenit ad extremum magnitudinis, ita vt lædat actiones, vti habemus apud Rhasim 14. contin. & Galen. 2. de temp. 4. apud Auicenn. 7. fen 4. libri tract. 4 capit. 5. Apud Hippoc. in lib. de aere, aquis, & locis circa finem: ad extremam crassitiem solent isti morbosi affectus contingere. & primum, quo ad generationem, qui præter modum crassi sunt, solent esse inepti ad Venerem, neque illam solent affectare, & non percipiunt magnam voluptatem in coitu. solent tamen aliquando luxuriosi esse, & gignere plures masculos, & fœminas. Nocumentum autem, quod fœminis valde præpinguibus accidere solet numeratur ab Hippoc. vbi ait non solere concipere mulieres præter modum obesas: quia conculcatur os vteri ab omento, & non recipiunt semen; & si concipiunt, non retinent ob mollitiem. & si concipiunt forte, patiuntur abortum: & si pariunt, imbecillis erit fœtus. Non sunt salaces; non sentiunt delectationem coitus: ideo aduertant Medici circa fœtus pinguium: quia laxi sunt, & imbecilles, & cito corrumpuntur. Addatis, quod in hac morbosa pinguedine sequitur anhelitus difficultas. addite cordis tremorem, & palpitationem: solet diarrhœa fæcum, vel alterius materiæ succedere. patiuntur etiam sæpe dysenteriam ex Galen. 2. de temp. 4. isti non possunt tolerare famem, nec sitim: quoniam cum habeant venas angustiores, si ieiunio infestantur, deficiente sanguine pauco, quem habent, deficiunt vires. Hoc confirmatur ab Hippoc. Rhasi & Auic. locis dictis. Appetunt imbecilliter cibaria: quia humiditate nimia abundant, & (ex lib. de salubri dieta) scatent plurima pituita: & ideo semper languet appetitus; quamuis labantur vires ob ieiunium. Adiungitur etiam hebetudo sensus: ego vidi, quod corium in vno ex his erat ita incrassatum, vt sensum amiserit ratione nimiæ impactionis neruorum: ineptiam habent ad motum. & per hanc ineptiam non solum intelligo motum diminutum: sed quia sunt multi motus, quos perficere non possunt. primo quoniam non possunt extendere brachia ad posteriora, vt obscænas partes mundent: pariter optime non possunt fricare caput, nec attollere fœmur, & ponere pedem supra genu, & in motu infinita alia incommoda patiuntur. præterea imbecillitas est omnium actionum, quæ etiam in sanis obesis reperitur. Est autem sana obesitas, quæ est coniuncta cum sanitate corporis ex Galen. primo de san. tuend. 5. vbi dicit obesos, & valde obesos sanos esse, non tamen sibi placere eorum habitum. sunt sani: quia obeunt ciuilia munia, commode equitant, currunt, iter faciunt & cæteras actiones administrant, gignunt, dormiunt, vigilant, student, & omnia alia agunt, quæ homo ciuilis agere debet. Et quamuis huiusmodi crassities non lædat actiones, tamen non est vtilis in senibus, sed periculosa; indecoca est iuuentuti, & indecens ex 2. aph. 54. ideo est abigenda, & omni studio, diligentia, ac ope Medica extirpanda.

Sed hoc non est satis: oportet scire quomodo fiat hæc obesitas: Fit dupliciter, vel superabundante pinguedine, vel carne. si superabundat pinguedo, crassities, vel παχύτης dicitur, si caro, πολυσαρκία vocatur. Quomodo abundat pinguedo? ex Galeno in omni generatione sanguinis semper gignitur multa copia pinguis tenuis & leuis materiæ, quæ oleosa est, ista in corporibus calidis & siccis solet esse pabulum calidi innati, & ita non apparet, sed in habitum conuertitur, & exhalat. Huiusmodi oleum in omnibus animalibus generatur, in habitibus frigidioribus, & humidioribus. cum calor ille sit moderatus, ex isto oleo quid fit? transfunditur à venis ad extra venas, quia cum tenuis sit, penetrat, & extruditur extra venas. & cum quicquid est extra venas, vel sit pars frigida & sicca membranosa, ossea & cartilaginosa, vel sit pars carnosa calida, & humida. si hoc oleum accedit ad primam partem, fit pinguedo, & sic sunt corpora pinguia, non obesa. si accedit ad carnosas partes, quæ si sint calidæ in halitum vertunt illud oleum. sed si caro vel ratione otii, vel alia ratione deses facta est, & imbecillis redditus sit eius calor, tunc augentur carnes, & corpus non solum pingue, sed obesum dicitur. At ratione carnis fit hoc modo, quia partes carnosæ sunt robustæ, & attrahunt maximam quantitatem sanguinis, vel quia vasa angusta transfundunt maximam copiam sanguinis, qui fit caro, & augentur musculi, & crescit corpus per incrementum carnis. Hic est geminus modus, cui addamus tertium, quando ex vtroq; fit crassum corpus nostrum: plurimi fiunt obesi ratione pinguedinis: rari, carnis ratione: frequentissimi, ratione vtriusque.

Morbosa obesitas.
Obesi inepti ad Venerem.
Ar. & Auer. primo de gene. an 18.
5. aph. 46.
Morbi pinguium.
Obesitas sana.
Quomodo fiat obesitas.
2. de temp. 4.
Auctio in carne.

De Caussis, signis & præsagiis obesitatis. CAP. IV.

Causæ. Aer frig. & hum. 3 simpl. 20. Quies. Motus temperatus. Frictiones. Vnctiones. Balnea. Copia ciborum. Vinum dulce. Causa interna robur carnosi generis. Venarum angustia.

QVid esset corporis crassities, vti fieret, & eius species quot sint, diximus: nunc videamus causas, deinde signa, tertio præsagium, & tandem veniamus ad curationem. Causas omnes distinguunt in duo capita, in internas & externas. in primo loco externarum sunt aer frigidus & humidus ex Galen. vnde apud Scythas, in quibus vigent frigora, reperiuntur obesa præter modum corpora. Quies etiam obesa reddit corpora: quia refrigerat calorem, & non absumitur alimentum. addatis motum temperatum, quia tantus sit, quantus satis sit ad eliquationem materiæ. fricationes, inunctiones replentes, & balnea sunt etiam causæ obesitatis. præterea est somnus longus, quoniam in eo non fit digestio & excussio materiæ. verum omnia superantur à copia ciborum multum, & cito alentium. primum inter hæc locum habent vina crassa, dulcia, & parum differentia à sanguine. vnde habemus vinum maritimum ibidragum vocatum, quod ex Illyria affertur. Inter causas internas connumeratur primum, robur carnosi generis, ita vt maximam copiam sanguinis attrahat: & ideo multum crescat: sanguinis etiam nimia copia soler esse causa obesitatis: sicuti etiam maxima copia oleosæ materiæ est altera causa materialis obesitatis. Venarum angustia, quoniam cum non multa congeries sanguinis in venis fieri possit, necesse est extrudi extra venas. potissimum est habitus frigidus & humidus, quoniam in eo oleosa materia, & sanguis abundat, & non resoluuntur humiditates: sed oportet, vt frigiditas non sit intensa.

Signa naturalis obesit. Signa non naturalis obesitatis. Ex pinguedine. Ex carne. Signa morbosæ obesitatis. Signa salub. obe.

Signa obesitatis non sunt tradenda, quia patent ad sensum. sed signis cognoscuntur species obesitatum: nam vna naturalis, altera non: vna morbosa, altera salubris est. color albus, mollities cutis, pilorum defectus, venarum angustia indicant crassitiem naturalem. si color subruber, vel niger, cutis dura. pilorum abundantia, venarum apertio, tunc erit non naturalis. Cognoscitur etiam obesum corpus ob pinguedinem: quia albedo est nimis candida, laxitas vniuersi corporis cum flacciditate partium, frigiditas ad tactum, quæ est pinguedo Carnisprivii: ita enim illud depingunt. Obesitatem vero ex carne adauctam cognoscimus primum ex soliditate molli corporis, indicatur ex colore albo cum rubore admixto, caliditate ad tactum insigni, verum leni, non mordicante. adest robur maximum virium in omnibus actionibus. si arripiant hominem supra thoracem, & constringant, suffocabunt, & dimouebunt, veluti si palea esset. Si vero sit crassities morbosa, cognoscitur à symptomatibus: si salubris, cognoscitur, quia non adest impedimentum.

Præsagia. 2. de temp. 12. Instantia. Solutio. Primo de dig. ex pul. 8.

Præsagia, quæ possunt in pinguedine proferri, hæc sunt, vt sit semper suspectus habitus crassus & obesus. ratio est ex Gal. quoniam facile patiuntur ab internis causis, aut salubris, aut insalubris sit obesitas: patiuntur enim ab obstructionibus, à feruoribus, &c. præterea, qui obesi sunt, etiam si salubres sint, facile moriuntur 2. aph. 44. Instant Arabes, & dicunt, quod per se non subiiciuntur obesi huiusmodi periculo: quoniam vita consistit in humido, ergo obesi diutius viuere debent: quia habent multam materiam pro alimento caloris. Verum si obseruemus quæ consequuntur, cum nimia fuerit crassities, facile calor suffocatur. præterea cum subiiciantur occasionibus internis, facile suffocantur, & alteratur calor in ipsis. huius rei reddit rationem Galen. in com. illius aph. & dicit, quod breuis vita pinguium, quia deest sanguis copiosus, in quo sustentatur calor: eo quod venæ sunt angustæ, & est ratio contraria Arabibus. præterea (dicit) non multus est spirituosus calor: quia arteriæ primum natura angustæ sunt, deinde ab abundantia carnis, & pinguedinis coarctantur ex Galen. & ita non possunt copiosum calorem ad corpus deferre: si nobis tractandum est obesum corpus, potest ne sanitati restitui? si non est confirmata obesitas difficile sanantur: si diuturna difficilius: si est naturalis, & diuturna, multo difficilius, tamen omnis obesitas vinci potest.

De Indicationibus curatiuis. CAP. V.

QVomodo autem obesitas ista superabitur? Nos dicebamus, quod causa obesitatis est habitus frigidus & humidus: humidus præcipue cum moderata caliditate & frigiditate, qui aut sit acquisititius, aut naturalis. si hoc est, necessarium est, vt nos in superanda obesitate habeamus scopũ mutandi huiusmodi habitum. in obeso corpore abundat humida materia, necessarium est conuertere in siccitatem, & caliditatem: oportet ergo, vt nos immutemus istum habitum; & sic obesitas exiccabitur ex Galen. sed assequemur hũc scopum duobus modis, primò discussa omni humiditate, quæ iam congesta, & compacta est: non possumus facere hoc, nisi pinguedinem, & carnem eliquemus, & post discutiamus.

24 meth. 12.

mus. secundum agendum est, vt nos impediamus nouæ humiditatis generationem, & additionem. Hoc autem fiet vel subministrato minimo alimento, vel vt mali succi sit alimentum, non respondentis pinguedini, ita vt partes potius fugiant, quam attrahant; vel alimentum sit paucum, vt non possit pertransire ad loca reficienda; aut quod viscera sint præter naturam affecta, vt bonum non restituant alimentum: vel obstructa sint.

Quibus autem instrumentis hæc assequemur? sicut res non naturales possunt replere corpus, ita etiam euacuare ex Galen. & Hippoc. sicut aer frigidus & humidus replet, ita calidus & siccus exiccat eliquando carnes, & absumendo. in hoc casu æger sub Sole sit, & si potest esse nudus, eo melius, quoniam si sit in aere calido & sicco, & sub sole: maxime siccatur corpus. si sit in loco frigido, & corpus sit nudum, frigiditas repellit calorem, & facit bonam concoctionem, & impedit transfusionem materiæ à venis ad extra venas. Nos habemus præceptum Orib. apud Rhasim 14. contin. vt non solum sint sub sole, sed obruantur arena, & cineribus. & ego expertus sum, & experimentum optimum est, dummodo sit obesitas naturalis, & non adsit corium durum. pariter si lutemus cretaceo luto, vel luto montis Ortonis facit ad summam maciem, non solum in particulis, sed in vniuerso. accipimus enim lutum, & dissoluimus aqua thermali, vel chalybeata, & vngimus corpus, & exponimus soli. solemus autē obruere arena, vel luto corpora, ne obducantur crusta, corrumpantur, exiccentur, arescant, & vlcera oriantur, atque rimæ contrahantur.

Aer. *5. de tuend. san 2* *Ex lib de salu. diæta 13. Aer.*

Adiungitur motus, & quies: quoniam quies aliquando, quæ labefactat virtutes partiũ, solet extenuare partes: quamuis motus moderatus impinguat, tamen inter causas potissimas gracilitatis motus connumeratur: sed debet esse motus vehemens, acutus, inducens ad laborem, & laxitudinem, atque sudorem. Exercitationes sunt luctatio, equitatio, lusus pilæ vel paruæ, vel follis magni, fossio agrorum, lusus ferræ, & dimicatoria exercitatio: sed inter omnes Galen. numerat cursum vehementem. Ex quo colligo, quod inter omnes exercitationes nulla potior est cursu: non quia difficilior, & maiorem sudorem faciat: sed quia obesi hãc exercitationem facere possunt. Dimicatio periculosa est, ne defodiantur oculi; non possunt equo vehi, ne rumpatur dorsum equi: non ludere pila, ne cadendo nasum comminuant: nullus est, qui currere non possit, quamuis cursus non sint ita validi. Sed in hoc cursu hæc obseruanda sunt. primo, vt fiat ieiuno stomacho, ne repleantur artus; secundo, vt statim post cursum non comedat; sed sinat, vt refrigeretur corpus: postea accedat ad balneum, & demum cibetur. tertio, vt præparetur corpus ad cursum; præparabat Galen. frictionibus linteorum duorum, donec rubesceret corium, deinde oleo resolutorio vngebat, quod describitur ibi à Galeno & 14. method. 5. & constat ex oleo veteri cocto cum althea, aristoloch. opop. &c. quod in officinis resolutorium vocatur. sed si non adest: omnia olea acopa bona sunt, vt ol. lil. alb. simp. & comp. cum arom. ol. irinum, ol. de spica cum arom. quæ resoluentia sunt. sed vnum nota te, quod cum dixerim: præceptum esse necessarium, vt isti post cursum quiescant, contrarium proponitur ab authore libr. de salub. dieta, qui dicit, vt statim anhelosi sumant cibum. dicit Galenus in com. ideo authorem dicere hoc, vt celerrime repleantur corpora. Hoc autem facit ad extenuationem: quia non nutriunt: quoniam dum attrahuntur cibaria violenter, inconcocta, & cruda sunt: & ideo non facile fluunt, nec possunt reficere corpora. Præterea faciunt obstructiones in visceribus, nisi istæ sint causæ, ex Galeno possumus colligere, quod sibi non placet: quoniam morbosum corpus efficeretur. igitur quiescant post exercitium ex Gal.

Motus, & quies. *5. & 6. de tuenda san. c 2. & 8. 15. meth. 15.* *Cursus.* *14. meth. 15. prope finem. Ol. resolutoriũ.*

Somnus, & vigilia impinguant corpora, si moderata fuerit vigilia. ideo contrarium est instituendum. plurimum vigilandum est. studeant obesi, & vigilent, vt fiant graciles, sed, si quis studeat, & postea dormiat, vel fuerit in otio, non fiet gracilis. parum dormiat super lectum durum, non in pluma, nec in strato molli; quoniam dura cubatio semper contundit partes, & impedit appositionem alimenti; ideo dormiat supra tabulam, vt maceretur. Addatis excrementa corporis, facite, & fæces, & lotia excernantur, & subducantur. & ita clysteres acres quotidie imponendos curate; quoniam necessarium est ex Auic. vt distributio alimenti impediatur. postquam ergo concoctus cibus est in ventriculo, statim facite, vt fæces excernantur, & bonæ sunt aliquot pillulæ ad hoc. & ego ex aloe familiares habeo, & mando, vt quotidie vnam sumant ante cibum: sed hæ non sunt bonæ pro senibus, vt Addatis & animi passiones, quæ maximi sunt momenti. Monēt Arabes, vt semper maledicamus illis, nuntia mortuorum amicorum, atque parentum afferenda, obiurgandi sunt, culpandi, iniuriis onerandi; quamuis ego viderim homines continuo liuore vexatos, & perturbatos, impinguari. ideo obesi negotientur.

Somnus & vigilia. *Excrementa.* *Animi passiones.*

Venus. Veneris ratio habenda est, nullus est habitus, in quo tantum venus prosit, quantum in obesis. vtinam tantum possent, quantum opus est: sed non sunt salaces, ineptissimi al-gent. Victus ratio tenuis, & attenuans habenda est, per tenuem intelligimus victum exhibentem paucum alimentum. paucum alimentum potest haberi à victu vel pauco existente in quantitate, vel magno in quantitate, quod parum alat. & ideo comedant semel in die. sed parum comedant dicit Gal. in lib. de salub. dieta. Vnica illa vice, si demus carnes bonas, vel panem, demus quam minimum. sed si famelici sunt? Ego habui obesos, qui omnia subibant, vt extenuarentur. at in vno prandio comedebant tantum, quantum comedunt quinque homines. ad minus enim duos capos deuorabant. Ego vidi lachrymas exudantes præ fame ab oculis eorum. Galen. monet nos, vt exhibeamus panem furfuraceum: nam si multum comedunt, multum cacabunt. Mandant oleta quantum voluerint, vt est lactuca, spinachia, &c. præterea fercula exhibemus ex oryza, ex milio, & si possent comedere panem ex sorgo, extenuarentur spatio quindecim dietum. Inter carnes, nulla potest exhiberi: quia omnes alunt. bibant aquam. Dices tu, vis siccare, & aqua humectat, & refrigerat. exhibete aquam cum aceto. & ego vidi ex vsu solo oxycrati, vel aquæ chalybeatæ sanatos. Victus attenuans est, quod parum nutrit, sed attenuat. & primum locum tenent in hoc caro, & pisces salita. Præterea caseus antiquissimus salitus. Olera omnia acria, vt allia, scalongiæ, cæpæ, & bibant aquam, si voluerint, & habeant hæc omnia cruda, vel cocta. comedant radices raphanorum, erucas: & possumus eoquere admixto aceto. Et quamuis Rhases dubitet de aceto: quoniam discutit valde: ego tamen dico, quod discutit exiccando. Ego vidi potantes quotidie spatio 40. dierum cyathum, sex, aut octo vnciarum emaciatos. aliquot reperi, qui coquebant acetum cũ semin. fœnic. vel anisi, vel petrosel. asparagi amari ex montibus cibum præstant ad hoc cõmodum. Item caules tenues, & stolones ex rusco, ex bonifacia herba: & omnia cibaria calida & sicca præstantissima sunt. vnde vsus cinn. caryoph. piperis, & omnium aromatum præstantissimus est. Potus sit aqua, vel vinum acerrimum, & calidissimum in parua quantitate, vel posca. multum vinum replet corpus. possumus ne istos alia ratione extenuare? Per medicamenta, de quibus agere iam tempus oportunum est.

Imprimis autem duo medicamenta notanda sunt. primum est propositum à scriptoribus euacuans, vt sunt, quæ euacuant per sudorem, vel per lotium, omnia generaa piorum bona sunt, asparagi amari: quæ leniunt aluum, sunt præstantissima, & ideo pillulatum continuus vsus præstans est. sed quis dicet euacuatio per sectam venam conuenit? nullus de hoc mentionem facit: quia in his, vt plurimum, non abundat sanguis, cum habeant venas angustas. sed Galen. dicebat, quod copiosus missus sanguis in obesis, periculosus est, quia isti facile patiuntur. si paucũ sanguinem mittimus, nihil est. si multum, non perferent vires. ideo tantũ purgantibus mediocribus est lenienda aluus. At medicamenta alterantia quæ sunt? quæ habent vim siccandi & digerendi. vt est ruta. & quamuis Galenus laudet syluestrem, tamen hortensis præstantissima est: ego laudo, vt isti comedant rutam, fiant decocta, & electuaria ex ruta. addite aristoloch. rotund. addite centaur. minus, cui parum fido, quia lotia sanguinea prouocat. addatis gentianam, polium montanum. sal viperinum, quia est præstantissimum pro morbo articulari. Trocisci viperini præstantissimi sunt. Meminit cuiusdam compositionis Gal. in lib. de Antid. Theriaca præstantissima est. sed Arabes addunt laccam, & suam sandaracam matutina hora. addunt composita hæc, veluti acetum squilliticum, non dico oxymel squilliticum, quod perferre non potest stomachus: nam acetum statim petit fundum, & nõ facit conuulsiones, & actiones molestas in ventriculo. at oxymel id facit ratione mellis, quod supernatat, & manet in ore ventriculi. ideo cochlear accipiant aceti squillitici, procul dubio extenuabuntur. Ego macero eam cum vj.℥. aquæ marinæ matutina hora assumptis: aliquando trocíscis vsus sum de lacca, de rhabarb. de absynth. & confectio anacardina habet principatum, quam matutina hora capiat in pauca quantitate.

De Gracilitate. Cap. VI.

SEquitur dispositio quædam superiori penitus contraria, quæ variis vocibus nuncupata est. nam Gal. tribus vocibus vocare solet. λεπτότης enim, hoc est tenuitas, appellatur. ἰσχνότης, hoc est gracilitas. ἀτροφία, id est, attenuatio, quamuis etiã attenuatio significet motũ, per quẽ introducitur gracilitas. Nostri vocant gracilitatẽ maciem; vnde gracilia & emaciata corpora vocantur: dicitur quoniam tenuitas: in libris Arabum, & recentiorum extenuatio vocatur, in qua affectione videamus quid sit, quomodo fiat, quot species habeat, deinde quot sint causæ, signa, & quid præsagiendum?

Sicut

Marginal notes: Venus. — Victus ratio. — Victus tenuis. — 1. de tuen. san. — Carnes. — Aqua. — Victus attenuans quid. — Caro & pisces salita. — Caseus. — Acetum. — Potum. — Sudorem mouentia. — Lenientia. — Sectio venæ. — 1. ad Glau. 15. — Alterantia. — 6. epid. com. 1 com. tex. 29. — Propositum & ordo.

Sicut ergo tripliciter excedit quantitas, ita etiam huiusmodi gracilitas, & attenuatio [*Differentia.*] trium generum est: quando corpus attenuatur, ita, vt sit breuius, & tenuius, quam conueniat secundum latum, & profundum: & sunt pusilla corpora, vt pygmeorum. aliquando deficit quantitas in longitudine tantum, & ista dicitur breuitas: aliquando solet diminui secundũ latum, & profundũ, & tunc est macies, gracilitas appellata. ex his colligimus definitionem, [*Quid macies.*] & dicimus cum Gal. quod macies est totius corporis molis ablatio secundum [*In lib. de tu. cap. 1. 6 epid. cõ. 3. cõ. tex. 29.*] latum, & profundum infra id, quod est secundum naturam. nam quoties tumor naturalis, prominentia partium secundum latum, & profundum est ablata in vniuerso corpore, dicitur macies: nam, si est vnius partis, potius dicitur extenuatio: & est affectio, quæ non est præter naturam, sed infra id, quod est secundum naturam. nam recedunt partes ab habitu naturali tripliciter, aut præter naturam, quando laborant morbo: aut supra naturã, quãdo laborant obesitate: aut infra naturam, quando laborant macie.

Sed macies duplex est, vna est, quæ est morbus, & consequitur ad tabem, alia est non [*Species.*] morbosa, in qua actiones oportunæ sunt, & hæc infra naturam dicitur. Huiusmodi cognosci oportet species, quæ oriuntur ratione trium differentiarum, ita vt sex sint species: vna est naturalis, altera non naturalis, & idem dicimus per contrarium, quod diximus de obesitate. Naturalis macies, est quando habitus consentit cum gracilitate, & hic habitus [*Naturalis macies.*] duplex est, aut frigidus, & siccus, aut calidus, & siccus. non naturalis est, quando [*Non naturalis.*] nos videmus, quod non respondet habitus naturalis viscerum cum gracilitate: vt quum habitus est frigidus, & humidus, vel calidus & humidus, & gracilitatem habet. Aliæ species sunt, vt nos cognoscamus morbosam, & salubrem maciem: morbosa est coniuncta [*Morbosa.*] cum morbo, cum tabe, vt aridi facti sint, hirsuti ægri, & consistere non possint. Salubris est, [*Salubris.*] quando ciuilia munia perficere omnia possunt corpora. alia species est, quando macies est confirmata, in qua non solum carnes, & partes pingues conficiuntur, sed etiam cutis est emaciata, [*Confirmata.*] & contracta, & siccata. contra autem quum videmus attenuatam pinguedinem, & carnes, & laxam, & flaccidam, & mollem cutim, tunc non est confirmata macies. Hæc colliguntur ex Gal. in loco dicto epid.

Modus autem, quo fit macies, triplex est, aut per eliquationem tantum pinguedinis; [*Quomodo fiat macies.*] vel per pharmacum; vel per laborem insignem. alter modus est, quando non solum pinguedo, sed etiam caro absumitur, & hoc prouenit à validiori causa; tertius modus est, quando non solum pinguedo, non solum caro, sed etiam humiditates, quæ sunt in corio, & partibus spermaticis, consumuntur. & hæc est potissima & consummata macies.

Causæ maciei distinguuntur in internas, & externas. externæ sunt omnes causæ, [*Causa externa.*] quas laudabam pro cohibenda obesitate. nam primo ipse Hippocr. in libr. de aere, aquis, & locis. Galen. 5. de sanit. tuend. 2. proponunt aerem calidum extenuare corpora; vnde [*Aer.*] incolentes loca calida graciles sunt. aer etiam fit arte calidus. Vnde mora sub sole, nudatio corporum, consistentia sub arena, vel puluere, exercitatio immoderata, lotiones in aquis thermalibus, frictiones validæ, natationes in mari, cursus, saltus, lusus pilæ, vigiliæ, omnia hæc extenuant. adest etiam diarrhœa, qua colliquantur carnes & pinguedo. quoties ergo fluxus ventris adest, adest extenuatio, euacuatio etiam per lotium insignis facit macilentos. Vnde diabetici maciem habent. addatis animi passiones. Veneris vsus pessimus est. Verum ratio alimenti primas tenet. & est alimentum extenuans tenue vel [*Victus ratio.*] potentia vel actu, tenuem actu voco, qui in pauca quantitate subministratur; qui vult non esse macilentus, non parum comedat. similiter victus potentia tenuis hoc est parum alens, idem facit. Verum etiam alimentum attenuans idem præstat, vt allia, cæpe, cinnamomum, & aromata. sed addatis medicamenta: mille obesi facti sunt tenues post pharmaca exhibita soluentia, Antidota diuturna, & purgantia. Ex quo Galenus [*14. Meth. 15.*] dicit, quod aliqui ex continuo vsu theriacalium salium mortui sunt, adeo extenuati sunt.

Internæ autem causæ sunt istæ. prima est sanguinis defectus; quia non tantum oleum [*Causa interna.*] est in sanguine, nec tantus sanguis defertur ad musculos, vt caro gigni possit; ideo necessario fit macies. non est autem tantus sanguis, vel quia vitiosus non possit distribui, vel quia nimis paucus sit in venis. Quomodo vitiosus? Hoc vitium exponit Auicennas. quod est duplex vel in substantia, vt si sit nimis crassus, vt non possit egredi è venis, vel per qualitatem, quando biliosus amarus effectus abhorretur à partibus, & non attrahitur. alia est causa interna, quam proponit Galenus & est facultatum ipsarum imbecillitas. [*6. de tuend. sa. 3. & com. prædicto.*] explicat duobus modis, primo quando dicit; non fit bona distributio, secundo, quando non fit in partibus concoctio bona. quid sibi vult? hoc est quod facultas attractrix par-

tium carnosarum non est adeo valida, vt attrahat sanguinem, vel quoties concoctrix mala erit. quia quando non bene concoquunt, non bene immutant, succedit macies. Rhases, & Auic. dicunt, quod quoties expultrix peccat, ita vt citius expellat sanguinem, vel quoties attractrix nō tantum attrahit, fit macies. de quo etiam Gal. Addunt tertio in loco temperaturam totius corporis. nam duæ temperaturæ necessario faciunt maciem, vna est calida, & sicca. potissima autem est illa, quæ est intemperies frigida & sicca. In his autem duobus debemus nos hoc obseruare, quod possunt esse naturales, & acquisititiæ tēperaturæ, & vtræque faciunt ad gracilitatem. Rhases & Hipp. in lib. de aere, aquis, & locis capite tertio notat, quod magnitudo, scirrhus, & crassitudo lienis emaciant corpus, & hoc experimento cognitum est. reddit rationes plurimas Auic. reddit vnam Hipp. & dicit, quod lien crescens absoluit, veluti spongia, omnem sanguinem, vel bonum, vel malum. addit Auic. primo, quod lien cum inculcet hepar ob magnitudinem, refrigeret eum, & fiat mala concoctio sanguinis secundo, quia facit obstructiones in hepate, & est causa, vt non fiat distributio. additur aliud ab Auic. 3. canon. vbi loquitur de fame; quod, qui laborant vermibus in ventriculo, & intestinis, macie afficiūtur: & hoc patet in puerulis: etenim turgidulos vidimus infantes sensim emaciari. matres solertes ponunt os ori, & sentiunt prauum odorē, & cognoscunt. Neq; solum vermes concrescentes in ventriculo, sed etiam in renibus, vel alia parte, emaciāt. Nephriticæ affectiones causæ sunt maciei: addunt resolutionē nimiam ob calorem, sed hæc refertur ad alias causas.

[3 de caus. symp. c. 2.] [6. de san. tu. 8.] [Lien magnus causa maciei.] [Vermes.]

Cognoscitur autem naturalis macies, quū venæ sunt latæ, corpus pilosum, color subniger. nō naturalis, quum color albus, venæ angustæ, & corpus molle & glabrum est. Maciem morbosam indicat morbus præsens: maciem salubrem indicant actiones præstantes, de qua loquitur Hipp. in aph. & dicit, quod diuturniorem vitam producit, quam obesitas; quia non adest occasio suffocationis caloris. ista autem macies, ex Galen. est, quæ facile patitur ab externis, vt ambiente calido, & frigido: sed obesi magis patiūtur ab internis. Macies non confirmata, cognoscitur, quoties cutis est laxa, & potest diduci à subiectis partib; contra quando nos videmus, quod cutis dura, contracta non potest diuelli à subiectis partibus, erit confirmata, & ideo duobus, vel tribus verbis Hipp. explicabat has species in illo tex. 29. 3. sect. 6. epid. quando dicit in macie primū laxatur cutis, deinde contrahitur. quando macies fit, vel est facta, non confirmata, tunc cutis est laxa. tunc est confirmata, quum corium siccatur, vt si ex vtre educamus vinum, aut oleum, & etiam aridum, & solidum reddamus.

[Signa. Naturalis. Non naturalis. Morbosa. Salubris. Non confirmata. Confirmata.]

Quando habemus istas macies, quid est sperandum? non naturalis, & non confirmata facile restitui potest, dummodo non adsit morbi impedimentum. Et ideo optime videaris cutim maciatorum, habitum, & præterita, & præsentia signa inuestigetis. secundo macies naturalis non confirmata difficilis est curationis; naturalis confirmata difficilior est. macies morbosa sequens marcorem, & tabem, insanabilis est, nisi per miraculum.

[Præsagium.]

De Maciei curatione. CAP. VII.

Qvomodo ergo erit replendum corpus? non est dubium: tota ratio cōsistit in his tribus capitibus, vt nos paremus bonam concoctionem, bonam distributionem, & apta materia subministretur in qualitate & quantitate. Hoc fiet duobus præsidiis, ratione victus, & reliquis rebus non naturalibus, atq; pharmacis. de rebus non naturalibus mutate omnia, q̄ diximus in curatione obesitatis. Eligite aerem calidū, & humidum, vel frigidum, & humidum, quietem, & motum moderatum. mora in balneo moderata, præstans est, nam replet artus, non extenuat. frictiones molles rubram tantum cutim reddentes. sed etenim duo sunt frictionum genera, molle, replens, & durum, constipans. nos autem lenibus linteolis fricemus, donec rubrum fiat corpus. deinde duris linteolis breuiter fricetur cutis trib. vel 4 vicib. quia constipando non fit exhalatio. Constipanda aūt cutis post frictionem, vel per balneū calidū, vel aqua frigida, si virtus fuerit robusta. & ita necessario manet humiditas in partibus, & apponetur. si autem corpus non sit robustum, venite ad vnctiones olei viscidi, & non resolutorii, vt ol. oliuarum maturi, vel omphacini; & si rosatum fuerit, præstātius erit. ol. amig. dulc. ol. pineorum nucleorum, vel ex pistachiis præstans est; quia humectat, & adstringit. Ad hoc facit somnus multus. & ego memini, quod volentes impinguare sues, accipimus farinam loliaceā, coquimus, & damus, vt sorbeāt sues. Somnus profundus inducitur eis, & maxime pinguescūt. Vnde laudo lactucas, vel lac, seminis papaueris, vel hyoscyami. Addatis animi passiones; læta quærant, fugiant grauia. Venus fugienda, & qui volunt pingues, fieri, castrentur. Vnde Eunuchi sunt pingues, molles. solemus autem castrari,

[Aer. Motus, & quies. Balneum. Fricationes molles. Vnctiones. Somnus. Animi passiones. Venus.]

ſtrari,& mente,& gladiolo. Caſtremini mente, caſtrando appetitum veſtrum. Cibaria *Cibus.* ſunt contraria attenuationi.& primum ſunt boni ſucci,& facilis concoctionis.ſed quædā ſunt peculiaria,& primum locum tenet lac,quod quanto craſſius,tanto oportunius. Ne- *Lac.* que ſolum in prandio, & cœna, ſed matutina hora ante prandium ſex, vel quinque horis. lac vaccinum primas tenet; ſecūdas ouinum;tertias caprinum;quartas & vltimas aſininū, & humanum.& quamuis butyrum ſit oportunū, tamen lac non ſit ex animali præter modum pingui,ne fluat in ventriculo.Secundas adſcribimus ferculo facto vel ex cremore ci- *Cicerum & fabarum cremor panatella.* cerum, vel ex cremore optime cocto fabarum, vel ex medulla panis, optime & diu cocta in aqua, vel iure.& Illuſtriſſimæ iſtæ Venetæ vtuntur. ſed neceſſarium eſt, vt accipiat quam tenuiſſimam ſubſtantiam, quæ, niſi attenuetur, non impinguat; quia non habet celerē appoſitionem. vnde bulliat panatella ſpacio quinque, ſex, aut ſeptem horarum, vel etiam octo cum maxima copia aquæ: nam, ſi non ita bullit, obſtruuntur viſcera. & hanc capiunt poſt, vel ante cœnam. vos teſtes eſſe poteſtis coloris,& pulchritudinis ſanguinis illatum. ſi autem exhibeamus cremorem cicerum, aut fabarum, pinguia fiant fercula butyro. Succedit ſubſtātia amygdalarum optime cocta,& pinei nuclei cum panatella. Sed defertur quæ- *Nux Indica.* dam nux ex Indis, quæ Indica nux dicitur, quæ, ſi rancida non eſt, ſed recens, ſi pura comedatur, vel ex ea panatella conficiatur, primas tenet in incraſſando. at notate, ne rancida ſit; quia non diſtribuitur; ſed ſiccat,& attenuat. Quæ autem ſint cibaria boni ſucci, nota ſunt. ſed cibi bene,& cito diſtribuantur. In qua re ego reperio Gal. diſſentientem ab Auic. Auic. *14. Meth. 16* monet, vt nō vtamur balneo poſt cibum; nec frictione, nec motu impinguandū. Gal. vult, *Contradictio inter Auicennā & Galenum.* vt vtamur balneo: vterque tamen bene dicit. ſed potior videtur ratio Auic. quoniam ſi motus,& balneum ſequitur cibum, fit attractio crudi cibi. Gal. hoc vidit,& dicit hoc idē, quoniam ſuccedit obſtructio. ſed non ob id debemus omittere balneum; nam poſſumus ſuccurrere obſtructioni capparis floribus cum oxymelite: & ego ſum iſtius ſententiæ; quod quando volumus extenuare obeſum, debemus aduertere, quod febris ſuccedat, quę etiam attenuat,& floccifacit febrem Medicus, dummodo diligens ſit. ita non curāda obſtructio, dummodo expleamus,& cito agamus: ego potius inclino in ſententiam Gal. quam Auic. quia tarde impinguabitur corpus. ita monet Gal. vt interrogemus ſæpe ægros, an patiantur grauitatem in viſceribus.

Solebant antiqui medicamentis hoc tentare, hoc eſt attrahentibus ſanguinem ad partes, & habentibus vim calefaciendi, & humectandi: inter quæ primum locum tenent acopa,& vocātur illa acopa, quibus vtuntur Medici ad laſſitudines tollendas: noſtris tem- *Acopa.* poribus eſt oleum reſolutiuum, ol. lilior. alb. cum arom. oleum irinum, ol. de ſpica. ſecundum locum tenent dropaces,& ſunt medicamenta, quæ ponebantur cuti, vt educerent ad *Dropaces.* ſuperficiem materiam,& erat picatio, quæ fit ex pice.& tantæ erat authoritatis, vt iſtud ſolum replere poſſe corpus teſtetur Galenus & Auicennas in mille locis. Picatio fiebat hoc *Picatio.* modo. Primū radebant corpus vniuerſum ex primo. de comp. med. loc. 4. quia pix hæret corpori, & facit eruciatus, ſi pilis applicetur. Secundo capiebant picem ſiccam,& addebant oleum, vel commune, vel amygdal. dulcium, vel aliud calidum, & humidum, quo fiebat mollis pix. Hoc medicamentum ex Gal. calefacit,& humectat corpus: ſi ratione *6. de tuen. ſ. 8* picis hoc diceret, falſum eſſet: quia pix ſiccat. Hac ratione dico, quod diluebatur pix o- *14. Meth. 16* leo calefaciente,& humectante. At, ſi vos vtemini, habeatis picem veram bonam: nam in hac regione Veneta non habemus picem ſiccam bonam. habemus pro ea piſſaſphaltum,& diabolicum eſt medicamentum, facit exęſtuare nares, nimis acre, nimis ſiccans eſt. Habeatis ergo picem ſiccam delatam ex Alemannia. de pice liquida poteſtis coquere cum aqua: quia fiet ſolida,& dura: vel ſine aqua: & erit acrior, poſtea diluatis aliquo ex oleis prædictis, & habebitis medicamentum præſtantiſſimum. modus autem applicandi pi- *Modus applicandi picem.* cem hanc, talis eſſe debet. Primo corpus vniuerſum pilis exuendum. Secundo incaleſcendum, vt plenius reddatur, hoc autem fit balneo aquæ calidioris, non calidiſſimæ, vel frictione: & ſtatim pix applicanda ſubacta aliquo ex dictis oleis calefacientibus, & humectantibus, & quamuis reperiamus multos valde eliquantes picem, alios non addentes oleum, tamen curate vos, vt habeat corpus viſcidum,& tenax. quum præparata eſt, extendatur ſupra lintea, quæ poſſunt applicari. accipiuntur lintea, apponuntur ad ignem, donec liquida fiat pix, & ſtatim ponuntur in parte, dum refrigerari incipit pix: poſtea auellitur: iterum calefit, & imponitur ter, vel quater, donec valide rubeat membrum: & turgidum factum demum oleo communi, vel amygdal. dulcium inungendum eſt. talis eſt modus picationis. Hora eſt matutina, vel veſpertina: hyeme vtraque hora *Hora.* commoda eſt. at in æſtate monet Galen. vt ſemel picemus; quia actio moleſta eſt, & facit æſtuare corpus, nec poteſt ita perferre. præterea quandoque quotidie; alternis quan-

doq; diebus, aliquando quarto quoq; die picamus ex 14. meth. 16. & de offic. med. cōmentario 3. com. text. 32. pro necessitate, & conditione affectus, si magnus, vel paruus fuerit, & pro corporis temperatura. postea veniamus ad munditiem cutis, quoniam pix colorē deturpat: vnde aliqui nimis pulchritudini studentes hoc medicamentum ferre non possunt. fiunt enim nigerrimi, & nec oleo, nec sapone purgantur. vnde opus est vti medicamentis dicendis pro detersione.

Dropaces. Si non possunt perferre picationem, venimus ad dropaces, cuiusmodi est nitrum, sulphur, pyrethrum, piper, thapsia, euphorbium, quæ habent vim attrahendi ex alto, quæ dissoluta cum humectante medicamēto, conseruant humiditatem. vnde thapsiam melle miscemus, & illinimus vniuersum corpus. sed vtimini in pauca quantitate, vt rubrum fiat corium, non inducat vesicas, euacuet materiam, & non impinguet. & ideo notate bene. Solemus etiam vti huiusmodi medicamentis cum cerato aliquo, veluti cum humido cerato facto ex cera, & oleo puro. vel cerato ex ol. amygd. dulc. & hoc cum cerato vtimur, quando diu debet consistere medicamentum; cum melle, quando volumus, vt interius penetret: cum oleo, quando breui debet consistere. Solemus aliquando sinapi cum caricis mixto vti. finis autem horum medicamentorum est, quum corium rubrum redditum est. quo facto, statim abluamus huiusmodi medicamenta. si erunt cum oleo, vel cerato, non tentate detersionem cum aqua, si mixta cum melle aqua tepida detergatis. Facta detersione, inungatis oleo dulci, vel amygd. dulcium.

Ablutio medicamentorum.

Elect. proprium. Solemus etiam propositis medicamentis ab Arabibus vti, ego autem vsus sum hoc electo. Accipio amygd. dulcium, nucleorum pineorum, pistachiorum mundatorum, semin. sesami, auellan. mundatarū ana vnc. i. pulueris tereb. sicciosis (quæ defertur ex Cypro cocta in aqua, & si nō est, ego coquo, vt docet Aetius pro trociscis cyphi) vnc. med. carnis nucis Indicæ, vnc. ij. sarcocollæ drach. iij. sem. papau. albi vnc. i. & med. sacchari q. s. teruntur, terenda, & formatur electuarium dissoluto sacchato communi aqua. hoc assumitur quātitate trium, aut quatuor cochlearium matutina hora: & si superdormitur, optimū est. Medicamentum hoc ratione simplicium magnam vim habet, & experimento confirmatum est. Hæc sint satis pro impinguando corpore vniuerso. si autem talem suscipimus curationē est sæpe, quando post tabem macies succedit. Macies. n. naturalis potius affectatur pro agilitate: nisi sint mulierculæ, quæ cupiunt obesæ, & turgidulæ videri. ideo potius non solemus partes tractare, vt omnes in vnum conspirantes corpus efficiant pulchrum, atque decorum.

De Diminutione vel paruitate alicuius membri restauranda.

CAP. VIII.

Epilogus dictorum. TRactantes de repletione vel temperamēto vniuersi corporis dicebamus, quod aut secundum naturam aut non secundum naturam emaciatū, dummodo macies morbosa ac confirmata non sit, quæ agenda sint circa victus rationem & in corrigendis rebus non naturalibus. addebam præterea duplex esse instrumentum, quo eam superare possimus, primum erat victus ratio ac rerum non naturalium, alterum vero medicamenta ipsa, quæ partim per os assumpta, partim vero corpori applicata; & horum quædā lenia esse diximus, vt olea illa de quibus mentionem feci, quædam valida, vt quæ acopa medicamenta vocātur; mediocria vero alia, inter quæ erat picatio, quæ quomodo fieret instituteram dicere, dixique primum ante picationem admouendam corpus ipsum præparari debere, deinde ipsi applicandam picem hanc præparatam oleo, vt dictum est; & addebam corpus præparandum esse vt incalesceret ac turgeret ipsa frictione vel balneo aquæ neque tepidissimæ neque calidissimæ, sed calidæ tantum, corpore vero tumefacto statim accipiatur pix, quæ sit recte præparata, id autem fiet, si picem siccā habueritis vel ex Germania vel à vobismetipsis in aliquo vase cum aqua vel sine etiam assabitis donec durescat, quæ postmodum aliquantulum eliquetur cum oleo aliquo calido ac humido, vt vel communi ol. vel altero ex amygd. dulc. Pissasphaltumq; non conuenire dixi, quoniam nimis exiccat ac valde calefacit, modumque ipsius picis corpori applicandæ tradidi, & in applicatione quæ & quot seruanda sint, ostendi: & terminum etiam eius cum hyemis tum etiam æstatis tempore pro ratione roboris corporis & necessitatis, & denique si voluerit æger picationem admittere, cum admodum molesta sit atque maxime deturpet, ad quæ alia medicamenta sit ascendendum, & cum quibus misceri debeant formulam tradendo satis laudatā ab autoribus.

Sed quoniam raro fit, vt qui secundum corpus vniuersum extenuatus sit, nisi morbosa sit macies, hanc tam diuturnam curationem subeat, cum præcipue ipsi videantur agiliores &

res & aptiores ad obeundas actiones, quam qui pleni sunt, cum plenitudo potius ad pulchritudinem, quam ad robur faciat. Frequenter autem solet in vsu venire, vt brachium vel manus siue alia aliqua pars corporis extenuata sit, cuius repletionem desiderant; ideo de hac particulari alicuius membri plenitudine nunc tractemus; hęc autem vocatur diminutio vel paruitas illius membri, in quo existit. ac duplex est, vel naturalis vel acquisititia; naturalis, quando à natura tale est effectum membrum: altera vero acquisititia est, non secundum naturam, sed per morbum, vel aliam causam attenuantem. Hæc lædit sæpe actiones, & facit turpitudinem. ratione turpitudinis nos de vtraque loquamur. & per tenuitatem hanc, intelligimus maciem partis, quæ fit diminuta secundum latum, & profundum, aliquādo secundum longum. hoc patet in luxatis. Naturalis vnde proueniat, perquirendum in natura fœtus. non naturalis causæ duæ sunt ex Hipp. quies, & deligatio sunt causæ extenuationis membrorum. istæ geminæ causæ mihi videntur referri, & in distributionem, & in nutritionem partis, eo quod nō bene nutriuntur membra, neq; fiat distributio alimenti ad membra.

3. aē. de off. med. com. tex. 32.

Qua autem causa fit ista nutritio mala? vt plurimum fit ratione refrigerationis, & ista est causa, quæ facit malam nutritionem, & vt non fiat distributio. refrigerantur autem ista membra quiete. quando frangitur crus, & manet in quiete 40. diebus, emaciatur, quia ob quietem refrigeratur: exercitium calefacit artus, & est in causa, vt nutriantur; quod dico de crure fracto, idem dico de aliis membris quiescentibus sine morbo. adiungitur à Galeno deligatio artus: quoniam solemus incipere deligationem supra locum affectum, & ascendimus vsque ad principium membri deligando, & exprimitur sanguis, & spiritus vsque ad principium membri, quod ex hac deligatione refrigeratur.

Refrigeratio. *Quies.* *Deligatio artuum.*

Addatis aliam causam refrigerationem: quoniam in exulceratis membris, vel vulneratis partibus manant humiditates innatæ insigniter cum sanie, & sic membrum refrigeratur. Addatis quarto constrictionem vasorum. obstruuntur sæpe vasa ab aliquo humore, de necessitate refrigerantur artus; quia non trāsmittitur spiritus, & sanguis fouens facultatem nutrientem. præterea distributionis causa extenuantur membra; quia refrigeratum est membrum, & hinc est, quod caret facultate attrahente. distribuitur autem alimentum, aut quia transmittitur, aut quia attrahitur. secundo etiam impeditur distributio huiusmodi, quoniam per longam deligationem aliquando vasa compacta, & exiccata fuere, & facta inepta ad distributionem: igitur potissima & prima causa maciei est distributionis impedimentum. iam vero properemus ad signa.

Vlcus, & Vulnus. *Obstructio.*

Signa maciei naturalis in aliquo membro nota sunt. signa maciei præternaturalis cognoscūtur cognitis causis emaciationis. & ideo non est necesse, vt in rebus ita notis diutius immoremur. ergo ad præsagium properemus.

Signa.

Debemus autem obseruare quoties proponitur membrum macie confectum an sanabile sit, nec ne. cognoscimus autem hoc facto experimento Gal. pulcherrimo. vt accipiamus aquam calentem, tepidamue. si cito rubrum redditur membrum, citam speremus sanationem: si non cito, sed tarde rubrum redditur, attollitur in molem, tunc difficilis curatio erit: si nunquam rubescit, non tollitur in molem, non sperate curationem, quia non succedet, nunquam emollietur, vel replebitur pars.

Præsagium.

Curatio autem consistit in robore addito, & sanguinis attractione ad locum, vt non discutiatur. quatuor autem sunt, quæ robur addunt parti, & quatuor sunt, quæ attrahunt sanguinem. primum locum ad dandum robur obtinet fricatio moderata. & quomodo? fricatio calefacit partem; calefaciendo attrahit spiritum, & sanguinem; spiritus & sanguis cum calido robur addunt parti; robur autem concoctionem facit: sed possumus fricare artus vel nudis manibus, vel cum oleo, quale est amygdalinum, vel maturarum oliuarum. præterea fricatio semper debet ab origine membri superiori incipere, vt trahatur magna copia spirituum. fricatio debet esse longa, obliqua, & transuersalis; quoniam omnes fibræ, omnes pori aperiuntur, & calefiunt. Hæc fricatio moderata sit. finis fricationis est donec membrum plenum, & rubrum reddatur. secundum locum habet perfusio ex aqua simplicissima, vel hydrelęi, vel olei simplicissimi, & purissimi: aqua pręstans: hydrelęon præstantius; quia replet, humectat, & non sinit egredi. aqua non sit frigida, nec feruens, sed media inter has. perfusio semper tendat circa extremum membri, incipiendo ab origine eius. terminus perfusionis est, quum videmus turgidum, vel rubens membrum. Tertium est motus partis. exerceatur pars. sed

Curatio. *Fricatio.* *Perfusio ex aqua.*

Motus. Auic.lib.1. fen. 3. doctr. 2.c.11. Notat, quod quum volumus exercere membrum, exerceamus naturali, & consueto exercitio. obambulatio est motus cruris, micatio brachii, & sic de simili exercitatio sit moderata: finis est, donec intumescat. *Medicamentum locale.* Vltimum est medicamentũ appositum loco, quod habeat vim calefaciendi, & est idem, quo vtimur in vniuerso corpore. *Olea.* sunt medicamenta lenia dicta, vt oleum ex euphorbio, ex castoreo, vel ol. costinum, vel vulpinum, vel lil. alb. cum arom. vel irinum. si volumus robustius, deuenimus ad picationem, *Picatio.* quæ admittitur libentius ab ægrotantibus in singularibus artubus. ego vsus sum semper fœlici successu hac picatione, vt non opus fuerit venire ad validiora, sed si ad robustiora oportear descendere, *Dropaces.* venire ad dropaces dictos. terminus medicamenti est rubificatio, vel turgiditas: quum sumus in termino quid agendum? detegere debemus membrum, & vngere oleo, vel sesam. vel amygdal. dulcium, & dimittere naturæ si hyeme, tegamus lana, vel panno calido. si æstate, relinquatur intectum. at hoc non est satis. sed oportet documentum obseruare Auic. qui monet nos, vt aduertamus, an tumor ille, quem excitamus sit bonus, vel malus, si malus, succedit apostema, vel morbus: si bonus, nõ succedet. Quomodo cognoscemus, quod rubor sit bonus? primum, quia non diu durabit, nec increscet ablato medicamento. si crescit, est rubor, qui fit per transmissionẽ sanguinis extra venas, & sic inflammatio orietur, aut erysip. secundo cognoscimus ex vasis, quoties videmus, quod imposito medicamento ita repleuerimus locum, vt venæ intumuerint, videte, an aliquot venæ, quæ prius non apparebant, apparent, tunc suspectum est medicamentum. præterea, si remanent turgidæ, tunc omnia sunt dimittenda, & potius præcauere debemus, quę imminent, & impedite fluxionem. si hæc non fiant, tunc non solum robur dare debemus parti, sed etiam sanguinem attrahere ad partem, & eadem, quæ faciunt ad robur, faciunt ad attrahendum sanguinem. *Deligatio 3. com. de off. med. com. tex 32.* sed vnum est, quod proponitur ab Hipp. loco dicto, & est deligatio. & in hoc admirandus Hippo. qui deligatione impinguat, & demacrat arctus. si vos habetis manum extenuatã, & vultis replere: monet Gal. in com. dicto vt ligemus vniuersum membrũ, & incipere à parte sana circa originẽ membri debeamus. *In deligatione obseruãda.* sed arctior, & strictior sit in principio, & laxior sit in parte emaciata deligatio ipsa. si in æstate fuerit, nihil ferme deligamus partẽ emaciatam: hyeme aliquãtisper tegamus ratione frigoris, stringamus aũt partem sanam in principio. aliud est pceptum in deligatione. si esset totum membrum extenuatũ, non possumus iuuare per deligationẽ. notat Gal. aduertendum esse, quæ sint partes: quę sunt vnius, & eiusdẽ generis, & sunt crura inter se, & brachia inter se. venę, quę currunt ad vnum, habẽt idem confinium, & eandẽ originem cum venis alterius. & ita, si emaciatum fuerit totum brachium, ligabimus brachiũ sanum incipiendo à digitis manus exprimendo sanguinẽ, & sic fluet ad partem maciatã. sed expressio hæc non debet esse dolorosa, ne fiat attractio, vel inflammatio ad partẽ sanam. Hęc sunt seruanda pro replendo mẽbro emaciato: supposito, q corpus abundet bono sanguine, & ideo bene mundatum sit, vt subministretur bona materia, sin minus loco impinguationis nos inducemus morbos.

De quibusdam partibus natura tenuibus incrassandis atq; magnificandis.

Cap. IX.

IN hoc tractationis genere non solum arte emaciatæ partes continentur, sed, quæ natura breuiores, & tenuiores sunt effectæ: continentur quoq; & partes decurtatæ aliquo casu, vel ægritudine, vel sectione, & vulnere, qui oẽs affectus cum pendeant à diminuta quantitate infra id, q est secundum naturam, ideo curationẽ aggredi debeo. partes supra modum auctæ lædentes actionem, requirunt eandẽ curationis rationem, quia supra naturam sunt sed primum de tenuibus partibus, atq; breuibus à naturæ defectu genitis, non demaciatis, *De longitudine pudendi.* agamus. inter quæ primum locum obtinet cholis, vel pudendum, q ita breue est, vt turpitudinem non leuem faciat in compositione corporis humani. Hoc non tractant Recẽtiores, quia honestius factum genus hominũ non videtur nudũ, vt antiquitus, quando in palęstra, & balneis continuo inuicem videbantur. Verum hæ partes, cum iam tectę ferantur, turpitudo cessit loco, & ideo de hac non tractare debemus, neq; enim videtur pertinere ad Medicum, qui ornat, sed ad eum, qui curat. At quia hæc prætermittuntur à practicis, ideo ego de magnificatione cholis aliquid tradam. si pulchritudo requiritur, pro pulchritudine tradam. sin minus cum Auic. me excusatum habeant seueri isti, & tetrici viri. quidem vult docere modũ magnificãdi cholẽ, cum turpe videatur Medico de his agere, respondet huic obiectioni, q tãta est necessitas conseruationis speciei, q obscœnorũ et habẽda est cura. nã nisi pudendũ constringatur à vulua, voluptate nõ afficitur mulier, nõ emittit semen, nec fit cõceptus, ideo arte crassum faciẽdũ membrũ hoc. Ego moneo parẽtes, vt studeãt in ætate infantili, vt magnificetur membrũ puerorũ: magnũ etenim inutile nunquam erit, & si fue-

si fuerit inutile hoc rarissime accidet, quum enim nimis longum erit, solet vterum contundere, & os matricis, & impedire generationẽ. nimis autem breue, aut semper, aut frequentius incommodum erit. de magnificando igitur membro agamus. in hoc autem duo obseruanda sunt, & quod possumus producere pudendum, & quod possumus crassius reddere. producimus, quum facimus in longũ crescere: augemus vero, si efficiamus multã & frequentem extensionem. non. n. augetur augmento pinguedinis, & carnis, sed oportet, vt nerui cauitas fiat maior, nam quoties cauitas ampla facta fuerit, & protẽditur membrum, & adsint vapores, ac spiritus, crescit. primum autem loquamur de longitudine. Hoc potest fieri si impedimenta auferamus: inter impedimẽta est frenum, vel canis nimis constrictus pudendi. canem vocamus partem illam, quam filellum vulgò appellant, qui ligat præputium in parte inferna cum glande iuxta canalem. qui habent canem decurtatum, non possunt in longum producere pudendum, quoniam facit dolorem canis ille, & sic non potest diu consistere tensum pudendum, & impeditur eius incrementum: nam causa magnitudinis pudendi est frequens eius distensio; vnde incumbentes Veneri, & continuo tensum habentes priapũ, longum habent, & magnũ. ideo secemus per transuersum canem; alterũ est, vt obseruemus loca neruotũ. in dorso pudendi sunt nerui in dextro, & sinistro latere (vt vidistis in anatome) quoniã neruosus est priap⁹, oportet videre an nerui sint tẽsi, an aliquę chordæ tensæ sint, vel percipiamus aliquot grana vt grana milii: & si hoc est, sunt ganglia non dolorosa in neruis, & veluti nodi impedientes neruos. in hoc casu auferenda tensio, laxandi sunt nerui, per emollienta, & laxantia, vt ol. amygd. dulcium, vel communi maturo. facit & ad productionem aliud. vt aliquando nos efficiamus, vt tumore aliquo pter naturam laboret pudendum potest autem intumere, vel ratione spirituum, & non erit pręter naturam, potest vel tumore præter naturali tumere. & ideo ad illa acria confugere debemus. pueri per ludicrum solent vti his medicamentis. Antiqui solebant inungere glandem, vel præputium lacte ex volubili latifolio, quod smilacem lenem appellamus, acre est medicamentum, inflammat, & facit quasi priapismum. similiter lac ficulneum præstantissimum est, si vel glandem, vel totum pudendum inungamus. lactaria, tithymalos vocata à Græcis, si accipiamus characiam, vel aliud simile, præstantia sunt. Verum in vsu istorum medicamentorum opus est, vt incumbamus ardori, & dolori insigni, & pueri his solent deludere alios. Ratio medelæ est, vt contemperemus feruorem cum vsulactis, & linteolis lacte repletis; vel decocto maluarum, vel decocto violarum, vel oleo cerato violato, vel ol. rosa. Mesues. & obuoluamus caput pudendi. Ego resecto freno, & emollito dorso, duplicato hoc medicamento vidi crescere ad quartam partem. Faciunt ad productionem etiam tractationes, calefactiones, vsus Veneris, atque medicamenta, scilicet synapismi, dropaces &c. at inter extendentia ineptius instrumentum est vsus Veneris; quia non diu remanet tensum: concidit enim. oportet autem, vt diu tensum maneat, & enim copiam spirituum adesse necesse est. Hoc fit medicamentis calidis, & aliis rebus calidioribus, etiam quod non sint medicamenta. Hac ratione vtuntur Rhases, & Auicennas vt continuo ter, quater, sexies, & decies in die fricetur membrum; fricandum autem non sicca manu, sed inuncta lacte ouino. sed qua ratione? non reddunt rationem. addamus nos. quia lac obstruit meatus, & ita non discutiuntur spiritus. lac etiam potest gignere ex se spiritus similes spiritibus sanguinis. præterea lac emollit ac laxat, præcipue si pingue est. præterea quasi suã natura experimento confirmata, illud facit. Addit Auicennas vt fricemus saltem aliquo pingui. & si esset ex pinguibus, quæ faciunt ad ptoritationem Veneris, tanto præstantius, vt si est pinguedo ex castoreo. in summa fricatio est, quæ facit tensionem. Addunt etiam, vt ab exterioribus tensum reddatur: hoc autẽ fit picatione, imposita pice eadem ratione, qua dictum est supra. Possumus etiam vti dropacibus reliquis. Nos vtamur vnguento ex thapsia. sed cum his omnibus adhibete portiunculam moschi: vel, si moschum, & zibettum adhibeatis mixta cum ol. amygd. dulcium, non inuenietis medicamentum præstantius: conciat, protitat sanguinem, & excitat appetitum Veneris, & hoc habent pro secreto maximo. His rationibus per transuersum fricando, extendimus priapum. fit etiam hoc calefacientibus, vt testa ignea accepta intra crura, vel pannis calidis. sed obseruate, vt statim quum concidit pudendum, calfaciatis, vel pannis calidis, vel alio calido; nam hoc iuuat pueris, & etiam consistentibus. sed aduertant imbecilles, non abundantes copia spirituum, ne extensa vasa spiritu implere non possint. Hoc autem fiet per medicamenta proposita à practicis. Hoc quod dico, & quod in posterum dicturus sum, necessitate generationis coactus assero, non quod quid contra legem aut contra bonos mores ptomulgare audeam. Scriptores proponunt medicamenta pro amplificando pudendo, quæ agunt à tota

De longitudine coleis.

Ad tensionẽ neruorum.

Lac smilacis lenis.

Ad contemperandum ardorem.

Rhas. 14. cõ. circa finem.

Picatio ad tensionem.

A tota substantia amplificantia pudendum.

substantia. Ego non usus sum ipsis, sed semper deueni ad illa inflammātia dicta. Ista autem medicamenta sunt primo vermes terrestres, quos vino abluros exiccamus, & in puluerem vertimus, & cum ol. sesam. vel amyg. dulcium miscemus. Aliud proponitur à Rhasi, & desumitur ab Auic. vt accipiamus recentem nucem Indicam, & aperiamus, in ista nuce reperiemus aquam dulcem in interna medulla. accipimus sanguisugam, & relinquimus in ista aqua septem diebus, postea extrahimus, & contundimus, & pudendum illinimus. Ego nō expertus sum. Referunt Recentiores ex Diosc. quod usus coriandri in cibariis præstans est. tarde hoc agit, nec ego nimis fido, cum alia habeam medicamenta. si scirem modum leniendi priapismum ex cantharidibus, illud esset præstantissimum remedium, sed est dolor incomparabilis, ego nescio antidotum, ideo de medicina non sum sollicitus. [Anno 1539. superueniente Quadragesima, quo coronatus est Carolus V. Rom. Imp. & capta est Florentia exercitus Hispanus Mutinensi hybernauit in agro, in loco, qui dicitur la Bastia septimo lapide distante à ciuitate. erant insolentes milites male tractantes villicos, ex quo apud Ducem cum hi conquesti sunt, Dux misit Scribam suum, qui non erat homo admodum sanus, cui Militum præfecti exhibuere cātharidas, incidit in priapismum, & cum rediisset in ciuitatem in concione ostendit mentulam timens se venenatum esse. sumebant quartam partem cantharidis, contundebant, addendo piper, cinnam. & garioph. efformabant pillulam, & exhibebant. sanatur autem sine dolore, & subito, & tuto succo cuiusdam herbæ, quam illi Hispani propinarunt. cuius figuram eo ignoro [Sed in hoc augmento etiam municipales leges ponunt terminum: nam aliquando nonnulli volunt habere nimis vastas hasce partes. Ego vellem vt tantum in paruis hoc fieret, decurtatę partes tantum debent corrigi, & magnæ suo in situ permittendæ, & non in maiorem attollendæ molem.

De Præputii breuitate corrigenda. CAP. X.

QVandoq; aliquis accipit vulnus in naso, qui secatus facit turpitudinem maximam. vt accidit anno elapso cuidam Pedemontano, cui à latronibus decurtata fuit apex nasi, docent Medici ratione pulchritudinis sanare. pariter ob frigus decurtantur aures, ne videantur hæc iure decurtatæ, oportet iterū restituere. aliquando pars labii superioris in medio diuisa est, & leporarii dicuntur pueri, ideo iungendæ illæ partes; pariter Antiqui (vt dixi) cum nudati incederēt in palęstra, & ablatio præputii esset valde infamis: ideo solliciti erant de tegenda glande; quare primum de hac restitutione tractemus, deinde de aliis. in p̄putio tractando notare debetis, an natura factum, vel arte sit. secundo an valde, vel parum breue sit. Ita, si parum fuerit decurtatum, leui ratione producemus: si valde, opus erit maiori actione, & tandem chirurgica. Solemus enim medicamētis, deligationibus, & chirurgica actione producere. sed notate, quod quamuis hoc faciat ad pulchritudinem, facit tamē etiam ad generationem, & ad voluptatem maiorem. ratio est, quoniam naturaliter lubrica non est illa pars, quæ non habet præputium, & requiritur lubricitas insignis in venere, & cum maior adsit voluptas, mulier emittit semen, & materiam opportunam pro formatione fœtus, & pro generatione membranarum.

Quare Deus ordinauit Hebræis ut resecarent præputium.

Si autem quæratur, cur DEVS altissimus in populo electo instituit, vt auferretur præputium, causæ sunt æternæ, & positæ in mente Altissimi, quas non oportet dicere in profanis scholis. [fortasse id iussit DEVS, quoniam si, vt dictum est, præputium veneris voluptatem adauget, resectum minuit. DEVS populum suum dilectum, & castum, & à venereis voluptatibus, quantum fieri poterat, abstemium quærebat, vt non ita delectationibus illis allectum Creatoris cultum negligeret. & ad hoc fortasse eximius ille Theologus Moses respiciens, Puellam sanxiuit, pro virgine ductam, si corrupta fuerit, lapidibus obrui, aut corruptam concremari & si quis eam non inuitam viriauerit vterq; extremo supplicio afficiatur. Adulterio, incesto, sodomiticæq; fœditati capitalem pœnam lex irrogabat. Quinetiam ad idem respiciebat promulgatum illud institutum, ne qua mulier belli tempore attingat virile instrumentum, neq; vir muliebre. & hoc est, quod dicit Aristot. esse in prouerbio legum diuinarum lucem non habens, quæ ad hoc dirigebātur, vt populus suus abstineret à venereis, quoniam corpora nostra hebetat, refrigerat, imbecillia reddit, atque corrumpit. quod autē præputium in causa sit, vt maiorem sentiant fœminæ delectationē, indicio sunt Iudeæ, Turcæ, ac Mauritanæ, & infideles mulieres, quæ libentius mancipiis Christianis, quam dominis resectis se subiicere patiuntur, & volunt] si ergo curtum sit p̄putium, quid agendum? Galenus docet per membranulam cartaceam.

In 20. sect. prob. 2.

14. Meth. 16. Ratio curandi Galeni.

Faciebat enim hoc modo: producebat p̄putium ad anteriora, quantū fieri poterat (& hic locus à nullo notatur, quia fortasse non intellectus est) attractum obuoluebat membranula cartacea stricta cum gummi circa pellem, & faciebat siccare membranulā, & ita non poterat recurrere, ideo necessarium erat, vr produceretur ad partē anteriorem.

Verum

Verum notandum est, quod dum volumus apponere istam membranam per transuersum, quia cedit nimis præputium, non potest applicari. præterea necesse est mingere, ideo oportebat relinquere canalem. Gal. fistulam ponebat in parte anteriori, siccata membrana, remouebat fistulam, & sic membranula ad duos, & tres, & quatuor dies relinquebatur. membranula autem sit tenuis ex carta. ego volo, vt capiatis cartam coriaceam, & videte an adsit filamentum, vos ex illa cartulam tenuissimam auferatis, qua nihil tenuius. librarii capiunt cartam pecorinam ex ea parte, qua erat pilus, & euellunt membranulam tenuem, trasparentem, veluti crystallum, & hanc conglutinant supra cartã impressam fractam, & sic apparent literæ, & fractum restituitur. Galenus hanc vocat fibram cartaceam, hæc est, de qua loquitur: mollis est, & robusta. Alii solebant producere hoc modo: accipiebant fistulam, apponebant ad glandem, & supra fistulam trahebant præputium, & alligabant, & imponebant medicamentum ex thapsia, quod rubrum redderet prẹputium: tamen hoc habet incommodum: quia deligatio illa dolorosa est; succedunt aliquãdo gangrenę, ideo placet rario Galen. & ego illa vtor. quamuis credam, quod toto vitæ meæ curriculo non tractarim bis, aut ter hanc rem. Præterea alia ratione producitur pudendum dicta à Gal ibidem, à Paulo lib. 6. c. quinquagesimotertio ab Auicenna etiam. vt per sectionem producamus præputium: & vt solent interna, & externa sectione. trahimus præputium vi ad exteriora, postea secamus circulariter, & vna sectio spacio vnius, vel duorum digitorum ab alia distat, postea linimenta parti sectæ applicamus. sed ego possum testari, quod nunquam secui, neque reperi aliquem stultum, qui voluerit pati hunc cruciatum. præterea videtur in media parte, vbi facta est sectio, decurtatum: ideo notate, quod sectio fienda prope testes, prope scrotum, primo vt scarificatio fiar, & tegatur; præterea, vt cutis à prima origine scarificata prolongatetur. in interna parte scarificabant præputium circa coronam: sed oportet applicare linteolum molle, quo impediatur, ne glans cum præputio coalescat, sed madidum sit primum albo oui, postea vino austero, vt obducatur cicatrice. Hæc igitur sint dicta, quo ad præputii productionem: quam rati sunt qui affectant, tũ quia dolorosa est, aut nimis fastidiosa ratio curandi, tum etiam, quia etiam quod natura in hoc deficiat, præstat tamen, eo quod, qui habent glandem detectam, rarissime lue gallica inficiuntur, quia crassa & dura cutis aeri exposita reddita est, & ideo excoriationem, aut virulentiæ illius ingressum facile non admittit. modo ad cæterorum membrorum restitutionem transeamus.

Incõmoda.

Ratio curãdi aliorum.

3 Ratio curandi.

De Nasi regeneratione, labiorum, atque aurium. CAP. XI.

Reliquas autem partes quomodo coniungemus? Multi tentant restitutionem nasi per generationem carnis. in Calabria adesse aiunt Medicos, qui denuo regignunt nares. & modus hic est. scarificant cutim in brachio, in qua seruari iubent nares immotas, donec agglutinentur cum brachio; postea secant carnem ex brachiis, & efformant nares quibusdam ferramentis, & laminis ferreis, & sic sensim, & sensim faciunt imponendo iterum, atque iterum, donec efformetur nasus. Negotium hoc est aliquando trium mensium, aliquando sex, aliquando anni integri: ego teneo, quod maximus est cruciatus, & vellem totum amittere nasum potius, quam hunc subire laborem. moneo, vt potius vtantur fictitio naso, quam isthæc subire tormenta; nam ex personata materia fit nasus, qui gumbi apponitur. si autem amputatio sit parua, non simus solliciti. monet Galenus, vt scarificemus partes laterales, vt producatur cutis, & consuamus, & agglutinemus. Ita de labio scarificate, & auferte superficiem, & agglutinetis; quia sanabitur: tanta enim est mollicies in pueris vt labia vniri possint. sic de aurium defectu pauco, dicendum. at, si defectus magnus esset, oporteret vti fictitia aure; nam non esset tanta pellis circumcirca, vt possemus efficere aurem integram. Hæc sunt satis. & quoniam multi sunt morbi, qui accidunt mulieribus ratione partus, & faciunt ad pulchritudinem: ideo de his agamus.

De Mammillarum amplificatione. CAP. XII.

Solent nimis displicere, atq; frequenter accidit aliquando cum noxa satis insigni, mammillæ nimis tenues. mores ciuitatum varii sunt. in aliquot enim locis paruitatem affectant mulieres; quia modestiores sunt; alibi quadratum habitum affectantes, impletas, & pingues desiderant. præterea copiosum colligunt lac pro alimento pueri, quæ magnæ sunt, graciles egestate laborant; ergo non tantum ratione pulchritudinis, quantum ratione fœ-

tus, Medici tractant de amplificatione mammillarum. Omnia autem facientia turgere, ad hoc deseruiunt. quare vsus balnei frequens, & diu oportunus est: caliditas enim, & æstus multum facit ad inflammandas mammillas. si tractantur, leuiter manibus tanguntur copiosum attrahunt sanguinem. sed picatio, dropax, sinapismi, vnctiones, & omnia à me tractata oportuna sunt, dummodo nos expleamus vniuersum bono sanguine per optimum exhibitum alimentum. sed quoties affectatis amplas mammillas, non habeant cingula, & angusta pericardia, sed pendeant mammæ, & vestes latissimæ sint. præterea non suspendantur, quia non poterunt produci. De colore autem, & mollitie earum, dicam postea.

De Papillis. CAP. XIII.

AD hoc etiam pertinet papillarum tractatio; aliquæ non habent, aliquæ habent nimis paruas. hoc turpe est, & ad fœtum incommodum: ego non quæro magnitudinē vaccinam, sed moderatam. puer non potest sugere lac, si tenuis est papilla. cui difficili suctioni lactis concretio in mammillis subsequitur, & ægritudo. quomodo autem restituuntur papillæ? omnibus illis, quæ calefaciunt, & rubore suffundunt partem: balnea, tractatio papillæ præstantes sunt, pudendum etiam virile, & fœmineum harum tractatione proritantur. tractentur ergo mammillæ contractu non solum fœminarum, sed adolescentulorum, si cū honestate id fieri possit. pariter si vngantur oleis. si vtamur dropacibus, & picentur idem assequi poterimus. sed chirurgico opere idem obtinere possumus: cucurbitula scilicet angustissimi oris: quæ per aliquot temporis spacium papillæ imponitur. alii recipiunt calices glandium, quæ habent in summa copulam, calefaciunt, & apponunt, sed si multum extrahere volumus, huiusmodi calice non possumus: vtimur tamen in minimis mammillis. Mulieres aliquot inuenere instrumentum oportunissimum, quo vtuntur: quando volunt seipsas lactare, & emungere, si nō habent puerū, aut puellam. Inuentum est instrumentum vitreum ad similitudinem cucurbitulæ, quod habet rostrum, quo rostro sugunt lac: hoc instrumentum oportunum est ad productionem papillæ. alii accipiunt fistulam ex arundine puram, mundant, expurgant, & apponunt papillæ, ex ore sugunt ab altero cauo fistulæ. huiusmodi solent vti multi. Ego vero vtor fistula plumbea, quæ sit eius amplitudinis, quantæ magnitudinis requirimus papillam: & ista ab vno latere aperta est, ab altero paruū foramen adest. postea applico huiusmodi fistulam in parte perforata, & opposita singo per foramen paruum. cum papilla iam ingressa est, ego primum lingua, postea digito, & cera claudo paruum forame͂, & sic per suctum ingreditur facile pupilla in fistulā, & suo pondere spacio trium, aut quatuor dierū producitur. sed sit optime lenis fistula, ne habeat angulos secantes. tempus producendarum mammillarum non est, quum rimosæ, vel vlceratæ sunt, non quando adest lac. sed expectetis occasionem, in qua non turgeant lacte, & aggredimini curationem, & succedet. Hęc pertinent ad partes extenuatas, natura, vel arte, vel morbo aliquo consumptas.

De Partibus crassis extenuandis. CAP. XIV.

VIdeamus quomodo partes crassas attenuare debeamus. aliquando tumet pes, vel manus, & non possunt sanari. aliquando mammillæ crescunt præter modum, aliquando testes nimium augentur, & nimis salaces, & ad cantum ineptos reddūt pueros. de his modo agamus. Quoties mulieres laborant huiusmodi crassitiebus, hoc fit fluxu alicuius materiæ; ideo opus est maxima diligentia. &, si quod est difficile, est affectio isthæc. etenim communis est opinio, quod symptomata venientia ad partus, quando male expurgatæ mulieres, difficilia sunt curatu. Primum ergo expurgandum totum corpus. præterea prouocandi sunt menses plurimi. quæ faciunt ad hoc nota sunt omnibus. expurgato vniuerso, & prouocatis mensibus, deueniendum ad locum affectum: & primum retrahamus sanguinem ad aliam partem; deinde repellamus vel instrumentis, vel alio ingenio. si manus sit tumida, debemus fricare manum oppositam, & trahere totum sanguinem illuc, & deligare. hac ratione reuellimus. præterea debemus exprimere sanguinem à parte tumida, fascia incipiente ab extrema parte quæ sensim, & sensim stringat valide, ne tamen fiat dolor, sed vsque ad principium, vbi est pars sana, fascia sit potius laxa, quam stricta. Hoc non satis est. debemus venire ad medicamenta idem facientia: & sunt, quæ habent vim exiccandi, vel cum caliditate, vel cum frigiditate. vt plurimum tamen sint frigida, & sicca. Quæ autem sit materia horum medicamentorum, e-

Reuulsio.

Medicamenta.

gōdi-

go dicam, quum tractabo de extenuationibus mammillarum. Quare de mammillis tractemus.

De Mammillarum extenuatione. Cap. XV.

SOlent præter modum crescere mammillæ, & turpitudinem afferunt, sed maiorem in virginibus; nam, nisi virgines tenues habeant mammillas, suspectam habent virginitatem, quæ etenim fœminæ factæ sunt ob incalescentiam veneream maiores habent mamillas; ideo nos has tenues facere debemus arte, & industria. Præterea illis, quæ pepererunt, pulchriores sunt mammillæ rotundæ & paruæ, quam crassæ, & magnæ, vaccinas referentes. *Causa incrementi mammarum.* Amplæ fiunt ex vsu copioso balnei, ex contactu frequenti virorum. Addatis, quod solent crescere ob laxam vestium appositionem. vsus vini copiosi atque potentis idem præstat, ad hoc facit pendens ille situs, paratur genus edulii ex vino dulci, saccharo, vitellis ouorum, &c. quod dicitur Zampiglioni. Hoc auget, & impinguat mammas. lactatio frequens, atque Veneris vsus idem efficiunt. si paruas volumus, & rotundas reddere, debemus causas, quæ faciunt eas magnas, resecare. Victus ratio sit siccans: constringantur vestes, suspendantur: producantur menstrua, quantum fieri potest: non accedant ad balnea. *Curatio.* sed necesse est, & ad alia veniamus: solemus stringere mammillas, vel medicamentis, vel opere chirurgico. Medicamenta sunt duorum generum, vel quæ agunt manifestis qualitatibus adstringendo, siccando, & refrigerando, vel quæ tota substantia faciunt. *Medicamenta.* quorum rationem reddere ignoramus, tamen effectus manifestus est. Et ego vidi miraculum spacio vnius noctis, & tandem operatione chirurgica. & primum medica materia hæc sit. nolo emplastra composita explicare, sed tantum materiam propriam, qua ego, & alii vtuntur. *Sicca & calida.* inter siccantia cum calefactione primum est ærugo æris. secundo est alumen, abrotanum, cuminum, sulphur viuum, cœpæ liliorum alborum. ex hac materia, admixtis frigidis, solemus parare illitiones, decocta, & emplastra. at emplastra bona sunt, quia multum, & diu agunt: debetis enim applicare medicamentum, & non mouere nisi de tertia in tertiam diem: quoniam quanto minus agitatur, tanto citius attenuatur mammilla. Inter medicamenta adstringentia, siccantia, & refrigerantia ego do principatum cretæ, quæ colligitur ex cultrariorum rotis, vel capiatis gemina frusta molæ, & fricetis simul. *Sicca & frigida.* secundo in loco sunt omnia ex ferro, scoria, squama, & limatura ferri, &, *E ferro.* quamuis rubigo ferri calida sit, tamen si abluatur, præstans est medicamentum. addo cretam argillatam, rubricam sinopicam, quæ dicitur bolus orientalis; & rubrica omnis, cerussa, lithargyrium idem facit. inter plantas laudatur hyoscyamus: & si accipiamus lac, vel aquam stillatitiam, vel succum foliorum: solanum omne, cicuta, psyllium, gallæ immaturæ, lolii farina præstantissima est, cito, & valde facit. *Plantæ.* lentiscinum oleum, & omnis materia ex lentisco, & terebintho, cortices granatorum, semina lentis exusta, plantago, sed opium præstantissimum est. verum nullis ex dictis cedunt cochleæ ipsæ communes, limacia dicta. quas contundamus, & cum melle, & radicibus consolidæ maioris viridibus misceamus, & de tertio in tertium ponamus, & non mutetur medicamentum, nisi per se cadat. sed alia sunt, quæ à tota substantia id agere creduntur. & est sanguis testiculi porcini, vt recitat Auicennas. *A tota substantia.* præterea sanguis ericii terrestris habet magnam vim. adiungatur sanguis testudinis. his ego non vsus sum in hac re, quoniam superioribus multum egi, & multum fido. at inter ea, quæ à tota substantia agunt, vetula me docuit vnum, quod menstruum virginum maxime extenuat illinendo eo mammillas, manente aperta, & detecta papilla, & imbuatur bis, & ter. vetula volebat, quod ille sanguis esset primus virginis: ego expertus sum prima, secunda, tertia, & centesima fere vice. Chirurgica sunt deligationes: & ad hoc, vt fiant rotundæ, & tenues, opus est, vt ponatis linteamina exhibentia talem formam rotundam. *Deligatio.* ideo imposito emplastro, strophiala ex panno, vel linteo ponatis, quæ rotundam dent figuram. alia chirurgica actio fit per sectionem.

Hoc autem facimus in vitis, in quibus crescunt mammillæ, vt in fœminis, & colligitur lac, vel humiditas lactea. *Sectio.* ideo confugiamus ad ea, quæ diximus medicamenta, & ligationes: sed, si hoc non esset satis, Paulus libro sexto, à quo omnes sumpsere, docet modum, & monet, vt nos in parte superiori, vel inferiori faciamus lunarem sectionem circa originem mammillæ; postea excoriemus cutim præcedentem circa mammillam, & auferamus pinguedinem. Albucasis monet, quod, si facta excoriatione propter fluxum sanguinis non possumus auferre pinguedinem, vt medicamento caustico vtamur: postea glutinatorio medicamento sanemus. Sed, si huiusmodi magnitudo nimia fuerit, debemus facere duas sectiones lunares concurrentes simul, sed vna sit minor altera, & cocurrant ad eosdem apices. Domini nescio an ego appellem bestiam eum,

qui voluerit hunc cruciatum, ego mallem mammillas, quę eadum magnitudine superant, quam impias pati sectiones istas. tamen probatur actio hæc à Græcis, & ab Arabica schola. in melancholicos incidimus sæpe; qui volunt has sectiones; in istis secare, vt sui morbi pœnas luant.

De Testium extenuatione. CAP. XVI.

QVæ dixi in mammillis, hęc eadē in testibus nimis crassis applicanda, quia faciunt adolescentes nimis turpes, salaces, & ineptos ad cantum. chirurgica opera fugienda; non enim ferro tractanda sunt loca illa. sed si aliquod esset, id deligatio esset, vt testes suspensi seruentur, vt sint in otio, languidi, & frigidiores fiant. sum ego istius sententiæ, sed nunquā veni ad eorum extenuationem, nisi quum crassati sunt præter naturam. Verum credo quod sanguis testis suis multum faceret. Inter communia, quæ faciunt ad pulchritudinem, continetur vniuersi corporis color; atque partium. ego primum de colore vniuerso malo, & de omni infectione tractabo, veluti de lentigine, liuoribus, nigredine, & aliis maculis inficientibus cutim. postea ascendam ad caput; & pediculis bellum inferam, & cætera necessaria pertractabo.

FINIS TOTIVS TOMI SECVNDI.



INDEX

INDEX
RERVM ET VOCABVLORVM, QVÆ IN TOMO SECVNDO OPERVM FALLOPPII MEMORABILIA
& præ cæteris notanda occurrunt,
IN QVO PRIOR NVMERVS PAGINAM, ALTER VERO LINEAM
ipsam denotat.

Ascia

B

Cyperi

F

M

N

Q

R

T

Tendo

FINIS.

B E N E V O L V S   L E C T O R   M E N D A   H AE C

priusquam autorem nostrum legat,

emendet.

Pag.2 lin.57[ni]in 16.53[tettium]tetrum.22.19[lædi non posse]lædi etiam posse 23 in titulo cap.[dictas]dictos & lin.49[sunt,actu]sunt actu,34.4[nos]vos 36.2[concedatur]comedarur.63.22[sapores]sopores 77.22[conuulsione]conuulsio 83.16[copiosamque aquam]copiosaque aqua 86.52[calcamo]chalcantho 105.18[ideo in ea imprimitur] ideo imprimitur 108.58[ab excremento ad excrementum]ab extremo ad exrremum 109.38[parruus]partibus 115.4[ergo]ego & lin.39[fœtu]fœtus 117.3[locati]locali & ib.in ritul.cap. [artu] orru 123.58[vt]& 133.2[quia]qua 143.33[possumus vere]possumus dicere vere 146.21[mouer]moueor 166.20[vlnere]vulnere 173.14[vox quia]vox,quæ quia.& ib.lin.34[æqualibus]æqualitas 157.36[col.]bol.& ib.lin.46[rosinæ]resinæ 176.29[præcipuo]præcipue 182 in tit.cap.[res naturales]res nō naturales & ib.l.45[etiā]etiamsi 183.6[perfectā]per sectam.191.45.[taifolii]trifolii.197.30.[damascenum]damascenam.206.21[ingulares]iugulares 207.11[at]& 213.1 in margine[oua]olea 218 in tit.cap.[empyemia]empyema 225 in tit.cap.[curandi] curandis 238.4[declinatio]destillatio 240.7[Auicenna]Auicennæ.& ib.lin.49[proponatur]promittatur.241.12 [eo]ego.235 41[ß]3.248.5[vbera]vlcera 25.54 acus plumbeus]acus plumbea 253. 57[nutrietur]nuttiretur 257. 58[phlegmosum]phlegmonosum 264.15[gustui sunr] gustui non sunt.265.56[cruatur]curatur 268.36(istæ malas rubrans)isti malas rubras 270.31(actos)octo 272.41(aliquod idem est exhibendum)aliquod idem exhibendum 273.26(leprosa massa sanguis)leproso massa sanguinis 275.52(saporis) saponis 277.11(assa)ossa 278.30 in margine(salubris)salibus 179.10(descriprio)disruprio 287.2(efficientem esse) efficientem non esse,& ib.lin.41(lotium)botium.288.8 (aducentia)educentia.290.46.(olas)alas & ib.lin.49.(falas)alas.294.33(meracarpo metacorpo oritur)metacarpo oritur.296.37[rangatur facile,facile fluet]tangatur,facile fluet 297.13[er.]nr.& ib.lin.15[Quando]Quandoque.& ib.lin. 16[possimus]possumus.lin.19[ax]ex 299.41[oculis]oculos.300. 42[distinctus]distinctius.300.55[vel coppo]vel del coppo.303.33[Græcis,videtur;enim]Græcis : videtur enim 281.28[quando]quandoque 283.34[melancholia]melancholici 284.47[ex]est 285. 53[tentati tenrâui 286.40[sicco]succo 304.30[tendunt]tundunt 305.37[est renuis]est sanguis tenuis 307.2(emixa)enixa 311.47[nomen]deinde 321.10[exercere]excernere.& ibid. 39[ferramento]ferramentū 322.3[er.]nr.ib.18.[apta]aperta.ib.28[est deligatione]est in deligarione.ib.46[arciculos]articulos 328.9 [vacatur]vocatur 333.12[naturum]naturam 334. 11[absoluir]absumir 339. 55[pueris]pueros. & ib.[consistentibus]consistenres.340.19[eo]ego 313 6[renuit]tenuis ib.16[oblarionem]ablarionem 314.28[virginali]inguinali 323.32[illas]illa 324.12[corporis]corpore.ib. 15[quibus]quibusdam 330.21[patect]patent. ib.40[accasionibus]occasionibus.331. 35[officinis]officinis.ib.51[& fæces]vt fæces 332.18[scalongiæ.cæpæ]cæpæ ascalonitæ.vel communes.

